
JESAJAE VATICINIA

ANNOTATIONE PERPETUA

ILLUSTRAVIT

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLER,

THEOL. DOCT. ET LINGG. OO. IN ACAD. LIPS. P. P. O.



VOLUMEN SECUNDUM.

EDITIO SECUNDA AUCTIOR ET EMENDATIOR.

LIPSIAE

SUMTIBUS IOH. AMBROS. BARTHII.

MDCCCXVIII.

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLERI,

THEOL. DOCT. ET LINGG. OO. IN ACAD. LIPS. P. P. O.

SCHOLIA

IN

VETUS TESTAMENTUM.



PARTIS TERTIAE

IESAJAE VATICINIA COMPLECTENTIS

VOLUMEN SECUNDUM.

EDITIO SECUNDA AUCTIOR ET EMENDATIOR.

LIPSIAE

SUMTIBUS IOH. AMBROS. BARTHII.

MDCCCXVIII.

CARMEN TERTIUM DECIMUM.

Cap. XIX.

ARGUMENTUM.

Jova, in Aegyptios poenas exerciturus, levi nube vectus Aegyptum venit. Incitat ibi belli civilis flammam, ita ut Nomus in Nomum, civitas in civitatem saeviant (vs. 2. 3.). Is, qui victor ex hoc bello discedit, Aegyptios in servitutem redigit, summaque severitate tractat (vs. 4.). Ad quae mala publica quum etiam accedat aquae Niloticae defectus et siccitas, et inde orta sterilitas atque infoecunditas; Aegyptus tota decidit de statu suo florente, omnium ordinum homines languent et lugent: mercatores, opifices, piscatores ad summam rediguntur inopiam et desperationem, et in universum omnes deplorant communem gentis miseriam calamitatemque, cui nemo prae inopia consilii, et ignavia incolarum succurrit, omnibus veluti de mentis sensu et ratione disiectis, tanquam correpti essent vertigine (5—15.). Jam vero Aegyptii, calamitatibus hisce oppressi, et a Jova ipsis haec mala inmissa intelligentes, ad Israelitarum Deum auxilium petituri trepidant (vs. 16. 17.). Impetrato auxilio (quod quidem est subintelligendum ex vs. 20.) Jova ab Aegyptiis tanquam potentissimus ipsorum vindex et liberator agnoscitur coliturque, et in celeberrimis Aegypti urbibus altaria illi eriguntur in memoriam praestiti auxilii (vs. 18—22.). Sed feliciora etiam

1019


JESAJAE VATICINIA

ANNOTATIONE PERPETUA

ILLUSTRAVIT

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLER,

THEOL. DOCT. ET LINGG. OO. IN ACAD. LIPS. P. P. O.



VOLUMEN SECUNDUM.

EDITIO SECUNDA AUCTIOR ET EMENDATIOR.

LIPSIAE

SUMTIBUS IOH. AMBROS. BARTHII.

MDCCCXVIII.

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLERI,

THEOL. DOCT. ET LINGG. OO. IN ACAD. LIPS. P. P. O.

SCHOLIA

IN

VETUS TESTAMENTUM.



PARTIS TERTIAE
IESAJAE VATICINIA COMPLECTENTIS
VOLUMEN SECUNDUM.

EDITIO SECUNDA AUCTIOR ET EMENDATIOR.

LIPSIAE
SUMTIBUS IOH. AMBROS. BARTHII.
MDCCCXVIII.

CARMEN TERTIUM DECIMUM.

Cap. XIX.

ARGUMENTUM.

Jova, in Aegyptios poenas exerciturus, levi nube vectus Aegyptum venit. Incitat ibi belli civilis flammam, ita ut Nomus in Nomum, civitas in civitatem saeviant (vs. 2. 3.). Is, qui victor ex hoc bello discedit, Aegyptios in servitutem redigit, summaque severitate tractat (vs. 4.). Ad quae mala publica quum etiam accedat aquae Niloticae defectus et siccitas, et inde orta sterilitas atque infoecunditas; Aegyptus tota decidit de statu suo florente, omnium ordinum homines languent et lugent: mercatores, opifices, piscatores ad summam rediguntur inopiam et desperationem, et in universum omnes deplorant communem gentis miseriam calamitatemque, cui nemo prae inopia consilii, et ignavia incolarum succurrit, omnibus veluti de mentis sensu et ratione disiectis, tanquam correpti essent vertigine (5—15.). Jam vero Aegyptii, calamitatibus hisce oppressi, et a Jova ipsis haec mala inmissa intelligentes, ad Israelitarum Deum auxilium petituri trepidant (vs. 16. 17.). Impetrato auxilio (quod quidem est subintelligendum ex vs. 20.) Jova ab Aegyptiis tanquam potentissimus ipsorum vindex et liberator agnoscitur coliturque, et in celeberrimis Aegypti urbibus altaria illi eriguntur in memoriam praestiti auxilii (vs. 18—22.). Sed feliciora etiam

tempora videt vates, ulterius longe prospiciens: Aegyptiis ad Jovam colendum Assyrii quoque se sociant, ita ut tres, olim maxime infesti inter se populi, Israelitae, Aegyptii, Assyrii, jam *unum Jovae populum* faciant (vs. 23. 24. 25.).

Koppius, versus 18—25. a priore capitis parte sejungendos putat, ut particulam singularem constituentes, atque hoc oraculum alio plane tempore editum esse existimat. Placuit haec sententia Cubio quoque, et Eichhornio (*Einleit. in das alte Testam.* P. III. p. 84.). Et nituntur quidem hisce potissimum argumentis: *primo*, imaginem miseri Aegyptiorum status, quam vates vs. 1—15. exhibet, nimis abhorrere a descriptione temporum felicissimorum, quibus Aegyptii una cum Israelitis et Assyriis Jovam colunt (Verum solenne esse vatibus Hebraeis, tristium temporum descriptioni subjungere laetiorum imagines, saepius jam observatum est). *Deinde*, non esse credibile, linguam Hebraeam a Jesaja, aut alio, in Judaea degente vate, appellatam esse שְׂפַת כְּנַעַן. (Sed conf. not. infra ad vs. 18.). *Denique* illud quoque, quod Aegyptii et Assyrii, a Jesaja alias semper ut hostes Israelitarum descripti, vs. 25: מַעֲשֵׂה יְדֵי יְהוָה, עַם יְהוָה, appellantur, Koppio arguere videtur, hanc sectionem a Jesaja non esse profectam. (Sed hoc ipsum pertinebat ad aureae aetatis, in qua vates inde a vs. 18. versatur, descriptionem, cujus aetatis proprius quasi character erat, ut Jova solus ab omnibus gentibus coleretur, conf. Cap. II, 1—4.).

Si in priscae Aegyptiorum historiae reliquiis, nobis servatis, paucis quidem illis, circumspiciamus, ad quaenam reipublicae Aegyptiacae fata noster in hoc carmine respexerit, nihil commodius et facilius se nobis offeret, quam tempus Δωδεκαρχίας, de quo Herodotus *Lib. II.* c. 147. et 151. et Diodorus *Bibl. Lib. I.* c. 66. Tradunt

dunt hi, Aegyptios, *Sabacone**) *Sethone* (quo regnante Senacheribus, Aſſyriorum rex, Aegyptum invaſit) mortuo, reſtitutos libertati, per biennium fuiſſe in ſtatu ἀναρχίας, quo tempore τῶν ὄχλων εἰς ταραχὰς καὶ φόνους ἐμφυλίους τρεπομένων (verba ſunt *Diodori* l. c.), τοὺς μεγίστους τῶν ἡγεμόνων δώδεκα ποιησαμένους συνωμοσίαν, *plebe ad tumultus et caedes inteſtinas converſa, duodecim duces primarios ſe ipſos, conjunctione inita*, reges feciſſe, et, Aegypto inter ſe diviſa, ſtatum firmaſſe. Sed cum duodecim illi reges per annos quindecim Aegypto imperaſſent, ortis jurgiis turbisque civilibus ſummam rerum devolutam eſſe ad unum Pſammetichum. Hujus belli civilis cauſſam Diodorus inde repetit, quod Pſammetichus, Saites, cui maritimae Aegypti orae obtigerunt, aditum ad Aegyptum liberum faciens Phoenicibus et Graecis, magnasque ſibi colligens opes, et amicitias etiam ſibi comparans exterorum principum, reliquorum Aegypti regum in ſe concitaverit invidiam, qui proinde ipſi intulerint bellum, ex quo, commiſſo ad Memphim proelio, victor abierit Pſammetichus, auxilio Jonum, Carum, Graecorumque, quos ipſe conduxerat milites, adiutus. Turbas hasce Aegypti internas a vate noſtro in hoc carmine reſpici, praeſtantiſſimi jamdudum viderunt interpretes, quibus et nos accedere non dubitamus, quum hac aſſumta hypotheſi totum carmen clariore appareat luce. Incidit bellum illud Aegyptiorum civile in initia Manaſſis, regis Judae, unde dubitari poſſit, utrum hoc carmen a Jeſaja ipſo, an potius ab alio, paullo ſeriore vate, profectum ſit. Jeſajae plane abjudicat et alii cuidam vati, qui Manaſſe regnante Aegyptum adierit, hoc vaticinium tribuit Eichhorn in Prophetis a ſe vernacule verſis et illuſtra-

A 2

*) *Sabaconem* fuiſſe cognomen, omnibus regibus Aethiopum proprium, ut Aegyptiorum *Pharao*, ſatis veriſimile fecit Gatterer *Weltgeſchichte in ihrem ganzen Umf.* P. I. p. 225. 226.

luſtratis (*die hebräiſchen Propheten von J. G. Eichhorn*, I. B. Götting. 1816. 8., p. 355.). Neque enim credibile eſſe, Jeſajam, qui eo ipſo, quo Uſias rex obiit, anno prophetico munere fungi coeperit (cf. Jeſaj. VI, 1.), qui fuerit annus 758 ante Chriſtum natum, illo adhuc functam eſſe anno 660 ante Chr. nat., quo Pſammetichus, ad quem vs. 4. alluditur, rerum ſit potitus.

---

1. De voce מַשָּׂא vid. not. ad XIII, 1. Chaldaeus verba מַשָּׂא מִצְרָיִם ita exponit: מַטַּל כָּס דִּלְוָט לְאַשְׁקָאָה יָת מִצְרָאֵי *onus calicis maledictionis ad propinandum Aegyptiis.* הִנֵּה יְהוָה מִצְרַיִם Eleganti exordio propheta viam ſibi ſternit ad deſcribendam Aegypti calamitatem. Jovam, rectorem mundi, infert vectum celeri nube, tanquam *curru*, ad judicandos et plectendos Aegyptios. Deſumta eſt fictio ab imperatore ſeu rege, populorum ſuorum judice, qui, cum intellexerit, in remotiore aliquo ditionis ſuae tractu enormiter adverſus leges delinqui, celerrimo vehiculo uſus illuc ſe transfert, ut ſontes puniat. Ceterum haec fictio nil novi aut inſoliti habet, *nubes* enim ſaepe a vatibus Hebraeis proponuntur tanquam *currus* et *vehicula* Dei, ut regis, res humanas ubique inſpicientis, procurantis, et, ubi vult, ad praemia et poenas diſpenſanda, absque mora praeſentis. Sic Pſ. CIV, 3. *nubibus utitur pro curru, inceſſit ventorum alis.* Chaldaeus: הָא יְיָ מִתְגְּלֵי בַּעֲנָן יְקָרֵיהּ לְאִתְפְּרָעָא מִמִּצְרַיִם *ecce Jova manifeſtum ſe faciet in nube gloriae ſuae, ut vindictam ſumat de Aegyptiis.* Verba וְנָעוּ אֱלִילֵי מִצְרַיִם מִפָּנָיו duplici modo accipi poſſunt, vel hoc ſenſu: idola ad adventum Dei ſummi ſe *commotura*, h. e. trepidatura eſſe, prae reverentia majeſtatis ejus; vel, idola ad adventum Jehovae, cujus praeſentiam ferre nequeant, quique ipſorum praeſentiam laturus non ſit, *receſſura eſſe loco*, metu et horrore judicii

dicii ejus. Equidem adſentior Vitringae, praeferendum eſſe poſterius. Nam vox נוע vix uſurpatur in V. T. de *trepidatione*, ſive *commotione interna*, niſi ubi de *corde* uſurpatur, et ea vox additur, ut Cap. VII, 2. Sed alias verbum illud notat ejusmodi rei aut perſonae motum, quo loco cedit, vagatur, et alio ſe transfert. Favet etiam huic interpretationi vox מפניו, *a* facie ejus: nam ſi ſenſus eſſet, idola *trepidaſſe prae* adventu Jovae, ſcripſiſſet Jeſajas haud dubie: לפניו. Chaldaeus: ויתברון טעות מצראי מן קדמוהי *conterentur idola Aegyptiorum a facie ejus.* Quod additur: ולבב מצרים ימס בקרבו *et cor Aegypti liqueſcet in medio ſui*, accipiendum eſt de conſternatione Aegyptiorum, qua animus eos quaſi defecit, metu et horrore calamitatum ſibi imminentium. Sic locutio haec ſumitur Deut. XX, 8. 2 Sam. XVII, 10. Supra XIII, 7. Reſpondet dictio Lucae XXI, 26. in oratione Jeſu de calamitatibus ultimi temporis: ἀποψυχόντων ἀνθρώπων ἀπὸ φόβου, *exanimatis hominibus prae metu*, et exſpectatione malorum ſupervenientium. בקרבו, *in medio ejus*, ſcil. cujuscunque Aegyptii.

2. Fata Aegypti triſtia, a quibus cetera pendent, duo recenſentur in hoc vaticinio. Primum eſt *bellum civile*, vs. 2. 3., alterum *oppreſſio Aegypti* a potente quodam principe, vs. 4. Verba וסכסכתי מצרים במצרים vulgo vertunt *miſcebo Aegyptum cum Aegypto*, i. e. eos invicem ut hoſtes committam. Ita Symmachus: συμβαλῶ, *armabo*, armis inſtruam, *unum Aegyptium contra alterum*, ut unus contra alterum dimicet; vid. de hac verbi סכסך ſignificatione not. ad Cap. IX, 10. An idem reſpexerint Alexandrini, qui ponunt ἐπεγερθήσονται, et Syrus atque Chaldaeus, אעירי, ܐܓܪܐ, *concitabo*, incertum. Senſus dubius eſſe non poteſt. Subjungitur enim: ונלחמו איש באחיו *pugnabunt quisque con-*

contra fratrem suum, unus adversus alterum, ut supra IX, 18. Verba מַמְלָכָה בְּמַמְלָכָה Alexandrinus docte vertit: νομὸς ἐπὶ νομὸν, quo innuit, per *regna Aegypti* hic intelligi *praefecturas*, Graecis νομοὺς, Aegyptiis *Ptôsch* dictas (vid. *l'Egypte sous les Pharaons par* Champollion. Paris 1814. T. I. p. 46.) in quas Aegyptus jam ab antiquis temporibus partita fuit.

3. Cum belli civilis miseriis conjuncta erit consilii inopia summa, qua idola et hariolos consulent. וְנָבְקָה רוּחַ מִצְרַיִם בְּקִרְבּוֹ *Et evacuabitur spiritus Aegypti in medio ejus*, i. e., recte exponente Kimchio, non erit in spiritu eorum sapientia et intelligentia reliqua, neque consilium sibi capere scient. Ita Jeremias XIX, 7. *Evacuabo* (בִּקֹּתִי) *consilium Judae et Hierosolymorum.* נָבְקָה est forma anomala speciei Niphal verbi בָּקַק, pro נָבַקָּה, Dagesch forte e litera ק excidit, et antecedens vocalis ob afformantis ה syllabae accessum ἀναλόγως abit in Schva. Eodem modo pro נָסַבָּה ponitur נָסְבָה Ezech. XLI, 7., et pro נָבֹלָּה Genes. XI, 7. נָבְלָה. Sine necessitate J. D. Michaelis in *Supplemm. ad Lexx. Hebr.* p. 162. pro נָבְקָה legendum conjecit נָבֹקָה, quod refert ad בּוּק, Arab. بوق *dissidium attulit*, unde vertit: *dissidebit spiritus Aegypti in medio ejus.* A. Schultensius in *Institutt. ad Fundamentt. Ling. Hebr.* p. 332., nostrum נָבְקָה refert ad נָבַק, Arab. نَبَقَ, quod affinis significationis est cum בָּקַק, Arab. بَقْبَقَ, ὀνοματοποιητικὸν, *bombum edidit amphora, dum effatim ex ore angustiore effluit, vel per illud infunditur aqua* (unde Hebraeis בַּקְבּוּק *lagena*, Syrisque ܒܩܒܘܩܐ et *lagena et murmur*); נבק vero Arabibus est *pepedit, crepuit*, vid. Schultensium l. c. Unde vertit: *in sonum inanem abit spiritus Aegyptiorum.* Quomodo veteres verbum nostrum intellexerint, haud facile quis dixerit, nam sensum tantummodo

modo ut cunque reddupt. Alexandrinus: *καὶ ταραχθήσεται τὸ πνεῦμα τῶν Αἰγυπτίων ἐν αὐτοῖς.* Aquila: *καὶ πλαδαρωθήσεται* (*flaccescet, imbecillis fiet*) *πνεῦμα Αἰγύπτου ἐν ἐγκάτῳ* (*intestino*) *αὐτῆς.* Theodotion: *καὶ σχισθήσεται πνεῦμα Αἰγύπτου ἐν αὐτῇ.* Symmachus: *καὶ ῥαγήσεται* (*disrumpetur*) *πνεῦμα Αἰγύπτου ἐν αὐτῇ.* Syrus: ܘܬܬܦܩܥ *et exscindetur spiritus Aegypti in praecordiis ejus* (ܒܓܘܗ̇). Chaldaeus: וְתִתְמְסֵי *et tabescet spiritus Aegyptiorum in visceribus eorum* (בִּמְעֵיהוֹן); Saadias: وتنبهر *et percutietur spiritus eorum in ventre eorum* (في اجوافهم); Vulgatus: *et disrumpetur spiritus Aegypti in visceribus ejus.* רוּחַ hic est *animus*, vis cogitandi, deliberandi, et consilia capiendi. Vates se ipse interpretatur, dum addit: וַעֲצָתוֹ אֲבַלֵּעַ *Consilium ejus deglutiam, absorbebo* (Chaldaeus: חַכִּימֵיהוֹן אֲסַלְעֵם *sapientes eorum obstupefaciam*), ut neque consilium capere possint, neque, si ceperint, quidquam proficiant, aut juxta consilium efficiant. Ergo quum humanum ipsos destituat consilium, vertunt se ad oracula et divinos. וְדָרְשׁוּ אֶל־הָאֱלִילִים *Quaerent*, i. e. consulent *vanos* scil. deos, idola. Verbum דָּרַשׁ saepe poni *de consulendo Deo, oraculo, vate*, observavimus supra ad Cap. XI, 10. ubi conf. not. וְאֶל־הָאִטִּים Varie jam veteres vocabulum *ἅπαξ λεγόμενον* interpretati sunt. Alexandrinus *ἀγάλματα*, Syrus ܚܪ̈ܫܐ, *magos*, Chaldaeus חָרָשִׁין *praestigiatores* s. *incantatores*, Vulgatus, *divinos*, Saadias, منجّمين *astrologos:* recentiorum plerique *mussitatores*, i. e. vel, qui oracula obscura mussitant, vel, qui voce leni ac submissa incantandi formulas mussitant. Nam אַט (1 Reg. XXI, 27.) et לְאַט (supra VIII, 6.) *lente, leniter* est, et أطّ Arabibus de *sono et murmure obscuriore* usurpatur;

 vid.

vid. SCHULTENSIUM ad *Haririi Confess. IV*, p. 14. not. 25. Consonat Graecorum ἄττεσθαι et ὀττεύεσθαι, quod Hesychius κληδονίζεσθαι *vaticinari* explicat. De אֹבוֹת et יִדְּעֹנִים, vid. supra ad VIII, 19. Aegyptios praeter oracula celebria Jovis Ammonis in proxima Libya, et Latonae in urbe Buto, Aegypti inferioris, constat plures habuisse divinationes secretiores; quin esse Aegyptum omnis fere superstitionis hujusce generis matrem, Veteres consentiunt. Quin sane Herodotus, ubi de divinatione Aegyptia loquitur (II, 82.), plura iis τέρατα, *ostenta*, et signa futurorum prognostica observari ait, quam aliis omnibus hominibus.

4. וְסִכַּרְתִּי אֶת־מִצְרַיִם propr. *concludam*, i. e. tradam *Aegyptum*. Radici סָכַר, Arab. سَكَرَ, *compingendi*, *concludendi*, *coercendi* vim inesse, multis docuit SCHEIDIUS in *Specim. Observatt. ad quaedam V. T. loca*, ejus *Dissertat. ad Cantic. Hiskiae* annexo, p. 24—29. (insertum etiam est *Syllogi Dissertatt.* ubi vid. Tom. II. p. 965.). Convenit significatu cum סָגַר *claudere*, *concludere* (literis ג et כ affinis soni inter se permutatis), quod in Piel et Hiphil de plenaria traditione in hostium potestatem dicitur, qua quis totus eorum est permissus arbitrio, vid. 1 Sam. XXVI, 8. Ps. LXXVIII, 50. Ita et Jarchius et Kimchius statuunt, renitente Aben-Esra, qui nullas literas apud Hebraeos permutari docet, praeter *quiescentes*, et vocem h. l. explicari vult e loco Genes. VIII, 2. וַיִּסָּכְרוּ מַעְיְנֹת תְּהוֹם *et occlusi*, obturati *sunt fontes aquarum*. Sed res eodem redit. Quid enim aliud est *occludam Aegyptum in manum domini rigidi*, quam *includam*, vel *concludam?* Recte Alexandrinus παραδώσω, et Chaldaeus אֶמְסַר *tradam* verterunt. Verba בְּיַד אֲדֹנִים קָשֶׁה non sunt vertenda: *in manum dominorum dure dominantium*, sed:

sed: *in manum domini, dure dominantis.* Nam satis nota est illa Hebraei sermonis proprietas, qua Pluralis, tam masculinus quam femininus, usurpari solet de una re, quae, in suo genere, magna est, et quodammodo excellens: e. c. יַמִּים, *maria*, valet *mare magnum* Ps. XLVI, 3., תַּנִּים dicitur de *dracone grandi*, Ezech. XXIX, 3. קְדֹשִׁים de *sanctissimo* Hos. XII, 1. Proverb. IX, 10. et quae plura hujus generis sunt, de quibus vide Schroederi *Institutt. ad Fundamm. Ling. Hebr.* Reg. C. et Storrii *Observatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 97. 98. Ex hoc nominum genere est quoque nostrum אֲדֹנִים, quod de *uno* magno et potente domino praeter hunc locum etiam usurpatur Genes. XLI, 1. XLII, 30. Jarchi: כל לשון אדנות קרוי בלשון רבים ואפילו יחיד *Omnis dictio dominationem significans usurpatur in plurali numero, etiamsi de uno sit sermo.* Exempla affert Genes. XXXIX, 20. 16. Haec vero nomina *pluralia*, quorum significatio est *singularis*, propter *sensum* ut *singularia* construuntur, veluti קְדֹשִׁים נֶאֱמָן *sanctus fidus*, Hos. XII, 1., הַתַּנִּים הַגָּדוֹל, *draco ille magnus*, Ezech. XXIX, 3., מֵימָיו, *aqua ejus*, scil. maris magni; vid. Schroederum l. c. *Syntax.* Reg. XXV, a. Storrium l. c. p. 99. In singulari sumendum esse אֲדֹנִים, apparet quoque ex eo, quod vates statim addit מֶלֶךְ עַז propr. *regis fortis*, sed hic in malam partem sumitur pro *violento*, ut קָשֶׁה *durus* hic est *imperiosus*, *severus*, ut σκληρὸς Matth. XXV, 24., qua ipsa voce hic usus est Symmachus. Eodem sensu Virgilius *Georg.* III, 4. Eurystheа *durum* vocat. Utraque illa appellatione Psammetichus innuitur, vid. Argument.

5. Ad turbas et dissidia interna nova accedit calamitas: Nili inundatio, a qua omnis Aegypti fertilitas adeoque florens regni status pendet, aut tenuis, aut plane nulla, erat. Verba וְנִשְּׁתוּ מַיִם מֵהַיָּם Alexandrinus,

vocem נָשְׁתוּ referens ad שָׁתָה, *bibere*, vertit, καὶ πίονται οἱ Αἰγύπτιοι ὕδωρ τὸ παρὰ θάλασσαν, *et bibent Aegyptii aquam quae juxta mare.* Placuit id quoque MICHAELI in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* P. V. p. 1697. et WARNEKROSIO in *Commentat. de Palaestinae fertilitate cum Aegypti fertilitate comparata*, in *Repertor. für bibl. und morgenl. Litteratur*, P. IV. p. 261. Quum vero huic derivationi Dagesch forte in שׁ obstet, Michaelis et Warnekrosius pro mero arbitratu ejiciendum illud volunt. Reperiuntur quidem codd. nonnulli et libri editi, a de Rossio in *Scholiis critt.* ad h. l. indicati, qui Dagesch forte in שׁ non exhibent; sed hoc vel negligentiae librariorum, vel ipsorum corrigendi libidini tribuendum esse haud dubitamus. Ludov. de Dieu interpretatur; *intereunt aquae Nili*, verbo נָשַׁת significationem Aethiopici ንሠተ, *destruere*, tribuens; quod e longinquo petitum est, nec sensum satis aptum efficit. LETTE in *Observatt. ad Cantic. Deborae*, in *Sylloge Dissertatt.* P. I. p. 615. verbum נָשַׁת comparat cum Arab. نَشَّ, *foetuit*, *computruit*, e. g. caro, et comma nostrum sic vertit: *computrescentes deficiunt ex Nilo aquae.* Sed illa verbi נָשַׁת significatio duobus reliquis, quibus in V. T. occurrit, locis, Jesaj. XLI, 17. et Jerem. LI, 30. minime est apta. Ex iis *deficiendi* potius notio certa est. Nam in priore loco dicitur de iis, qui siti conficiuntur, in altero vero de robore corporis absumto. Concinit Aethiopicum ንስቲት *parvus*, *parum*. Recte igitur Symmachus ἀφανισθήσεται, Hieronymus *arescet*, Chaldaeus יִצְדוּן *desolatae*, i. e. exhaustae erunt, Saadias يَنْضُبُ *exarescet* vertit. Per *mare* vero *Nilum* fluvium esse intelligendum, nulla est dubitatio. Vates se ipse mox interpretatur dum ait: וְנָהָר יֶחֱרַב וְיָבֵשׁ, *fluvius exsiccabitur, atque arescet.* Et Grotius tamen hic ipsum intelligit *mare mediterraneum*, quod Aegyptum alluit; sed prae-

praeter rationem. Hebraei majora omnia aquarum receptacula appellant *maria*, יַמִּים, vid. Genes. I, 10. Hinc de *Euphrate* usurpatur vocabulum יָם Jerem. LI, 36. Zach. X, 10. 11. De *Nilo* supra XI, 15. Job. XLI, 23. ubi de *crocodilo* dicitur, eum *mare* effervescenti ollae simile facere, יָם יָשִׂים כַּמֶּרְקָחָה, *reddit mare simile cacabo cocturae*; hic quis de *Nilo* non cogitet, crocodilorum patria? conf. Ezech. XXXII, 2. 3.; Nah. III, 8. ubi de נֹא אָמוֹן, i. e. Diospoli, Thebi Aegyptiorum, procul a mari in intima Aegypto, sed ad *Nilum* sita, dicitur: אֲשֶׁר־חֵיל יָם מִיָּם חוֹמָתָהּ, *cujus munimentum est mare, et ex mari adsurgunt moenia ejus*, nempe urbs, Nili inundationibus tuta et inexpugnabilis describitur. Imo vero exteri scriptores eodem etiam modo de *Nilo* loquuntur. Frequentissima exempla invenies in Arabum Geographis, ex quibus nonnulla collegit Christ. Mullerus in *Satura Observatt.* p. 189. Dicunt illi non solum fluvium ipsum بحر النيل, *mare Nili*, sed et canales ex eo derivatos, vid. Michaelis *Supplement. ad Lexx. Hebrr.* p. 1083. Nec solum nomen بَحْر ita ponunt, sed et يَمّ, ipsissimam vocem Hebraicam; ut in Corano Sur. XX, 39. ubi Deus matri Mosis: *pone illum in cistam, et pone illum* فِي ٱلْيَمِّ *in mare*, conf. Sur. XXVIII, 6. Addendus Diodorus Siculus L. I. c. 12.: οἱ Αἰγύπτιοι νομίζουσιν Ὠκεανὸν εἶναι τὸν παρ᾽ αὐτοῖς ποταμὸν Νεῖλον. Ceterum recte Jarchi: „Quoniam terrae Aegypti omnis utilitas venit per Nilum, neque enim eo descendit pluvia, sed Nilus ascendens irrigat eam (terram) per rivos, qui hominum manibus facti sunt, ideo comparat poenam, qua terra illa afficietur, arefactioni rivorum."

6. In

6. In verbo הֶאֶזְנִיחוּ interpretando non consentiunt interpretes. Plurimi, contenti, tale quid dedisse, quod sermonis contextui utcunque conveniret, verterunt, *deficient fluvii.* Ita Alexandrini: *ἐκλείψουσιν οἱ ποταμοί.* Alii ex notione *repellendi* et *amovendi*, quam verbo nostro tribuunt, partim, *vi transitiva*, reddiderunt, *repellent fluvios*, partim *intransitiva*, fluvii *amovebuntur*, vel, *se repellent*, quasi fontem versus ascendentes: quarum versionum prior prorsus inconveniens est, et ab hoc loco aliena, ut jam Vitringa ostendit; posterior sensum bonum quidem exhibet, sed non exprimit propriam verbi זנח significationem, quam primus ostendit et exposuit N. G. Schroederus in *Observatt. ad Origg. Hebrr.* pag. 74 seqq. Scilicet זָנַח, Arab. زَنَخَ, primaria et antiquissima potestate notans *sidere*, *subsidere*, peculiariter de fluminibus et stagnis usurpatum fuit, quorum aqua, quando *sidit*, et in terram paulatim absorbetur, ex lutulentis reliquiis, et limo putrescente, tetrum illum putorem, quem *rancorem* dicimus, exhalat: unde per *metonymiam* significatio *rancēscendi* succrevit. Haec significatio totius orationis seriei aptissima est: וְהֶאֶזְנִיחוּ נְהָרוֹת דָּלְלוּ וְחָרְבוּ יְאֹרֵי מָצוֹר *et ecce sidendo rancescent fluvii*, rivi et fossae Nili, *tenuabuntur et exsiccabuntur rivi Aegypti.* Ubi facile animadvertitur, verbo הֶאֶזְנִיחוּ, hac in serie, nihil aptius, et ad elegantem gradationem, qua utitur vates, accommodatius esse. Nam fluvii quando exsiccantur primo *subsidunt*, ex quiete stagnantium aquarum *rancorem*, seu corruptionem cum ingrato odore et sapore conjunctam, contrahentes; dein magis magisque *extenuati* tandem penitus *exarescunt.* De rariore vocis הֶאֶזְנִיחוּ forma dissentiunt Grammatici, quorum varias sententias recenset Kimchius in *Commentario* a Malanimaeo latine verso (Florent. 1774.) p. 147. Quidam putant, litteram א, quae olim usum vocalis habuerit,

buerit, superfluam remansisse; alii, litteram א hic esse ex usu Chaldaico formae *Aphel*, quae hic cum Hebraea commixta sit. FABER ad *Harmari Observatt. super Orient.* P. II. p. 328. not. 10. olim duplicem lectionem extitisse existimat, quae postea a Masorethis conjuncta esset, unam, *Aramaeam*, אֶזְנִיחוּ, alteram, *Hebraeam*, הִזְנִיחוּ, prius, utpote insolentius, esse praeferendum. SCHULTENSIUS vero in *Institt. ad Fundam. Ling. Hebr.* p. 272. cui adsentitur SCHROEDERUS in *Institt. ad Ling. Hebr.* pag. 192. Reg. CLVII. f. et STORRIUS in *Observatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 347., *He* emphaticum, seu *affirmativum* esse autumat, reddendum per *ecce! sane!* quale in illo עֵינֶיךָ הָרֹאֹת, *oculi tui ecce videntes sunt*, Deut. III, 21. IV, 3., א autem esse characteristicum *Hiphil*, pro ה, atque pro הֶהְזְנִיחוּ commodioris pronuntiationis caussa elatum esse הֶאֶזְנִיחוּ. Praeterea observat Schroederus, in *Observatt. ad Origg.* l. c., formae Hiphil vim *transitivam*, ut in aliis multis, ita et in hoc verbo, per quendam *tropum* in *intransitivam* deflectere. Talia sunt הֶאְדִּים, הִלְבִּין, הֶאֱרִיךְ, הוֹבִישׁ. Eodem modo verba דָּלְלוּ et חָרְבוּ, quae in contextu nostro sequuntur, *intransitive* sunt vertenda. מָצוֹר idem est ac מִצְרַיִם, *Aegyptus*, et occurrit etiam 2 Reg. XIX, 24. Mich. VII, 12. ad quem locum vid. plura de hoc nomine. נְהָרוֹת et יְאֹרֵי מָצוֹר sunt *canales et fossae ex Nilo*, cura hominum per totam terram Aegypti inferioris derivatae, in agricolarum et urbium usum, conf. Exod. VII, 19. Chaldaeus יְאֹרֵי מָצוֹר vertit נַהֲרֵיהוֹן עֲמִיקַיָּא *flumina eorum profunda*, quod sequutus Jarchi verba hebraea exponit יאורים עמוקים בחריצי מצורי עיירות *fluvii profundi in fossis munimentorum urbium.* Saadias: الخلجان المحصورة *canales septi.* Per יְאֹרִים tamen ego potius intellexerim *brachia Nili*, ut Ps. LXXVIII, 44. Ezech. XXIX, 3., certe יְאוֹר in numero uni-

unitatis, non nisi de *Nilo* usurpatur, ideo haud dubie quod proprie vocabulum Aegyptiacum est, exigua varietate his scriptum litteris: IAPO, vid. Lacrozii *Lexic. Aegyptiac.* p. 27. Ceterum id, quod vates modo dixit, *rancescere et subsidere aquas Nili et brachiorum atque canalium* ex illo derivatorum, egregie illustratur recentiorum nonnullorum, qui oras illas adierunt, narratione, *Amnem Trajanum*, quod nomen est canalis cujusdam ex Nilo per urbem *Cahira* ducti, antequam viva Nili aqua in illo ascendat, pessimum odorem exhalare, adeo ut vasa argentea, licet in cistis condita, ferrugine obducantur. Vid. Oedmann *Vermischte Samml. aus der Naturk.* Fasc. I. p. 49. קָנֶה וָסוּף קָמֵלוּ] קָנֶה esse *arundinem Donacem*, verisimile fecit Oedmann l. c. p. 50 seqq. Conf. de hac planta Forskalii *Descript. Plantarr.* p. 24. *Donax*, is inquit, *et Saccharum Ganesi ripas Nili non solum vestiunt, sed prorsus impediunt, ut Alnus in Septentrione et Mangle in India.* Unde intelligetur, cur hujus plantae hoc loco mentio fiat. סוּף esse *algam Niloticam*, *Sari* dictam, vidimus ad Exod. II, 3. Verbum קָמַל praeter hunc locum semel tantummodo, infra XXXIII, 9. obvium, *languescendi, emarcescendi* notionem habere, ex utriusque loci contextu colligitur. Concinit Syriacum ܡܚܠ *aegrotavit, infirmatus* est. Chaldaeus h. l. vertit לָא יִסְקוּן *non crescent*, et infra XXXIII, 9. נְתַר *decidit, emarcuit.* Saadias: تُعْطَلُ مِنَ ٱلنَّبَاتِ *carebit germine.* Jarchi: „quando rivi exarescunt, arundines non amplius nutriuntur, sed exarescunt et cadunt.“ Pertinet igitur ultimum hoc commatis nostri membrum ad descriptionem *siccitatis*, et tristis Aegypti incolis Nili *exsiccationis*.

7. Varias de significatione nominis עָרוֹת sententias recensuit J. G. Unger in Dissert. *de* ערות *hoc est, de Papy-*

Papyro frutice, von der Papier-Staude ad Jesaj. XIX, 7. Lips. 1731. in quat. Sed quod ipse post Vitringam contendit, vocem hebraeam *papyrum* significare, nulla idonea ratione nititur; *papyrus* hebraice est גֹּמֶא, vid. not. ad Exod. II, 3. Jes. XVIII, 2. Rectius Hebraei *gramina* s. *loca virentia* interpretantur collato מַחֲעָרָה, quod Ps. XXXVII, 35. de arbore *virescente* dicitur. Et Arabibus عُرْوَةٌ *arborem perennem, semper virentem* denotat. Geuharius apud van der Sloot ad *Carm. Togr.* vs. 4. [العروة من الشجر الذى لا يزال باقيا فى الارض لا يذهب], i. e. عروة *de arbore usurpatur, quae superstes manet in terra, nec perit.* Kimchius: ערות תאר לירקות ולדשאים הלחי Aroth *est nomen appellativum olerum et herbarum virentium.* Idem intelligentes Alexandrini Ἄχι posuerunt, quo nomine Aegyptios ipsorum lingua omne, *quod in palude virens nascitur*, significare, ex Hieronymi Commentar. ad h. l. observavimus ad Genes. XLI, 2. Conf. Celsii *Hierobot.* T. II. p. 229. 230. *Gramineta* autem *ad Nilum*, ad *Nili oras*, עַל־פִּי יְאוֹר (i. q. Genes. XLI, 3. Exod. II, 3. עַל־שְׂפַת הַיְאֹר *ad labium fluvii*, علي شطّه *ad ripam ejus*, ut Saadias vertit), erunt *terrae humiliores ad Nili ostia*, Βουκόλια Graecis dictae, quae, ad agriculturam ineptae ob solum nimis palustre, a Nomadum pecudibus depascuntur: vide Michaelis not. ad *Abulfedae* Aegypt. ad num. 66. pag. 121. 122. Nostro loco vertit ille *Marschländer.* Saadias زُرُوع, *hortos*, reddidit, dubito an satis recte. וְכֹל מִזְרַע יְאוֹר *Et omnis sementis rivi* alia, i. e. omnis qualiscunque alius Nili fructus aut proventus, ut lotus, et *alia lilia, rosis similia*, ἐν τῷ ποταμῷ γινόμενα καὶ ταῦτα, *in fluvio nascentia et ipsa*, memorante Herodoto L. II. c. 92. Nisi rectius

otius cogitetur de *satis* cujusvis generis, quae incrementum suum Nilo debent. Habet enim Aegyptus, terra omnium feratissima, *σπέρματα πάμπολλα*, *semina omnis generis*, ut Strabo dicit L. XVII. p. 556. Pro נִדַּף *propelletur* recte posuit Alexandrinus *ἀνεμόφθορον*, *a vento corruptum*, conf. Ps. I, 4. Chaldaeus: יֶחֱרַב וְלָא יִצְמַח *arescet nec germinabit.* Fingit vates, magnam in Aegypto suscitatum iri tempestatem, quae Nilum repelleret, rivos et *διώρυχας* ejus exsiccaret, et fruticeta omnia, proventus Nili, alias etiam deficientibus aquis collapsura, ita frangeret, dispelleret, disjiceret, ut plane sint peritura. Sunt interpretes, ut Grotius, Vitringa et Dathius, qui Nili exsiccationem, in praecedentibus descriptam, non proprie, sed figurate intelligant, Aegyptum per ista bella civilia ad summam omnium rerum inopiam redactum iri; ex Nili enim inundationibus Aegyptus omnem suam percipiebat fertilitatem. Sed nulla est ratio, cur illa non sint proprie intelligenda. Saepius enim factum esse, ut Nilus aestivis diebus nulla ceperit incrementa, Aegyptumque irrigarit, ex narrationibus et antiquiorum et recentiorum constat. Quae calamitas, cum jam per se satis magna esset, si accedebat ad bella civilia, satis digna erat, quae memoraretur a vate, miserum Aegypti statum deplorante.

8. Communem totius gentis cladem sequitur communis moeror et luctus eorum, qui ex ubere ejus solo et proventu ac divitiis, quas Nilus adfert, magnam perceperant utilitatem. Varii generis homines commemorat; qui aquarum beneficio vitam degebant, et primo quidem *piscatores*, הַדַּיָּגִים, quorum duo memorat genera, et qui *hamo*, et qui *retibus* aut *nassis* pisces capiunt. Abundasse Aegyptum *piscibus*, observavimus ad Num. XI, 5. וְאָבְלוּ כָּל־מַשְׁלִיכֵי בַיְאוֹר חַכָּה *Et moerebunt omnes, qui hamum jaciunt in fluvio.* Vocabulum

חַכָּה,

חַכָּה, praeter hunc locum non nisi bis obvium, Habac. I, 15. Job. XL, 25., *hamum* satis unanimiter antiqui et recentiores vertunt; nec quidquam de significatione dubii. Etymologiam si quaeras, hamus dici videtur Hebraeis a חֵךְ *palato*, cui infixus haeret; ac si ultro etiam quaeras, חֵךְ, palatum, est pro חֶנֶךְ, ut ex Arabico حَنَكَ ejusque derivatis constat, recte monente Danzio in *Litteratore* §. 56. p. 483. Sic etiam Thalmudici חנך scribunt. Saadias: وَيَحْزَنُ كُلُّ طَارِحٍ فِي ٱلْخَلِيجِ شِيصًا *Tristisque erit omnis qui in rivum escam projicit.* Nomen شِيصٌ, quod Saadias pro hebraeo חַכָּה ponit, notat proprie *speciem dactylorum vilissimam, qui nucleo carent, saltem duro, quique siccati non dulces sunt, sed austeri*, tum etiam *piscem*; hic de *esca* dicitur, quae hamis imponitur ad capiendos pisces. וּפֹרְשֵׂי מִכְמֹרֶת *Et qui expandunt rete*, id enim, aut *nassa* significatur nomine מִכְמֹרֶת vid. infra LI, 20. Habac. I, 15., a כְּמַר, quod Chaldaeis in Pael significat *includere*. Saadias vertit شِبَاكً *retia*. Aegyptios veteres praeter *retia* etiam usos esse *nassis*, patet ex marmoribus *Praenestinensibus*, vid. Shaw *Itiner.* p. 365. vers. germ., qui addit, hodienum *nassis* tantummodo pisces capere Aegyptios solere. Maillet *Epist. IX.* retia in Aegypto plane non esse in usu docet. Faber ad *Harmari Observatt.* P. II, p. 363. מִכְמֹרֶת *rete minus* significare contendit, sed nullo argumento solido probat; nam ex Habac. I, 15. ubi מִכְמֹרֶת distinguitur a חֵרֶם, non liquet, utrum מִכְמֹרֶת rete majoris aut minoris generis sit. Nec magis probavit Faber illud, quod in eadem nota dicit, in versione Alexandrina commatis nostri verba καὶ οἱ ἀμφιβάλλοντες alius interpretis esse, non Alexandrini. Nam

quamquam nemo inficiabitur, versioni Alexandrinae multa esse inserta ex aliis graecis interpretibus, non minus tamen notum est illud, Alexandrinos in versione Jesajae non tam accuratos fuisse, ut verba Hebraica semper redderent totidem verbis Graecis; saepissime sensum tantummodo expressisse contenti erant.

9. ובשו עֹבְדֵי פִשְׁתִּים שְׂרִיקוֹת *Et erubescent opifices lineorum pexorum.* בשו *erubescent*, nescii, quid agant, Micha III, 7. De פִשְׁתִּים, *lino*, vid. not. ad Exod. IX, 31. et Forsteri librum de *Bysso Antiquor.* p. 65. Aegyptum varia lini genera, et superiorem ejus partem, quae in Arabiam vergit, etiam fruticem, quem *gossypion* aliqui, alii *xylon* vocarunt, e quo xylina facta sunt lina, procreasse, e Plinii *Hist. Nat.* XIX, 2. notum est. Vid. et Celsii *Hierobotan*, P. II. p. 285 seqq. Plures interpretes, Jarchium sequuti, quae in hoc versu et proximo continentur, ad rem piscatoriam, de qua ante sermo erat, referunt; atque nil nisi retia piscatorum in hac quoque oratione vident. Sed iis potius, qui tractandis liniis operam dabant, nunc non minus, atque ante piscatoribus, magnum eos rerum suarum detrimentum passuros esse denuntiatur. שְׂרִיקוֹת non est *generosum, pretiosum*, ut multi vertunt, nulla alia ratione ducti, quam quod שׂוֹרֵק Cap. V, 2. vulgo redditur *vitis generosa*; nec *colorem flavum* seu *subflavum* indicat, quae Bocharti est sententia in *Hieroz.* P. I. Lib. II. Cap. VII.; sed conferendum est Syriac. ܣܪܩ, *pexuit*, *pectine dissipavit*, unde ܡܣܪܩܐ *pecten ad explicandum linum*. פִשְׁתִּים שְׂרִיקוֹת igitur erunt *lina bene pexa*, *pectinata*, carminata, hinc optima et tenuissima, ut ostendit Braunius de *Vestitu Sacerdott. Hebrr.* Lib. I. Cap. VIII. §. 8. Hac significatione Syrus quoque, Vulgatus et Saadias sumserunt verbum שָׂרַק, eo tamen discrimine, quod שְׂרִיקוֹת *active* acceperunt, quasi significaretur *feminas*

linum

linum pectentes. Et fortaſſe id negotii in antiqua Aegypto ad muliebres functiones aeque pertinuit, atque apud nos noſtrisque temporibus mulierum maxime eſt linum tractare et parare ad texturam. Provocat etiam Koppius ad membrorum parallelorum tenorem, quod vel is ſecum ferat, ut שְׂרִיקוֹת connectatur cum ſequenti membro וְאֹרְגִים חוֹרָי. Enimvero forma ipſa vocabuli ſignificationi passivae quam activae faventior eſſe videtur, prorſusque eſt credibile, prophetam, ſi pectentes feminas ante oculos haberet, ſcripturum fuiſſe potius שֹׂרְקוֹת, eadem forma Participii, qua ſequens אֹרְגִים eſt. Quare nos cum Chaldaeo et multis recentioribus שְׂרִיקוֹת referimus ad פִּשְׁתִּים. Obſtare quidem videtur conſtructio: ſed evaneſcet haec difficultas, modo obſervetur, vocem פִּשְׁתִּים eſſe ex vocabulis, quae in *plurali* quidem *maſculini generis* terminationem habent, ſed poteſtatem feminini generis obtinent; quippe eſt a ſingulari פִּשְׁתָּה perinde ac vox שָׁתוֹת mox conſtruitur cum voce מְדֻכָּאִים. Faber, l. c., verba noſtra vertit: *perturbati erunt, qui linum ſubtile*, tenue, *coluerunt* (*es werden beſtürzt ſeyn, die feinen Flachs baueten.*), שְׂרִיקוֹת conferens cum شرق, *diffidit, diviſit,* quam ſignificationem etiam Syr. ܣܪܩ habet, ad quam ſignificationem haud dubie Alexandrini reſpicientes, λίνον τὸ σχιστὸν poſuerunt. Verba וְאֹרְגִים חוֹרָי plures vertunt *textores retium* quaſi חוֹרָי propr. *foraminoſa* ſcil. opera denotet a חור, vel חֹר, *foramen, caverna*, hinc *retia*, ob *foramina*, quibus ſcatent. Ita Chaldaeus, qui מְצָדִן poſuit. Saadias quoque inſtrumentum aliquod piſcatorium intellexiſſe videtur, dum القراطيس *crates* vertit. Sed excellentioris texturae opus, quodcunque ſit, per חוֹרָי intelligendum eſſe, certum eſt. Sive enim cum חור Eſth. I, 6. vocabulo a חור *candidum eſſe*, conferas, *linea candida*, quo

quo vestitu nobiliores superbiisse videntur, illo ipso indumenti genere חֹרִים dicti; sive ad חוֹר *foramen* illud referas, operis *foraminosi* aut *reticulati* textilia intelligenda erunt, qualia iterum non vulgi, sed illustrium tantum personarum fuerunt. LXX. Καὶ τοὺς ἐργαζομένους τὴν βύσσον. Formam חֹרָי nonnulli Grammatici, e. c. *Ludovicus de Dieu*, et *Altingius*, explicant ex lingua Syriaca, in qua pluralis numerus formae constructae desinit in (ַי). Sed illud ipsum, quod haec forma apud Syros forma est non absoluta, sed constructa, ostendit, non satis accurate eam conferri cum illa forma linguae hebraeae nominum quorundam in statu absoluto positorum. Mihi quidem rectissime de horum nominum forma videtur judicasse J. D. Michaelis in *Gramm. Hebr.* p. 130. dum non unam omnium rationem esse asserit. Nonnulla enim esse singularia collectiva, aut genus indicantia, cum Jod afformativo mobili, v. c. גּוֹבַי, *locustae*, ad formam aliorum nominum in Jod desinentium, quod alias quidem plerumque in Chirek quiescit, sed interdum tamen in *Patach*, cujus formae in nominibus propriis exempla complura extant. Eadem est Schroederi sententia, *Grammat.* Reg. XCII, b. β. not. p. 115. Ad hanc collectivorum formam nostrum חֹרָי quoque pertinet. Alia vero hujus formae nomina pluralia sunt in statu constructo posita, juxta formam Syriacam, quale exemplum occurret infra XX, 4.

10. In verborum וְהָיוּ שָׁתֹתֶיהָ מְדֻכָּאִים explicatione mirum est, quantopere differant interpretes. Vocabulum שָׁתֹתֶיהָ multi referunt ad verbum שָׁתָה *bibit*. Ad quos tamen non est referendus cum Vitringa Alexandrinus, quasi is verba nostra verterit: καὶ πάντες οἱ τὸν ζῦθον ποιοῦντες λυπηθήσονται, nam ita reddidit potius quae in textu nostro sequuntur: כָּל־עֹשֵׂי שֶׂכֶר אַגְמֵי־נָפֶשׁ. Quomodo nostra verba Alexandrinus verterit, deinceps videbimus.

bimus. Doederlein a שָׁתָה, *bibere*, שתות significare censet *id, quod potui parando aptum est*, fruges, ex quibus potus coquitur. Similis est *Fabri* sententia, loco supra citato, quamquam alia via incedentis: pro שָׁתֹתֶיהָ legit שָׁתוֹתֶיהָ, idque illustrat ex Syriaco ܫܬܐ, quod in Castell. Lexico Heptagl. quidem *vitis*, *propago* exponitur, sed incertae est significationis; vid. J. D. Michaelis not. ad Castell. Praeterea vitium cultura omnibus fere temporibus in Aegypto erat mediocris (vid. Warnekrosii *Commentat. de fertilitate Palaestinae comparata cum Aegypti fertil.* §. X. in Eichhornii *Repertorio* P. XIV. p. 288 seqq.), nec tanti momenti, quae digna fuerit, ut a vate hic memoraretur. Ad radicem שָׁתָה vocabulum nostrum refert quoque Dathius, sed legendum arbitratur in participio Hiphil: מַשְׁתִיהָ, *Zythopoei, die Brauer Aegyptens.* Quae mutatio audacior est quam ut probari possit, nec confirmatur ullius aut codicis aut prisci interpretis testimonio. Ad שָׁתָה *bibit* retulit et Hieronymus, qui vertit: *et erunt irrigua flacentia.* Saadias: ويصير رياضها ضعيفة *et fient prata ejus debilia*, i. e. languida. Aquila: *αἱ ἀποθῆκαι αὐτῆς τεταπεινωμέναι.* Respexit significationem verbi שׁוּת, *ponere.* Theodotion: *ταπεινὰ αὐτῆς τεταπεινωμένα,* item ad שׁוּת respiciens, quasi שָׁתָה esset *fundamentum*, i. e. infimum. A שׁוּת, *ponere*, Clericus quoque vertit *nassas*, quia in iis pisces reponuntur. Sed nulla harum interpretationum efficit bonum sensum. Veri propius, quod habet Chaldaeus, qui pro vocabulo Hebraeo ponit אֲתַר בֵּית שָׁתֵי מַחָא, *locus texentium texturam, ein Weberstuhl.* Hinc verti possit: *machinae* Aegypti *textoriae contritae*, i. e. destructae. Et id placuit Henslero: *die Weberstühle zerschlägt man.* Verum quia in toto hoc contextu non de *instrumentis*, sed de *hominibus*, artes exercentibus, sermo est, et verbum דָּכָא plerumque de

de *animi contristratione* et *perturbatione* usurpatur, equidem, auctore Koppio, שָׁתֹתֶיהָ, *textores ejus*, Aegypti, legere mallem, a שָׁתָה, quod conferendum cum Syriaco ܫܬܐ, *texuit*, unde ܫܬܝܐ, *textura*, Chald. שְׁתִי, *stamen*, et Arab. سَتَاةٌ, *stamen telae*. Quem sensum expressit Alexandrinus dum vertit: καὶ ἔσονται οἱ ἐργαζόμενοι αὐτὰ (scil. λίνον καὶ βύσσον, quorum vs. praeced. mentio erat facta) ἐν ὀδύνῃ. In verbis כָּל־עֹשֵׂי שֶׂכֶר אַגְמֵי נָפֶשׁ haud minor tum lectionis quam interpretationis diversitas invenitur. Primum pro עֹשֵׂי pauci codd. legunt in singul. עֹשֵׂה, deinde pro שֶׂכֶר Alexandrinus et Syrus legerunt שֵׁכָר, *Sicera*, de quo potu vid. ad Levit. X, 9. Nam vocem ipsam ܫܟܪܐ ponit Syrus, et Alexandrinum eodem modo legisse, patet ex eo, quod ζῦθον posuit. Hieronymus in *Commentar*, ad h. l.: *notandum, quod pro* lacunis LXX. ζῦθον *transtulerunt, quod genus est potionis ex frugibus aquaque confectum, et vulgo in Dalmatiae Pannoniaeque provinciis gentili barbarorum sermone appellatur* Sabajum. *Hoc maxime utuntur Aegyptii.* Eandem lectionem, שֵׁכָר, exhibent biblia Roberti Stephani in 4., Veneta, 1766., Pisana, 1781. Praeferunt eam lectioni receptae Michaelis, Doederlein, Henslerus. Biblia Brixiensia legunt שֶׁבֶר, *rupturam*, quod ut variam lectionem sistunt ad marginem Bombergiana utraque anni 1518. Sed nobis quidem haec lectio sensum sanum non videtur exhibere. Quod nos legimus, שֶׂכֶר, Chaldaeus interpretatus est סִכְרָא, *excipulum*, *lacunam*, quod ipsum vocabulum latinum posuit Vulgatus. Retulerunt hi vocem שֶׂכֶר ad סָכַר, *occludere*, *obturare* Genes. VIII, 2. (conf. not. supra ad vs. 4.), quasi שֶׂכֶר propr. esset *clausura aquarum*. Sic Jarchius, qui nomen hebraeum gallico *esclus* exponit, additque: „claudebant enim (Aegyptii) aquas egredientes extra ripam fluminis (Nili), quae dein sese ex-

extendebant, atque ſtagnum efficiebant aquarum collectarum, in quibus multi piſces erant. Dicit igitur vates, fundamenta (שָׁתוֹת) foſſarum, quas illi foderant, contritum iri, et diruenda eſſe ſtagna concluſa ab ipſis facta.“ Quod ſequutus Saadias עֹשֵׂי שֶׂכֶר vertit: صناع السكور *facientes aggeres*, ſ. *obices*, quibus aquae concluduntur. Ad radicem סָכַךְ nomen שֶׂכֶר refert quoque Vitringa, qui vero illud *rete circumcludens* interpretatur. Rectius, noſtra quidem ſententia, Ludov. de Dieu שֶׂכֶר *mercedem* vertit, qua ſignificatione occurrit Proverb. XI, 19. עֹשֵׂי שֶׂכֶר igitur erunt *facientes quaeſtum*, quod ſane optime huic contextui convenit. Nam quemadmodum ante de lini opificibus ac textoribus dicitur, magnam eos rerum et fortunarum ſuarum ruinam paſſuros eſſe, ita nunc de *omnibus*, *qui quaeſtum* ea re *facerent*, eos fore אַגְמֵי נָפֶשׁ. Quae verba Chaldaeus vertit: וְכָנְשִׁין מַיָּא גְּבַר לְנַפְשֵׁיהּ, et *congregabunt aquas unusquisque ſibi ipſi*, quod quam parum aptum huic loco ſit, quisque ſentiet. Ex Hebraeis multi אַגְמֵי vertunt *paludes*, *ſtagna*, qua ſignificatione אֲגַמִּים occurrit Exod. VII, 19., et ſub אַגְמֵי־נָפֶשׁ intelligunt *ſtagna voluptatis* cauſſa facta, qualia refrigerii ergo etiamnum in hortis et viridariis Orientalium inveniuntur. Jarchius *ſtagna quieta* interpretatur, i. e. quorum aquae quieſcunt et uno in loco ſtant. Nomini נֶפֶשׁ *quietis* ſignificatum tribuit e loco Exod. XXIII. 12., ubi tamen verbum נָפַשׁ potius *reſpirandi*, *recreandi ſe*, quam *quieſcendi* notionem habet. Alii vertunt *ſtagna animae*, i. e. animantium viventium, piſcium, cujusmodi ſtagna ſive piſcinas Latini *vivaria* appellant, Graeci ζωοτροφεῖα. Aben-Esra: האגמים שׂם נפשות דגים, *ſtagna*, *in quibus piſces viventes ſervantur*. Idem placuit Vitringae, comma noſtrum vertenti: *omnes facientes retia vivariorum*. Alio modo Nic. Guil. Schroederus in *Commentar.*

mentar. de vestitu mulier. Hebr. Cap. X. §. 6. p. 151. verba nostra interpretatur, hanc integri versus versionem et explicationem reddens: „*Erunt stamina ejus contrita, et facientibus retia stagna odoris;* vel, si mavis, *et ad facientes retia* quod adtinet, iis erunt *stagna odoris*, aut *foetoris*, nam aquae olentes non sunt nisi quae foetent. Ut sensus sit: *frustra, et in vanum piscatores Aegyptii retia contexent, et parabunt; ea nulli ipsis usui erunt, nam stagna foetida pisces non alent.* Sic forte respiceretur ad aquas Aegypti foetentes, et mortuos hinc pisces, Exod. VII, 21., propheta Aegyptiis plagam, haud absimilem ei, quae ipsos jam olim adflixerat, intentante.“ Sed vix dubium esse potest, verbis אַגְמֵי נָפֶשׁ ejusmodi aliquid, quod vocabulo מְדַכְּאִים in sententia praecedenti respondeat, affectionemque animi, qualis in rebus angustis esse solet, denotare. Ejus generis significatum tribuit etiam illis Alexandrinus, cum per τὰς ψυχὰς πονέσασι vertit. Optime vero explicavit Kimchius comparatione cum Jobi XXX, 25. instituta, quo in loco eadem fere dictio, עָגְמָה נַפְשִׁי legitur. Videntur enim omnino, recte observante J. F. Schelling in *Animadverss. philologico-critt. in difficiliora Jesajae loca* p. 62., verba אגם et עגם eadem plane esse, solaque scriptionis ratione differre. Chaldaeis certe אֲגַם idem plane significat, quod in loco illo Jobi עָגַם, atque etiam Arabicae radices أجم (quo verbo hic Saadias est usus) *taediosum* quid *habuit, pertaesus fuit*, et وجم *dolorem concepit* ex aliqua re, *abhorruit, ingratam habuit* rem, ejus notionis aliquid servarunt. Exempla permutationis א et ע inter se non in diversis tantum, sed in una eademque dialecto sunt גְּמָא et גְּמַע *absorbere* apud Chaldaeos, جلا et جلع *retegere*

gere apud Arabes, מְתָאֵב et מְתָעֵב (Amos VI, 8. Jesaj. XLIX, 7.) *abominatus* apud Hebraeos.

11. Consilii inopiam apud Aegyptios nunc vates depingit, et ita quidem, ut oratio ejus continuo surgat. Vocula אַךְ hic vertenda est *enimvero*, *certe*, obtinet enim haec particula in initio sententiae significationem *asseverationis*. אֱוִלִים sunt *stolidi*, *mente perturbati*. Arabibus quidem آل pro أول med. *Vav*, אֱוִיל propr. est *incrassuit liquor*, idem quod خثر; quod postremum transfertur ad animum *turbatum*, *confusum*, *sui minus compotem*. Utriusque verbi participium آيل pro آاول, אֱוִיל, et خاثر, חֹשֵׁר propr. *incrassatus*, *crassescens*, commode usurpatur pro *stolido*, cui *judicium turbatum*, *corruptum*, ac quasi *incrassatum*. Sic fere Graecis παχὺς, *spissus*, *crassus*, ad *stupidum*, *stolidumve* transiit. Vid. Schultens. ad Job. V, 3. p. 131. Aliis אֱוִלִים sunt propr. *deficientes* scil. via recta, a *desciscendi*, *deficiendi* notione, quam verbum illud arabicum آل habet. Per שָׂרֵי־צֹעַן haud dubie intelligendi sunt primariae dignitatis homines, qui apud aulam regiam in urbe *Tani*, et, ut mox vs. 13. *Memphi*, regibus Aegypti erant a consiliis, vel ipsarum harum urbium proceres, praefecti Nomorum, nobilioribus domibus orti. De צֹעַן, veterum Aegyptiorum Τανις, recentiorum *Mansora*, vid. not. ad Ezech. XXX, 14. et Num. XIII, 22. Add. *l'Egypte sous les Pharaons par* Champollion, T. II. p. 101 seqq. Alexandrini hic et alias recte pro צֹעַן habent Τάνις, et Chaldaeus quoque Paraphrastes טָאנִס ponit. Quod autem hujus urbis potius meminerit propheta, quam alius cujusdam, ut mox (vs. 13) Memphis, ratio haec est, quod urbes essent

celebriores, aulisque regiis a longissimo tempore decoratae, atque Judaeis notissimae. חַכְמֵי יֹעֲצֵי פַרְעֹה עֵצָה נִבְעָרָה] Lowthio in hoc commate verbum deficere videtur, quod in codice suo lectum putat ab interprete latino, qui habet: *sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens*, hinc verba constituenda arbitratur ita: חַכְמֵי פַרְעֹה יֹעֲצֵי עֵצָה נִבְעָרָה, *sapientes Pharaonis, consiliarii consilii brutescentis.* Verum nec additamento, nec transpositione opus habemus. Verti enim potest vel sic: *quod adtinet ad sapientes consiliarios Pharaonis, consilium eorum obbrutuit*; vel sic, ut haec verba conjungantur cum praecedentibus: *stulti sunt principes Tanis, sapientissimique quique consiliariorum Pharaonis; consilium obbrutuit*; ita Vitringa. Chaldaeus יֹעֲצֵי transtulit non substantive, sed participialiter: *sapientes, qui consuluerunt Pharaoni consilium erroris*, in eandemque sententiam Syrus, atque ex illo nata Hieronymi interpretatio videtur, *sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens.* Ceterum verborum חַכְמֵי יֹעֲצֵי פַרְעֹה constructio non est inusitata, scilicet, ut duo nomina in statu regiminis conjunctim ponantur, et genitivus sequatur, qui utrique communis est. In tali locutione genitivus ex voce sequenti ad antecedentem etiam est subaudiendus, veluti Job. XX, 17. *Ne spectet rivos*, נַהֲרֵי נַחֲלֵי דְבַשׁ *flumina, torrentes mellis et butyri*, i. e. flumina mellis et torrentes mellis. Ps. XXXV, 16. בְּחַנְפֵי לַעֲגֵי מָעוֹג, *inter hypocritas sanniones placentae*, i. e. inter hypocritas cibi, sanniones cibi, parasitos intelligit, qui gulae caussa aliis adulantur. Vid. Glassii *Phil. Sacr. Append. Gramm. S.* Tract. II. de figur. Grammatt. Obs. XII. p. 639. ed. Dath. et Buxtorfii *Thesaur. Gramm.* L. II. Cap. III. p. 363. עֵצָה נִבְעָרָה recte vertitur *consilium obbrutescens*, est enim haec significatio genuina verbi נִבְעָרָה, ut patet ex Jerem. X, 14. 21. LI, 17. et

ex

ex usu recepto vocis בַּעַר. Dicitur autem *consilium brutum*, in quo nihil est rationis, nihil sanitatis et prudentiae. Verba quae sequuntur, בֶּן־חֲכָמִים אֲנִי בֶּן־מַלְכֵי קֶדֶם si ad litteram vertantur, *filius sapientum ego sum, filius regum antiquorum;* orationi difficultas subest: nam cum hic ὀνειδισμὸς seu μυκτηρισμὸς dirigatur ad *consiliarios Pharaonis*, sua sapientia gloriantes, quibus membrum prius bene convenit; quomodo in eos cadit, quod additur, *filius regum antiquorum?* Illos Pharaonis consiliarios sese jactasse, se, cum Maecenate Augusti, *atavis editos esse regibus*, parum videri queat probabile, et, dum sapientiam jactant, parum etiam ad rem facere, quia nobilitas ortus non necessario illorum commendabat sapientiam, qua hic unice finguntur gloriari. Quam difficultatem Chaldaeus interpres ita tollere conatus est, ut in posteriore sententiae parte ellipsin statueret, et locum ita conciperet: *quomodo dicitis Pharaoni:* בְּנֵי חַכִּימִין אֲנַחְנָא וְאַתְּ בַּר מַלְכִין דְּמִלְּקַדְמִין *filii sapientum sumus, et tu filius regum priscorum.* Eodem plane modo Saadias. Idem sequitur Jarchius, qui haec verba ita exponit: „nunc Pharaoni vestrum unusquisque de se ipso dicit: filius sapientum ego sum; postquam autem ille per vestra consilia ceciderit, quomodo gloriabimini coram eo dicentes: filii sapientum sumus, tu autem es filius regum antiquissimorum." Sed durior est ista ellipsis, et quod in textu hebraeo nomen בֵּן utrobique in *singulari* ponitur, satis arguit, unum idemque designari subjectum. Kimchius verba haec: *filius sapientum sum, filius regum antiquorum*, vult esse verba non *consiliariorum*, sed *Pharaonis*. Quod autem propheta habet: *quomodo dicitis Pharaoni?* ita accipi vult: quomodo dicitis in persona Pharaonis, sive, בעבור פרעה, *causa Pharaonis*, ejus quasi personam sustinentes. Ad Kimchium proxime accedunt, qui hunc faciunt sensum dicti prophetici: *quomodo dicitis Pharaoni*, i. e.

i. e. quomodo facitis, ut dicat Pharao, adulationibus et assentationibus vestris haec verba ei praeeuntes, ut non tam suo, quam vestro ore illud dicat. Glassius *Philol. S.* p. 205. ed. Dath. ita haec effert: cur occasionem praebetis, et adulatione vestra efficitis; ut talia de se cogitet Pharao, et gloriabundus proferat? adducitque plura exempla verborum, quae *actionem* notant, sed quae per occasionem interpretanda sunt. Veluti Ps. LXXVI, 11. ad quem loc. vid. not. Quae quidem ratio nobis prae ceteris probatur, quum Plutarchus in libro *de Iside et Osir.* p. 353. doceat plerosque reges Aegypti sacerdotum, adeoque sapientum, ordini fuisse adscriptos, ac Herodotus (II, 141.) Sethonem, Aegypti regem tempore Hiskiae, Vulcani sacerdotem fuisse testetur. Vitringa vocem מֶלֶךְ h. l. vult genuina sua significatione sumendam, qua notet *consiliarium*, unde deinde *regibus* nomen inditum sit. Receptissima haec est significatio in dialecto Chaldaica, et usurpatur quoque hoc sensu in libro Danielis in oratione ejus ad Nebucadnezarem, IV, 24. מִלְכִּי יִשְׁפַּר עֲלָךְ, *consilium meum tibi placeat:* et Nehem. V, 7. וַיִּמָּלֵךְ לִבִּי עָלַי, *et consilium iniit apud me cor meum.* Hinc verba nostra vertit: *filius consiliariorum priscorum.* Sed nomen מֶלֶךְ de *consiliario* usurpatum fuisse, nullo exemplo probari potest. *Grotius* quoque *filiis regum antiquorum* intelligit *consiliarios*, sed hanc affert rationem cur illi dicere potuerint, *se esse filios regum antiquorum*, quod *multi sacerdotes Aegyptii genus suum ad reges retulissent.*

12. Pro וְיַגִּידוּ duo codd. Kennicott. יָבֹאוּ וְיַגִּידוּ, *veniant et annuncient*, exhibent. Placet Lowthio, favetque nexus verbi יַגִּידוּ. Sed vetustae versiones non legunt, ac repetitum videtur Doederlinio ex Cap. XLV, 20. וְיֵדְעוּ *Et cognoscant.* Verbum יָדַע hic usurpatur de re non praeterita, sed de futura, ut idem valeat,

quod,

quod, *solerter indagare, explorare.* Sic sumitur Jerem. V, 1. *Obite vicos Hierosolymorum, et videte, quaeso,* ודעו, *et cognoscite*, explorate, solerter indagate, *et quaerite in plateis ejus etc.* Alexandrini εἰπάτωσαν verterunt, et cum iis Vulgatus, *indicent*, quasi legissent ויגידו, quod Seckerus et Lowthus probant. Placet quoque id Koppio, hoc tamen discrimine, quod is וְיִרְעוּ sine novae litterae additamento pro futuro Hiphil defective scripto habet, quod igitur punctis instruendum sit his, יֹרְעוּ sive יוֹרִעוּ, coll. Job. XXXVIII, 12. Ad hanc sententiam Michaelis quoque propensus est, in *Append.* ad Tom. XIV. *Bibl. Orient.* p. 31., quamquam ipse agnoscit, non opus esse hac mutatione punctorum. Sive enim vertas: *ut indicent et cognoscant;* sive, *age, indicent, explorent*, utrumque sensum bonum exhibet.

13. נִשְּׁאוּ שָׂרֵי נֹף *Decepti sunt principes Memphios.* De נֹף, s. מֹף *Memphis*, vid. not. ad Ezech. XXX, 13. Hos. IX, 6. cf. et Simonis *Onomastic.* V. T. p. 598. Forsteri *Epistoll. ad Michaelem* p. 34., Michaelis in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* P. V. p. 1536, et Champollion *l'Egypte sous les Pharaons* T. I. p. 336 seqq. Erat autem *Memphis* urbs celeberrima, et post Thebas maxima totius Aegypti; superioris Aegypti metropolis, commodissime sita ad ripam Nili occidentalem, supra τὴν *Delta*, ubi Nilus se dividit in alveos, qui Aegyptum inferiorem circumscribunt. Ceterum Memphis non est confundenda cum urbe Aegypti hoc tempore celebratissima *Cahira*, ut multi fecerunt; *Memphis* enim ad ipsum Nilum aedificata erat, Cahira vero ad canalem ex Nilo ductum sita est. וְהִתְעוּ אֶת־מִצְרַיִם פִּנַּת שְׁבָטֶיהָ *Errare fecerunt Aegyptum primarii tribuum ejus.* ו ante הִתְעוּ omittunt multi libri et scripti et impressi. Norzius, qui commentarium criticum in omnes V. T. libros composuit, una cum textu sacro editum Man-

Mantuae, 1742., lectionem וְהִתְעוּ merum editionu recentiorum mendum existimat, nec negari potest, pl rosque codices, et hispanos accuratiores nexum omi tere. Extant tamen, teste de Rossio, codd. mss. et ant qui, et hispani, qui illum exhibent, quibus Alexandrin Aquila, Symmachus, Theodotion et Syrus accensenc sunt. Quod autem commatis hujus sensum adtinet, d illo non consentiunt interpretes. Alexandrinus: *καὶ πλανήσουσιν Αἴγυπτον κατὰ φυλὰς, et decipient Aegyptun per tribus.* Neglexit vocem פִּנַּת, quam non intellexit et relativum in voce שְׁבָטֶיהָ. Hieronymus multo rectius *errare fecerunt Aegyptum, angulum tribuum ejus,* ubi per *angulum tribuum* Aegypti intelligit ipsum *regnum Aegypti*, quatenus plures populos continet et inter se devincit. Doederlinio queque פִּנַּת שְׁבָטֶיהָ dictio periphrastica videtur, quae nihil aliud significet, quam simpliciter שְׁבָטֶיהָ, i. e. *nomos Aegypti*, Arabibus enim فَنَّنَ significare, *gentes per classes distribuere*, inde פִּנּוֹת esse *classes* Judic. XX, 2.; quare vertit: *et universos nomos in errorem deducunt*, scil. magnates Memphitici. Sed פִּנּוֹת citato Judicum loco sunt *primarii, principes.* Sensum recte expressit Chaldaeus, *deceperunt Aegyptios* רַבְּנֵי פִּלְכְהָא, *principes provinciarum ejus.* Apposite Saadias أَرْكَانَ أَفْخَاذِهَا propr. *anguli tribuum ejus* (Aegypti) posuit. Nam رُكْن *angulus*, cujus Pluralis fractus s. collectivum est أَرْكَان, Arabibus saepe dicitur de viris primariis, civitatis fulcimentis; unde رُكْن الدَّوْلَة *Rocnod-daulat, angulus imperii*, frequens est principum inter Mohammedanos cognomen. Et in Corano Sur. LI, 39. رُكْن vocantur Pharaonis consiliarii et proceres. Ita et Hebraeis *angulus* cum re-

respectu ad populum dicitur *vir primarius*, eximius, five ad duces exercitus, five ad rectores populi referatur. Sic apud Zachariam X, 4. *ex ipso* (scil. populo Judaico) exibit פִּנָּה, *angulus*, *ex ipso clavus*, h. e. duces exercitus et rectores populi. Conf. Pf. CXVIII, 22. Jefaj. XXVIII, 16. et not. ad Zeph. III, 6. שִׁבְטֵי מִצְרַיִם *tribus Aegypti* funt hic ipfi *nomi*, five praefecturae, in quas descripta erat tota Aegyptus, et *anguli tribuum Aegypti* fapientiffimi et primarii in quoque nomo viri, quorum confiliis videbatur ftare falus populi. Grotius pro פִּנַּת legendum putat in Plurali פִּנּוֹת, adducitque locum Judd. XX, 2., ubi פִּנּוֹת כָּל־הָעָם *totius populi anguli* dicuntur proceres populi. In Plurali Lowthus quoque et Henslerus legendum cenfent. Sine neceffitate; nihil enim frequentius in fcriptoribus Hebraicis, quam de pluribus *collective* loqui in *numero fingulari*, cui recte aptatur verbum *numeri pluralis*, perinde ac pluribus frequenter dant verbum *numeri fingularis*, distributive interpretandum, ita ut fenfus fit, *quisque angulorum tribuum Aegypti eam fecerunt errare.* Exempla fimilia extant 2 Sam. XIX, 42. וְהִנֵּה כָּל־אִישׁ יִשְׂרָאֵל בָּאִים אֶל־הַמֶּלֶךְ *omnis vir Ifraelita veniebant ad regem;* et Num. XXXI, 35. וְנֶפֶשׁ אֲשֶׁר לֹא־יָדְעוּ, *et perfona quae non cognoverunt.*

14. יְהוָה מָסַךְ בְּקִרְבָּהּ רוּחַ עִוְעִים *Jova mifcuit in medio ejus fpiritum vertiginis.* Suffixum הּ in קִרְבָּהּ ad אֶרֶץ מִצְרַיִם eft referendum, unde inutilis eft Lowthi conjectura, legendum effe בְּקִרְבָּם; teftem quidem adducit Chaldaeum, fed is recte de *incolis* cogitavit, et liberius tantummodo vertit. Vox עִוְעִים a verbo עָוָה, quod conferendum eft cum Arab. عوى, *erravit*, *feductus fuit*, *viam obliquam inivit* (conf. van der Sloot et Pocock. ad Carm. Tograi vs. 16.), notat *perverfitatem fummam*, nam geminatio fignificationem auget,

vid.

vid. not. supra ad Cap. II, 20. Sed cum in hoc commate ceterae dictiones de *potu inebriante* et *ebrietate* sint desumtae, apte Vulgatus vertit *spiritus vertiginis.* Saadias: اَللّٰهُ مَزَجَ بَيْنَهُمْ رَأْيَ اَلتَّشْوِيشْ *Deus miscuit inter eos consilium conturbationis.* Recte Grotius. „*dominus miscuit in iis spiritum vertiginis*, nempe ut undecim illi reges nihil in commune consulerent, sed dum pugnant singuli, vincerentur universi.“ כְּהִתָּעוֹת שִׁכּוֹר בְּקִיאוֹ *Sicut errat ebrius in vomitu suo.* Persistit in similitudine incepta. Potus ille spiritu vertiginis mixtus titubare facit consiliarios Pharaonis et sapientes Aegypti, quemadmodum in ebrio vertigo capitis omnem sensum turbat, et hominem plane ineptum facit administrandis corporis suis motibus.

15. Sensus est, tantam fore confusionem in republica, et perturbationem judicii, et consilii inopiam, u
in tota republica nemo futurus sit vir, politici aut sacer
dotalis ordinis, aptus ad honestum et salutare consiliun
expediendum. Per *caput* intelliguntur *politici*, pe
caudam ordinis *sacerdotalis* homines, et iidem hi hau
dubie per *ramos* et *juncos*, uti jam monuimus ad Ca
IX, 13. 14. ubi eadem locutio proverbialis occurri
Chaldaeus hunc versum ita expressit: לָא יְהֵי לְמִצְרַיִם
מִלְּתָא דִּימַלַּךְ רֵישׁ וְהֵיגְמוֹן שִׁלְטוֹן וְאִמְרוֹן *et non er*
Aegypto consilium quod consultet princeps, aut du
praefectus et dominator.

16. יִהְיֶה מִצְרַיִם כַּנָּשִׁים *Erit Aegyptus instar m*
lierum. Hac dictione poetae Hebraei saepius exp
munt summam ignaviam summumque pavorem; velu
Jerem. LI, 30. Nahum. III, 13. Pro יִהְיֶה referen
Lowtho codex Bodlejanus legit יִהְיוּ, quod Alexandri
quoque et Chaldaeo lectum fuisse putat. Sed vid. sup
ad vs. 14. Addit, trepidaturos esse Aegyptios ב
לְפַת

תְּנוּפַת יַד־יְהוָה *propter agitationem manus Jovae* contra Aegyptum. *Agitare manum adversus aliquem* vel est *minitantis*, vel actu quem elata manu *aggredientis*, eumque *percutientis*, quo posteriore sensu passim in V. T. accipi, vidimus ad Cap. X, 32. XI, 15. Chaldaeus: וְיִתַּבְּרוּן מִן קֳדָם אֲרָמוּת גְּבוּרַת דַּיְיָ *et conterentur ab elevatione potentiae Jovae.*

17. וְהָיְתָה אַדְמַת יְהוּדָה לְמִצְרַיִם לְחָגָּא *Eritque terra Judae Aegypto terrori.* Nominis חָגָּא, licet hoc solo loco obvii, significatus e contextu orationis facile definitur, unde veteres interpretes in *pavoris*, *timoris* notione illi subjicienda fere consentiunt. LXX. εἰς φόβητρον, *in terriculamentum.* Hieronymus *in pavorem* vertit, et in Commentario scribit: „In Hebraico legitur *Agga*, quod interpretari potest et *festivitas*, et *timor*, quod significantius. Aquila transtulit γύρωσιν, quum aliquis pavidus et tremens circumfert oculos, et advenientem formidat inimicum.“ Sane חָגַג ut חוּג est *circumire*, sed quod latius sumitur de omni *nutatione*, qua quis, status impatiens, se commovit et convertit, quod accidit trepidantibus. Sic usurpatur Ps. CVII, 27. de iis qui magna saeviente tempestate agitantur mari, quo loco collato Kimchius nomini חָגָּא notionem תנועה הפחד ורעדה *commotionis*, *timoris et trepidationis*, et Jarchius, חבר אימה ופחד *confractionis*, *pavoris et timoris* tribuit. Chaldaeus לְדַחְלָא *in pavorem.* Hunc antiquiorum interpretum consensum primus divellit A. Schultens, qui in *Animadverss. pilologg.* ad h. l. Primo minus firmam esse argumentationem ait, qua ex sequenti יִפְחַד *ad pavoris* significationem in voce חָגָּא concludatur, quum vel hoc ipsum verbum non semper pavorem illum, mentem loco moventem, designet, sed ad *festinationem* saepe et *accelerationem* pertineat, quo sensu et Hos. III, 5. occurrat. Verum deinde significa-

tum vocis חָגָּא eundem esse autumat, qui arabici nominis ملتجأ sit, *refugii* nimirum, sive *asyli*, a radice لجأ *confugere*, sensumque orationis propheticae hunc constituit: *eritque terra Juda Aegypto in refugium: quum quis ejus*, tanquam asyli, *mentionem fecerit*, vel, *eam* tanquam asylum *celebraverit*, *ad eum accurretur*, trepidabitur. Difficile vero est intellectu, cur ad eum potius, qui eam, tanquam asylum, *celebraturus* sit, quam ad asylum ipsum properatum iri diceretur a propheta. In hoc itaque, quum ceteroquin *in explicatione* vocis חָגָּא ipsius cum Schultensio consentirent, dissenserunt ab eo Doederlinius. Dathius et Michaelis, malueruntque suffixum vocis אֵלָיו, generis licet diversitas obstet, ad *terram Judae* referre. Neque vero haec unica difficultas est, quae Schultensianam premit sententiam, sed aeque difficile est explicatu, quomodo a radice חגא forma חָגָּא nasci potuerit. Quam ob caussam J. D. Michaelis in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* p. 667, quod, haec si puncta vocalia admittantur, ad radicem חגג referendam potius vocem esse perspiceret, alia substituenda legendumque esse חָגָא statuit. Idem vero etiam monet, factam hic esse, ut saepe, duarum lectionum confusionem, punctis lectionis חָגָּה literis חגא substratis. Et חָגָּה quidem servarunt quinque codd. Kennicottiani, et duo libri impressi. חָגָּה autem Michaelis l. c. p. 671. collato Arabico حجا *terrae impingere pedem* interpretatur *lapsum*, ut dicat vates, terram Judaicam Aegyptiis fore offensioni, damno et periculo. Schelling contra in *Animadverss.* ad h. l. p. 66., licet et ipse חָגָּא legendum censeat, a Michaele in eo discedit, quod nomen illud e verbo Arabico حجا illustrandum vult, quod dicitur de iis, qui *peregrinationem sacram*, speciatim

ciatim Meccanam, aut Hierosolymitanam, *suscipiunt*, habentque etiam nomina حَجَّةٌ, حَجّ, حِجّ eundem *peregrinationis religiosae* significatum. Quem ipsum et apud Hebraeos obtinuisse חָגַג; probat e Psalmo XLII, 5., ubi הָמוֹן חוֹגֵג est turba hominum ad festum Hierosolymis celebrandum proficiscentium. Unde locum nostrum ita vertit: *et erit terra Judaea Aegyptiis ea, quo sacras peregrinationes suscipient;* quemadmodum Zach. XIV, 16. de pluribus gentibus, quae Judaeis quondam infensae fuissent, speciatim vero vs. 18 de ipsis Aegyptiis ad tabernaculorum festum eos Hierosolymam ituros esse diserte praedicitur. Ad reliqua hujus versus verba recte observat Schelling, אֵלָיו minime ad terram Judaicam posse referri; quomodo enim haec terra in una eademque sententia, quin in duabus vocibus proxime se excipientibus, pronominibus diversi generis, feminino in אֹתָהּ, et masculino in אֵלָיו designari possit? Ad כֹּל אֲשֶׁר potius suffixum vocis אֵלָיו respicere certum est, ut verba כֹּל אֲשֶׁר יַזְכִּיר אֹתָהּ אֵלָיו יִפְחָד ita sint vertenda: *quisquis eam commemorabit eum cum reverentia audient.* פָּחַד enim cum אֵלָיו conjunctum hic de *religiosa* illa *reverentia*, qua quis ab ore alicujus pendet, intelligendum est, idemque valet, quod dictio plane similis infra LXVI, 2. 5. חָרֵד עַל־דְּבָרִי *trepidans propter verbum meum.* De Aegypto itaque dicitur, eam cum reverentia audituram vel solam terrae Judaicae, si qua fiat, commemorationem, quemadmodum et suffixum extremae vocis עָלָיו ad eandem spectat. Neque huic obstat masculinum verbi יִפְחָד, tum hujus suffixi genus. Quamvis enim regionum terrarumque nomina alias sint feminina, saepe tamen quod non tam terra ipsa, quam populus eam incolens innuitur, per synesin ad intellectum magis, quam ad grammaticam rationem conformatur constructio. *Consilii, quod Jova super*

Aegypto cepisset, versu jam 12. mentio facta erat. Hic igitur, quae modo denuntiarat propheta, *pro eodem Dei omnipotentis consilio* certo eventura esse confirmatur.

18. בַּיּוֹם הַהוּא *Illo die* hic latius capiendum est, pro *circa* s. potius *post illud tempus*, plane ut Jes. IV, 2. Sermo enim hic est de *tempore*, quod afflictionem in superioribus descriptam sequetur, post restitutam rempublicam. Verbis, quae subjiciuntur, fore, ut *in terra Aegypto quinque sint urbes lingua Cananaeá loquuturae et Jovae juraturae*, non est dubium hoc significari, magnam gentis partem a superstitione et idolorum cultu ad Dei Israelis cultum conversum iri. חָמֵשׁ עָרִים *Quinque urbes* positae sunt pro *pluribus urbibus*, numero definito pro indefinito, quod solenne poetis. Sic Levit. XXVI, 8. dicitur, *quinque* ex Hebraeis centum persequuturos esse hostes. שְׂפַת כְּנַעַן *Lingua Cananaea*, est *Hebraea*, quae appellatur *Cananaea*, sive quod eadem esset quae *Phoenicia* sive *Cananitarum*, veterum hujus terrae incolarum, qui illo tempore adhuc supererant in Tyriis et Sidoniis; sive simpliciter, quod Abrahamidarum esset, *terram Canaanis* (אֶרֶץ כְּנַעַן) incolentium, et tunc locutioni subest ellipsis, et שְׂפַת כְּנַעַן idem valet, quod שְׂפַת אֶרֶץ כְּנַעַן, quae ellipsis non est inusitata Hebraeis, veluti Exod. XV, 15. נָמֹגוּ כֹּל יֹשְׁבֵי כְנָעַן *diffluent omnes incolae Canaanis*, i. e. אֶרֶץ כְּנַעַן. Ceterum vates phrasin, *Aegyptios locuturos lingua Cananaea*, haud dubie translate usurpavit, ut significaret, fore, ut Jova, Israelitarum Deus, in Aegypto colatur, *loquela* igitur ut cum Vitringa loquar, hic est *realis*, non *verbalis*, perinde ac vox in pluribus aliis locis sumitur, vid. Vitringae *Observatt. SS.* Lib. I. Cap. IX §. VII. VIII. Sic Prov. XII, 19. שְׂפַת אֱמֶת, est *labium veritatis*, sermo verus; Ps. XII, 3. שְׂפַת חֲלָקוֹת, *labium blanditatis*, oratio

oratio blanda et fallax; et Prov. XIX, 1. עִקֵּשׁ שְׂפָתָיו, *perversus labiis suis*, qui falsa et non consentientia loquitur. Similis nostro loco est ille Zephan. III, 9. *quippe tunc vertam ad populos* שָׂפָה בְרוּרָה *labium purum*, i. e. doctrinam verae religionis. Cf. not. ad eum loc. Id velle vatem nostrum, clarissime patet, et ex totius orationis scopo, et ex iis quae sequuntur. נִשְׁבָּעוֹת לַיהוָה צְבָאוֹת *Jurantes* erunt *Jovae*, jurejurando se Jovae obligabunt ad obsequium, venerationem, omnemque religionis Israeliticae cultum. Cf. Deut. X, 20. infra LXV, 16. Jerem. XII, 16. Ad verba עִיר הַהֶרֶס יֵאָמֵר לְאֶחָת est observandum, pro הרס legi חרס cum *Cheth* in undecim codicibus Kennicottianis, et quinque Rossianis, porro in Bibliis Brixiensibus, Bibliis Munsteri utrisque Hebraeo-latinis, 1534. 1546, sed cum alia lectione ad marginem. החרס notant etiam ad marginem Biblia Veneta 1518. et in Adpend. Basileensia, 1536. Nonnullos codd. mss. Sec. XI. et XII. ita legisse, docet nos Aben-Esra, nec aliter legebant codices Talmudistarum ex tractatu *Menachoth* Fol. 110. ubi hoc vocabulum legitur cum *Heth*. Vid. Kennicotti *Dissertation. General.* §. XXI. pag. 110. et §. CXXVI. pag. 271. ed. Bruns. Ex *priscis interpretibus* חֶרֶס legit Alexandrinus juxta editionem Complutensem, nam ibi invenitur Ἀχερὲς, et qui Alexandrinum constanter sequitur, Arabs in Polyglottis, مدينة عين شمس exhibens, quod hodie nomen est ejus urbis, quam veteres Ἡλίου πόλιν appellarunt, vid. *Michaelis* not. ad Abulfedae Aegypt. p. 25., porro Symmachus, qui habet πόλις ἡλίου, nempe ita interpretatus est חרס, quod *solem* notat Job. IX, 7. Jud. VIII, 13. XIV, 17. *Vulgatus*, *civitas solis*, Saadias قرية حرس *urbs custodiae*. Hieronymus: „*Ares* verbum ambiguum et *testa* dicitur [חֶרֶשׂ], et *sol*, eo quod

quod utrumque areat et siccum sit. Hunc locum non intelligens Onias templum exstruxit in oppido Ἡλιοπόλεως. Lege Josephi Historias [*Antiqq.* L. XIII. Cap. 6. edit. veter. s. C. 3. §. 3. edit. Haverc.; cf. L. XII. Cap. 9. §. 7. et L. XX. Cap. 10.]. Alii *Ares*, id est, ὄστρακον, hoc est, *testam*, urbem *Ostracinem* intelligi volunt, et ceteras juxta Rhinocoruram, et Casium civitates, quas usque hodie in Aegypto lingua Chananitide, hoc est, Syria, loqui manifestum est; et putant e vicino Syros atque Arabas a Nabuchodonosor in illam terram fuisse translatos." Sed quum Ostracine fuerit in extremis Aegypti finibus, nec amplitudine, fama aliisque praerogativis comparanda Heliopoli, Vitringa eam urbem nomine עִיר הַהֶרֶס indicari censet, et id eo quidem magis, quod singularis emphasis accedat in hoc loco, si *Heliopolis* intelligatur. „Quum enim," inquit, „una illa urbs totius Aegypti omnium maxime fuerit dedita superstitioni antiquae gentis, et veluti sedes idololatriae Aegyptiae; παραδοξότατον videbatur, Heliopolin fore inter illas urbes, quae profiterentur verum Deum. Herodotus exerte, cur se contulerit Heliopolin et Thebas [L. II, c. 3.]: Οἱ γὰρ Ἡλιοπολῖται λέγονται Αἰγυπτίων εἶναι λογιώτατοι, *Heliopolitani enim* feruntur *Aegyptiorum esse solertissimi*. Strabo [L. XVII. §. 29.]: *Hanc enim perhibent* κατοικίαν ἱερέων γεγονέναι τὸ παλαιὸν, φιλοσόφων ἀνδρῶν καὶ ἀστρονομικῶν, *olim fuisse sedem sacerdotum, philosophiae et astronomiae operam dantium.*" Quod nos vero in plerisque codd. et libris impressis legimus, הרס, inter veteres exhibent Syrus (ܚܪܣ), Aquila (Θάρες), et Theodotion, πόλις Ἀρές; Praefert hanc lectionem Ikenius, qui in *Dissertat.* de עִיר החרס *et Altari Jovae in media Aegypto ad Jes. XIX*, 18. (in ejus *Dissertatt. Philologico-Theologicis*, P. I. Lugd. Batavor. 1749. Dissertat. XVI. p. 258.) contendit, הרס conferendum

dum esse cum Arabico هَرِس, quod *leonem* significet, עִיר הַהֶרֶס itaque esse *Leontopolin*, nec aliter Oniam, extorrem patriae sacerdotem, Antiochi Epiphanis tempore, intellexisse, qui Jesajae vaticinium, ut ipse quidem putabat, impleturus, significabat Ptolemaeo Philometori, Aegypti regi, se cum Judaeis venisse εἰς Λεόντων πόλιν τὴν Ἡλιοπολίτην, *Leontopolin*, urbem nomi *Heliopolitani*, petiitque libertatem templum Deo suo aedificandi; quam licentiam impetravit quoque referente Josepho, l. c. Haec Ikenii sententia placuit plerisque post eum interpretibus, veluti CHRISTIANO MÜLLERO in *Satura Observatt.* Cap. VI. pag. 65 seqq. Michaeli, Doederlinio et Dathio. Sunt tamen plura, quae huic sententiae obstant. *Primo* enim quod Ikenius contendit, هَرِس absolute *leonem* notare, vellem ab ipso exemplis probatum esset. Nam هَرِس adjectivum est ab هَرَسَ *contudit*, sive media Kesra, هَرِسَ *vehementer edit, vorax fuit*, unde in genere quidem notat vel *contundentem*, vel *voracem*, et de omni animali vorace et rapaci usurpari potest; neque vero voce هَرِس simpliciter posita *leo* denotatur. In Lexicis Golii et Castelli ad h. v. legitur: „vehemens et vorax *leo*;" ubi id ipsum, quod vocabulum *leo* exaratum est *litteris obliquis* (*cursiv* nostrates dicunt), indicat vocabulum illud ut *leonis* tantummodo epitheton usurpari, ut cuique, qui Lexicis illis usus est, cognitum est. Si vero etiam concedamus, هَرِس Arabibus *leonem* notare, certum tamen est, nec in Chaldaica nec in Syriaca dialecto, quippe cum Hebraea arctius connexis, חֶרֶס *leonem* significare: num autem credibile est, vatem, si leonem exprimere voluisset,

ſet, uſum eſſe voce in lingua vernacula plane inuſitata, cum haec ipſa plura *leonis* nomina, ut אֲרִיֵה, ſeu אֲרִי, לַיִשׁ, כְּפִיר, לָבִיא, שַׁחַל, ipſi offerret? *Deinde* in eo errat Ikenius, quod Joſephum narrare dicit, Oniam ideo Leontopoli templum exſtruxiſſe, quod id ipſum in Jeſaja praedictum inveniſſet. Nil tale in Joſepho. Dicit tantummodo *Antt.* L. XIII. Cap. III. §. 3., Oniam Leontopoli templum exſtruendi veniam petiiſſe a Ptolemaeo, *θαρρῶν μάλιστα τῷ προφήτῃ Ἡσαΐᾳ, ὃς ἔτεσιν ἔμπροσθεν ἑξακοσίοις πλέον γεγονὼς, προεῖπεν, ὡς δεῖ πάντως ἐν Αἰγύπτῳ οἰκοδομηθῆναι ναὸν τῷ μεγίστῳ θεῷ ὑπ' ἀνδρὸς Ἰουδαίου*, et mox Oniam ad Ptolemaeum haec ſcripſiſſe refert: petere ſe, ut Leontopoli templum exſtruere Ptolemaeus ipſi concederet, *καὶ γὰρ Ἡσαΐας ὁ προφήτης*, pergit, *τοῦτο προεῖπεν· ἔσται θυσιαστήριον ἐν Αἰγύπτῳ κυρίῳ τῷ Θεῷ· καὶ πολλὰ δὲ προεφήτευσεν ἄλλα τοιαῦτα διὰ τὸν τόπον.* Jam ſi Onias in Jeſaja de *leonis urbe* quidquam inveniſſet, quis credat, hoc, quod maximi erat momenti, ab eo eſſe omiſſum? Quod autem Leontopoli Onias templum exſtruebat, id fecit, quod hujus loci ſitus prae aliis maxime opportunus ipſi videbatur (*εὑρὼν τὸν τόπον ἐν τῷ προσαγορευομένῳ τῆς ἀγρίας Βαβάστεως ὀχυρώματι, βρύοντα ποικίλης ὕλης, καὶ τῶν ἱερῶν ζώων μεστὸν, δέομαι συγχωρῆσαί μοι τὸ ἀδέσποτον ἀνακαθάραντι ἱερὸν καὶ συμπεπτωκὸς, οἰκοδομῆσαι ναὸν τῷ μεγίστῳ θεῷ*), non permotus Jeſajae praeſagio. Egregium quidem pro ſua de *Leontopoli* ſententia munimentum Ikenius in verſione Graeca, prouti in codice Alexandrino exhibetur, deprehendiſſe ſibi viſus eſt. Legitur enim ibi: *πόλις Ἀσεδὲκ κληθήσεται ἡ μία πόλις.* Ἀσεδὲκ Ikenius exiſtimat exprimere Arabicum أَشْلَخُ (ſic enim ſcribendum, non ut *Ikenius* ſemper, et ipſo deceptus Mulleſus p. 67. أَسْلَخ), quod a Dſcheuhario, Lexicographo Arabe, Golio referente, ita exponitur: *macu-*

lam

lam albam *a fronte ad nasum protensam habens*, et, cum articulo, *leo*. Estne vero credibile, leonis nomen, seu potius epitheton, Arabibus minus frequens, et ab uno alterove poeta usurpatum, Judaeis illis Alexandrinis, quibus Graecam Jesajae translationem debemus, cognitum fuisse? Vox Ἀσεδὲκ sine omni dubitatione respondet Hebraeae הַצֶּדֶק *justitia*, uti jam observavit Eusebius: ὃ δὲ σημαίνει· δικαιοσύνης. Nec tamen probabile videtur, interpretem Graecum pro הַהֶרֶס sive הַחֶרֶס, legisse הַצֶּדֶק, cum elementorum magna nimis in utraque voce quod ad figuram sit diversitas. Vitringa putat, interpretem Graecum, cum non assequeretur, quid illud עִיר הַהֶרֶס sibi vellet, vertisse per πόλιν Ἀσεδὲκ, ad imitationem Cap. I, 26, ubi de Hierosolymis: *vocaberis* עִיר הַצֶּדֶק *urbs* (*Asedek* ut Graeci legerent) *justitiae*, quae et *Cappelli* est opinio. Mihi tamen probabilior videtur Prideaux sententia in *Connex. V. T.* P. II. p. 529., interpretes illos, quippe Alexandrinos, verba hebraea ideo ita reddidisse, ac si scriptum esset עִיר הַצֶּדֶק יֵאָמֵר לְאַחַת, ut tanto magis honorifica templi Oniae mentio hic loci fieret; quod Michaeli quoque videtur. Hillerus in *Onomast. S.* p. 665 seqq. locum hunc ad Judaeos illos refert, qui post urbis et templi excidium in Aegyptum migrarunt 2 Reg. XXV, 26.; eumque hoc modo intelligit: illo tempore erunt in terra Aegyptia *quinque civitates* (nempe *Magdolus*, *Daphne*, *Noph*, et in terra *Pathros* Goschen, seu Ἡρώων πόλις, ex versione Alexandrini interpretis Genes. XLVI, 28., et Pathomos s. *Pithom*), *Cananaeo sermone utentes*, *et juratae Jovae*, *quarum unaquaeque dicetur civitas destructionis*, quoniam qui isthic remanserint omnes ad unum exscindentur; coll. Jerem. XLIV, 1. 12. 13, 14. Quae sententia tamen contextui sermonis, qui fausta et bona promittit, non congruit. Neque לְאַחַת hic commode *singulis* vertitur, ut Ezech. I, 6. Quis enim credat, prophetam dicere voluisse, quin-

que illas urbes cunctas uno eodemque nomine appellandas eſſe? Walthero totum hoc comma gloſſema a Judaeis Aegyptiis textui intruſum videtur, quod ſuccedente tempore in fontem Hebraeum quoque irrepſerit. In eandem ſententiam incidit Eichhorn (*die hebräiſchen Propheten* p. 351. not. e). Sed parum probabile eſt, Judaeos Palaeſtinenſes tale quid in ſuis codicibus admiſiſſe. Omnino autem hoc comma viris doctis non creaſſet tantas moleſtias, ſi cogitaſſent, non ſcriptorem aliquem *hiſtoricum*, ſed *poetam* ab ipſis eſſe interpretandum. Jam quum per *quinque urbes Aegypti, lingua Cananaea loquutas*, non certae quaedam urbes ſint intelligendae, ut vidimus, facile eſt intellectu, עִיר הַהֶרֶס merum eſſe nomen poeticum, ad ſententiae et imaginis ornatum a vate inventum. Quod viderunt jam illi interpretes, qui verterunt *urbem deſtructionis*, cujus appellationis tamen rationes varii reddunt varias. Kimchi: „usque adeo adhaerebunt fidei Dei Iſraelis, ut inter ſe inituras ſint pactum, ut ſi quae earum quinque urbium receſſerit a cultu veri Dei, ea appellanda ſit *civitas deſtructionis*, i. e. ceterae in eam inſurrecturae et eam deſtructurae ſint." Quod quam parum ſit probabile, unusquisque ſentiet ipſe. Nec majore veri ſpecie ſeſe probat eorum ſententia, qui *urbem deſtructionis* putant eam, quae parum a deſtructione afuiſſet, ſed divinitus ſervata eſſet. Similiter Junius et Tremellius, „*civitas deſtructionis* hic dicitur urbs a deſtructione liberata." Henslerus *civitatem deſtructionis* appellatam fuiſſe cenſet ideo, quod in bello civili, de quo ſub carminis initio, deſtructa, auxilio praeſtito Aegyptiis a Jova, iterum reparata eſſet. Sed quis non videt, ejusmodi urbem potius a *liberatione*, quam a *deſtructione* appellandam fuiſſe? Paulus, V. S. V., in *Clavi Jeſajana* hunc locum ita capit: quodſi et quinque hebraicae, Jovano cultui deditae urbes in Aegypto fuerint,

tamen

tamen saltem *una* earum *civitas destructionis* appellabitur, i. e. in tanta, quae nunc est, rerum Aegyptiarum confusione vix quinque urbes erunt, quarum non saltem una destructioni obnoxia sit. Quae sententia tamen medias inter promissiones minus apta compareat. Nobis quidem, quod nunc legitur in plerisque libris et impressis et manu scriptis, עִיר הֶחָרֶס, collato Syriaco ܦܘܪܩܢܐ *redemtio*, *liberatio*, *salus*, vertendum videtur *urbs liberationis*, i. e. liberata a calamitatibus, quibus bello civili erat oppressa, qua in versione mihi jam praeivit Hezelius. Alterum vero, עִיר הַחֶרֶס, coll. Arab. حرس, *custodivit*, *servavit*, reddendum videtur, *urbs custodiae*, *servationis*: sicque Saadias, cujus interpretatio supra memorata est. Utrum a Jesaja sit scriptum, num הרס, an חרס, hodie nemo facile dixerit: nec magni interest, quum ex nostra interpretatione sensus exeat fere idem, sive unum legas, sive alterum. Chaldaeus utramque lectionem expressit: קַרְתָּא בֵּית שֶׁמֶשׁ דַּעֲתִידָא לְמֶחֱרַב יִתְאֲמַר הִיא חֲדָא מִנְּהוֹן *civitas domus solis, quae destruenda est, dicetur una ex iis*. Quaeris Jarchi, unde in mentem venerit Paraphrastae, vocem חרס hic duplici modo interpretari? Respondet, didicisse eum ex Jeremia, qui in prophetia de Aegypto destruenda a Nebucadnezare XLIII, 13. dicit: וְשִׁבַּר אֶת מַצְּבוֹת בֵּית שֶׁמֶשׁ *confringet statuas domus solis*, i. e. statuas solares templi Heliopolitani. Peculiaris exstat Commentatio Christ. Bened. Clari *de cultu Dei in Aegypto ad Jesaj. XIX*, 18 sequ. Lips. 1769. 4., quae potissimum versatur in refellenda sententia eorum, qui templum Heliopolitanum ab Onia exstructum per עִיר הַהֶרֶס significare existimant.

19. Satis patebit ex antea dictis, quae jam sequuntur, non proprie esse intelligenda, sed ornamenta poetica

tica eſſe, ut jam bene Waltherus obſervavit. יִהְיֶה מִזְבֵּחַ לַיהוָה *Erit altare Jovae.* Poſt לַיהוָה addunt צְבָאוֹת : ex codd. Kennicott. et duo Roſſiani, nec non Syrus, qui vertit ܠܡܪܝܐ ܚܣܝܢܐ, *domino potenti*, ut vertere ſolet יְהוָה צְבָאוֹת. Quaerunt interpretes, utrum vates ſub *altari* intelligi velit altare otioſum, quales arae absque ullo earum uſu Diis frequenter conſecrabantur apud Gentiles; an vero *altare*, conſecratum religioni, quod inſerviret ſacris, in eo offerendis, quodque proin ſupponitur conjungendum fore cum *templo*, ſacerdotibus, ſacrorum miniſtris, et univerſo cultus divini apparatu. Prius elegit Grotius, qui altare hic vult eſſe *memoriale*, ad *memoriam* videlicet, non ad *ſacrificia* erigendum, collato loco Jeſ. XXII, 22. 23. Non dubitarem hanc ſententiam amplecti: niſi propheta ſe ipſe mox interpretaretur vſ. 21.; ubi dicit, fore ut Jova ab Aegyptiis *ſacrificiis* et *muneribus* coleretur. וּמַצֵּבָה אֵצֶל־גְּבוּלָהּ לַיהוָה *Et cippus apud terminum ejus Jovae.* מַצֵּבָה Hebraeis eſt qualiscunque *cippus*, *tumulus* aut *monumentum*; ſive ſit lapis major rudis, ſive columna ex ligno aut lapide formata, ad rei alicujus memoriam conſervandam erectum, aut Deo alicui conſecratum, vid. Geneſ. XXVIII, 17. Cap. XXXIII, 20. Erat enim moris vetuſtiſſimi, ut ſi cui in hoc illo loco obtigiſſet ſingulare aliquod beneficium divinae providentiae, cippum ſive titulum, vel aram in ejusmodi loco poneret, et numini conſecraret, ſubinde etiam, addita inſcriptione, quae vel ſimpliciter Dei illius, cui conſecratum erat monimentum, nomen exhibebat, vel beneficii memoriam latius explicabat. Cujus rei inſigne exemplum vid. 1 Sam. VII, 12. Graecis haec monimenta ſive tituli στῆλαι dicebantur, qua voce Alexandrini quoque h. l. utuntur, ut Hieronymus *tituli* vocabulo. Hoc igitur monimentum, in Aegypto erigendum, teſtabitur, Aegyptios

accen-

accensitos esse Jovae populo, veraeque religionis fidem ac cultum suscepisse, tanquam qui severe puniti a Jova, eum vindicem ejus tandem agnoverint, et se ipsi tanquam victori et supremo omnium potestatum domino subjecerint. Non improbabilis est Vitringae conjectura, titulum hunc Jovae consecrandum in terra Aegypti hic opponi superbis illis *titulis*, seu statuis, *Soli* in pluribus Aegypti locis erectis, quales Obelisci erant, quorum unus, referente Ammiano Marcellino *Histor.* L. XVII. Cap. 4., *Deo Soli speciali munere dedicatus fixusque intra ambitiosi Templi delubra, quae contingi non poterant, tanquam apex omnium eminebat.* Tales Jeremias XLIII, 13. מַצְּבוֹת בֵּית שֶׁמֶשׁ *statuas domus Solis* videtur vocare.

20. וְהָיָה לְאוֹת וּלְעֵד לַיהוָה *Eritque in signum et testimonium Jovae*, i. e. ut inde liqueat, vel, Aegyptum factam esse Jovae sacrum, vel saltem, in Aegypto esse plures Jovae cultores. Pro וְהָיָה codex Rossianus 789. (ante annum 1283. scriptus, multas eximias varietates habens) Syrusque legunt וְהָיְתָה, in feminino, relato verbo ad מַצֵּבָה, seu *statuae* nomen, quod proxime praecedit, non ad מִזְבֵּחַ. וְיִשְׁלַח לָהֶם מוֹשִׁיעַ וָרָב וְהִצִּילָם *Et mittet eis servatorem, et vindicem, qui eos liberet.* רָב interpretes tantum non omnes, Coccejo excepto, vertunt *magnum*, et *Ptolemaeum magnum*, Lagi filium intelligunt alii, alii *Alexandrum magnum*. Sed primus vidit Coccejus, significationem *magni* huic contextui non convenire, recteque observavit, vocem רָב, cum *Camez*, non esse confundendam cum רַב, per *Patach*, sed exponendam esse ex verbo רוּב, s. רִיב *contendere, litigare, caussam alicujus agere in judicio*, adducitque locum parallelum Deut. XXXIII, 7. ubi Moses in benedictione Judae, oratione ad Deum versa: יָדָיו רָב לוֹ וְעֵזֶר מִצָּרָיו תִּהְיֶה, *manus ipsius, patronus ipsi, et* auxi-

auxilium ab hoſtibus ejus ſias. Cof. Robertsonii *Clavem in Pentateuch* p. 561. Veteres ſimile quid videntur in mente habuiſſe. Alexandrinus: καὶ ἀποστελεῖ αὐτοῖς ἄνθρωπον ὃς σώσει αὐτοὺς, κρίνων σώσει αὐτούς. Chaldaeus: פָּרִיק וְדַיָן, et Syrus ܦܪܘܩܐ ܘܕܝܢܐ, *liberatorem et judicem*; Hieronymus: *propugnatorem.*

21. וְנוֹדַע יְהוָה לְמִצְרַיִם *Et innoteſcet Jova Aegyptiis,* quae Chaldaeus ſic exponit: וְיִתְגְּלֵי גְבוּרְתָא דַיָי לְאוֹטָבָא לְמִצְרָאֵי, *manifeſtabit ſe potentia Jovae, ut benefaciat Aegyptiis.* Verba וְעָבְדוּ זֶבַח וּמִנְחָה gemino modo accipi poſſunt, vel, ut עָבְדוּ, *ſervient, colent,* hic idem valeat, quod עָשׂוּ, *facient,* quomodo Latini uſurpare ſolent *facere,* pro *offerre:* certe Chaldaeis עֲבַד eſt *facere,* et עוֹבָד, *opus,* ut vates noſter infra Cap. XXXII, 17. eodem commate alternat מַעֲשֵׂה הַצְּדָקָה et עֲבוֹדַת הַצְּדָקָה; vel, ut phraſis ſtatuatur elliptica, et עָבְדוּ זֶבַח וּמִנְחָה idem ſit, quod עָבְדוּ אֶת יְהוָה בְּזֶבַח וּבְמִנְחָה *colent Jovam ſacrificio et munere.* Sic Chaldaeus, cui et ego cum Vitringa accedo, nam phraſis עָבַד זֶבַח alias non occurrit, et ellipſis particulae ב frequentiſſima in in libris Hebraicis.

22. Per *ſanationem* Aegyptiorum hic absque dubitatione intelligenda eſt reipublicae, ſive regni Aegyptii inſtauratio in ſplendorem et decus priſtinum, conjuncta cum liberatione ab oppreſſione et vindicatione a ſervitute. Conf. ſupra Cap. I, 6. et Jerem. XXX, 17. *Quia faciam, ut integritas* (ſtaturae et valetudinis) *tibi ſurgat,* וּמִמַּכּוֹתַיִךְ אֶרְפָּאֵךְ *et plagas tuas curabo,* reſtituam te in ſtatum priſtinum felicem. Ut vero intelligatur, reſtitutionem Aegyptiorum in ſtatum priſtinum eſſe effectum converſionis et precum eorum addit: וְשָׁבוּ עַד־יְהוָה *et convertent ſe ad Jovam,* וְנֶעְתַּר לָהֶם *et exorabilem ſe iis praebebit;* נֶעְתַּר proprie eſt: *nidore ſuffiſo*

exo-

exorari, *propitiari*, vid. 2 Sam. XXIV, 25. *Et aedificavit David altare domino atque obtulit holocausta et completoria pacis*, וַיֵּעָתֵר יְהוָה. *et nidore isto propitiatus est Dominus*. Hinc de beneficientia, multis, assiduis et longi temporis precibus impetrata dicitur 2 Sam. XXI, 14. Originem variasque hujus verbi notiones multis exposuit A. Schultens ad Proverb. XXVII, 6. p. 388 seqq. Chaldaeus: וִיקַבֵּל צְלוֹתְהוֹן *et suscipiet preces eorum*.

23. Aegyptii una cum Assyriis, a quibus olim maxime divisi erant animis, Jovam colent; uterque populus, sublata invidia, quae animos harum gentium aemularum olim ab invicem distraxerat, communi ejusdem religionis vinculo conjungetur, et eodem vinculo uterque ille populus erit in communione Israelitarum. Id vates poetice ita enunciat, fore viam planam, tutam, latam, id enim indicat מְסִלָּה, ex Aegypto in Assyriam, ultroque citroque ab Aegyptiis et Assyriis calcandam: similem imaginem habuimus supra Cap XI, 16., et conf. infra XXXV, 8. Verba וְעָבְדוּ מִצְרַיִם אֶת־אַשּׁוּר gemino modo accipiuntur ab interpretibus. Alii sic: *et colent Aegyptii Assyrios*, sive, *servient Assyriis*, et ita Veteres: alii, supposita ellipsi: *et colent* scil. Jovam *cum Assyriis*, quod posterius haud dubie est praeferendum, ob totius orationis scopum et consilium.

24. בַּיּוֹם הַהוּא יִהְיֶה יִשְׂרָאֵל שְׁלִישִׁיָּה לְמִצְרַיִם לְאַשּׁוּר *Die illo erit Israel tertius Aegyptio et Assyrio*, i. e. cum iis junctim faciet unum populum, ex *tribus tertiis* compositum. Femininum שְׁלִישִׁיָּה ponitur, quod notio *partis* apud Hebraeos cadit sub *debilius genus*, ut Neh. X, 33. שְׁלִישִׁית הַשֶּׁקֶל *tertia pars sicli*. Cf. Ezech. V, 12. Praeterea noster vates sic loquens respexerit vocem עֵדָה *coetus*, quae et ipsa feminei est generis. Dicit igitur, Israelitas *tertiam* facturos esse *partem* societatis illius, quae

quae verum Deum confitetur, cum duabus, tertiis aliis Aegyptiis et Aſſyriis, ut adeo junctim unum effecturi eſſent coetum.

25. Verſus hujus verba prima, אֲשֶׁר בֵּרְכוֹ יְהוָה, cum poſtremis verſus ſuperioris בְּרָכָה בְּקֶרֶב הָאָרֶץ, duplici modo conjungi poſſunt. Vel ſic: *divinitus data felicitas media in terra* erit, *quippe Jova eam fortunabit*; vel hoc modo: *divinitus data felicitas media in terra erit, quam Jova fortunabit.* Vox אֲשֶׁר enim hic vel ſumi poteſt pro עַל־אֲשֶׁר ſ. יַעַן־אֲשֶׁר, *propterea quod, quia, quippe*, vel ut *relativum* conſtrui poteſt cum affixo vocis בֵּרְכוֹ, ut אֲשֶׁר בֵּרְכוֹ ſit: *quam Jova fortunat.* Utro modo ſumas, ſenſus fere idem erit. Fac enim, vocem אֲשֶׁר hic *relative* ſumi, quod videtur ſimpliciſſimum, intelligitur tamen, his verbis rationem reddi ejus quod praeceſſerat. Qui enim hic בְּרָכָה appellantur, non alio ſic dicuntur ſenſu, quam quod Jova eos fortunaſſet. בְּרָכָה enim ſunt illi, quos Jova felices eſſe jubet, uti ſolent Hebraei quid ἐμφατικῶς expreſſuri, *abſtracta* uſurpare pro *concretis*. Sic 1 Sam. XXV, 6. וְאַתָּה שָׁלוֹם *et tu ſis incolumitas, et domus tua ſit incolumitas, et omne quod tibi* ſit *incolumitas*, i. e. tu ſis felix, et domus tua felix, et omne quod tuum eſt ſit felix. Plura ejusmodi vid. in Glassii *Philol. S.* p. 20. ed. Dath. Quaeritur, num hic ſoli *Iſraelitae*, an vero *univerſum corpus*, quod cum Iſraelitis facerent Aegyptii et Aſſyrii, בְּרָכָה appellentur? Vix tamen dubium eſſe poteſt, quin propheta poſterius intenderit, et id omnino velit: *tres* illos inter ſe conjunctos populos futuros eſſe *felices*, quippe ſe ipſe clariſſime interpretatur, dum addit: *cui bene precatus fuerit Jova in haec verba: fortunatus eſto populus meus, Aegyptii, et opus manuum mearum, Aſſyrii, et peculium meum, Iſraelitae.* Talia nomina tribuit Aegyptiis et Aſſyriis, quae antea populo

ſolum

folum Ifraelitico conveniebant, ut ita etiam fignificaret, populos illos, jam Jovam colentes, eodem jure frui, quo Ifraelitae. Chaldaeus vero, quum id ipfi durius videretur, Affyrios et Aegyptios hic eodem ordine cenferi cum Ifraelitis, et vocari *populum Dei*, et *opus manuum ejus*, totum hunc locum in alium detorfit fenfum. Sic enim illum vertit: בְּרִיךְ עַמִּי דְאַפֵּקִית מִמִּצְרַיִם דְעַל דְחָבוּ קֳדָמַי אַגְלֵית יָתְהוֹן לְאַתּוּר וּכְדוּ דְתָבוּ מִתְקְרַן עַמִּי וְאַחְסַנְתִּי יִשְׂרָאֵל *fortunatus fit populus meus, quem eduxi ex Aegypto, et quia peccaverunt in me, transmigrare eos feci in Affyriam; fed quando converfi funt, vocati funt populus meus, et haereditas mea, Ifrael.*

CAP. XIX. 1. *Effatum in Aegyptum. Ecce Jova levi nube vectus Aegyptum venit. Facessent Dii Aegyptii ad ejus adventum, et Aegyptiorum animi in ipforum pectoribus remollescent.*

2. *Committam Aegyptios cum Aegyptiis: pugnabit quisque contra fratrem fuum, et quisque contra proximum fuum, civitas contra civitatem, regnum contra regnum.*

3. *Evanefcet Aegyptiorum animus, confilium ipforum perdam: confulent idola et muffitatores, engaftrimythos et hariolos.*

4. *Concludam Aegyptios in manum domini duri, et rex rigidus dominabitur iis. Sic fatus eft Dominus ille Jova, agminum Deus.*

5. *Ac deficient aquae lacus, et fluvius ficcabitur atque exarefcet.*

6. *Subfident rivi, decrefcent et exarefcent aquae canales; arundo et alga languebunt.*

7. *Gramineta juxta flumen, in ora fluminis, et omnis fementis fluvii exarefcet, vento auferetur, exfpirabit.*

8. *Piscatores moerebunt, lugebunt, qui hamum conjiciunt in rivum, et qui retia expandunt in superficiem aquae languebunt.*

9. *Erubescent omnes operarii in lino subtili, et textores pannorum reticulatorum.*

10. *Omnes textores ejus animo erunt perturbato, omnes quaestum facientes tristes.*

11. *Quin ipsi proceres Tanees stupent, consilium sapientum Pharaonis amicorum infatuatum est. Quomodo dicetis coram Pharaone: filius sapientum ego, filius regum antiquorum.*

12. *Ubinam illi? ubinam sunt sapientes tui? Indicent, age, tibi, et cognoscant, quodnam consilium ceperit Jova exercituum Deus de Aegypto.*

13. *At stulte agunt principes Tanees: decepti sunt proceres Memphitici; in errorem deducunt Aegyptum primarii nomorum ejus.*

14. *Jova miscuit in iis spiritum vertiginis, errare fecerunt Aegyptum in omni opere suo, quemadmodum errat ebrius in vomitu suo.*

15. *Et non erit in Aegypto opus, quod faciat caput et cauda, ramus et juncus.*

16. *Tum vero erunt Aegyptii ut mulieres, trepidabunt et pavebunt propter agitationem manus Jovae, exercituum Domini, quam agitaverat adversus ipsos.*

17. *Sed terra Judae Aegyptiis terrori erit, ad quam, quisquis illius mentionem fecerit, pavebit, ob consilium Jovae, agminum Domini, quod adversus illos ceperit.*

18. *Circa illud tempus erunt quinque civitates in Aegypto, lingua Cananaea loquentes, et jurantes Jovae, exercituum domino: una earum appellabitur urbs liberationis.*

19. *Illo die Jovae ara erit in Aegypto, cippus in finibus ejus Jovae erit dicatus.*

Erit

20. Erit in ſignum et teſtimonium Jovae, exercituum domino, in Aegypto; quia clamarunt ad Jovam cauſſa oppreſſorum, illeque iis miſit liberatorem et vindicem, qui illos eriperet.

21. Sic innoteſcet Jova Aegyptiis, venientque Aegyptii tunc in notitiam Jovae: colent eum ſacrificiis ſalutaribus et fertis, et vovebunt Jovae votum et perſolvent.

22. Ita Jova Aegyptios percutiet, ut iterum iis medeatur: convertent ſe ad Jovam, et exorabilem ſe praebebit ipſis, et ſanabit illos.

23. Tunc erit via ſtrata ex Aegypto in Aſſyriam, venientque Aſſyrii in Aegyptum, et Aegyptii in Aſſyriam, colentque Aegyptii Jovam cum Aſſyriis.

24. Illo tempore Iſraelitae tertii juncti erunt Aegyptiis et Aſſyriis, in illa totius terrae felicitate.

25. Quam Jova ſalutabit, felix ſit, inquiens, populus meus Aegyptius, et opus manuum mearum, Aſſyrii, et peculium meum, Iſraelitae.

CARMEN QUARTUM DECIMUM.

CAP. XX.

ARGUMENTUM.

Cum imperium Assyriorum, dum maxime florebat, limites suos quotannis fere protenderet, et, occupata jam Syria et Ephraimitide, Judaeae, Phoeniciae, Palaestinae magnum incuteret metum, ut deinceps, his terris subactis, securius tentaret Aegyptum; populi hi, et in his Judaei et Ephraimitae, maxime respiciebant Aegyptios et Aethiopes, quorum tunc temporis junctae erant vires (vid. not. ad vs. 3), ut unicum salutis suae sive conservandae, sive vindicandae, remedium. Horum celebrabant vires, extollebant potentiam, his Assyrio comparatis primas tribuebant, horumque sollicitabant per foedera amicitiam. Equidem non liquet, id Hiskiam fecisse, qui Assyrio foedere tum junctus erat, certe non superstite Salmanassare; sed, quicquid ejus sit, erant Hierosolymis factiosi plures, qui reliquis Palaestinae incolis hac parte consentirent, quum, qualis tunc fuit status Orientis, aliae gentes nullae invalescentem indies Assyriorum potentiam librare et retundere aptae viderentur, praeter Aegyptios, Cuschaeis sive Aethiopibus junctos. Verum ipsos quoque Assyrios Cuschaeis rerum suarum incrementum invidisse credibile est, perinde ac

Aegyptii et Cuſchaei lividis oculis adſpexerint Aſſyriacarum rerum progreſſum. Sed forte in Aſſyrio major arſit aemulatio et invidia, cum inſatiabili imperii protendendi cupiditate conjuncta. Cuſchaei et Aegyptii, etiamſi a populis laborantibus auxilium ipſorum implorantur, forte ſe tardius moviſſent. At non quieverunt Aſſyrii, Cuſchaeis, ut videtur, invidentes Aegyptum, et Aegyptiorum regi haud dubie infenſi, quod Hoſeam, Iſraelitarum regem, abduxiſſet a foedere et obſequio eorum (2 Reg. XVII, 4.); unde, parata materia, flamma brevi erupit. Sargon, Aſſyriae rex, qui Salmanaſſari, uti videtur, in regno ſucceſſit, paternis veſtigiis inſiſtens, ut imperium ſuum ampliaret, poſtquam regnum Iſraeliticum, ſive Ephraimiticum in Aſſyriacam ditionem redactum eſſet, intacta Judaea, cujus rex, Hiskias, foedere ab Ahaſo inito, ipſi junctus, ſeu potius obnoxius eſſet, Aegyptios et Cuſchaeos aggredi et ſibi ſubjicere decrevit. Ut vero certo pede procederet, miſit Tanthanem, militiae praefectum, qui occuparet Azotum, illo tempore inter munitiſſimas Palaeſtinae urbes habitam (quam Pſammetichus Aſſyriis poſtea rurſus eripuit poſt obſidionem XXIX annorum, ut teſtatur Herodotus L. II. c. 157.), tanquam clavem Palaeſtinae maritimae, et poſtmodum etiam forte Aſcalonem et Gazam, ne quid hic hoſtile in tergo relinqueret. Illo ipſo igitur tempore (vs. 1.) Jeſajas vaticinio hoc Capite conſignato eventum belli Aſſyrios inter et Aegyptios, quod cum expugnata Azoto accendebatur, praeſignificavit, ut in pudorem ageret factionem quandam imprudentum hominum, qui Hieroſolymis Hiskiae regi foedus Aſſyriacum rumpere ſuadebat, contra magis magisque invaleſcens Aegyptiorum et Cuſchaeorum robur et junctas vires unice extollebat, et hos populos commendabat ut unicum tutelare reipublicae Judaicae praeſidium a quo ejusdem ſalus et conſervatio penderet. Docet igitur vates,

 ab

ab hoc ipso tempore bellum inter hos populos Orientis principes gestum iri eo exitu, ut Guschaei et Aegyptii magnum ab Assyriis acciperent detrimentum, et eorum, qui in illis spem suam omnem ponerent, exspectatio modo ipsis pudendo frustraretur.

---

1. בִּשְׁנַת בֹּא תַרְתָּן *Anno τῦ venire Tarthan*, i. e. anno quo Tarthan venit, vid. similem constructionem supra VI, 1. Ezech. XXXVIII, 18. בְּיוֹם בּוֹא גוֹג *die quo veniet Gogus*. Tarthan dux fuit Assyriaci exercitus, postea etiam contra Hiskiam missus, 2 Reg. XVIII, 17. בִּשְׁלֹחַ אֹתוֹ סַרְגוֹן מֶלֶךְ אַשּׁוּר *Cum mitteret eum Sargon, rex Assyriae.* Eum volunt aliqui *Senacheribum* esse, cui juxta Judaeorum traditionem septem erant nomina; eo maxime nisi argumento, quod *Tarthan*, qui hic regis Assyrii jussu Azotum obsedisse narratur, 2 Reg. XVIII, 17. *Senacheribi* exercitus dux vocatur. Alii, ut Vitringa, *Salmanassarem*, patrem Senacheribi; Kalinsky (in libro, qui inscribitur: *Vaticinia Chabacuci, Nahumi, Isaiae, Michaeae et Ezechielis, observationibus historico-philologicis ex historia Diodori Siculi circa res Sardanapali illustrata* L. I. c. VI. VII. p. 75—106.) cui et Michaelis adstipulatur, *Assardinum* (אֵסַר־חַדֹּן) Senacheribi successorem (Jesaj. XXXVII, 38.) intelligit, qui et Thebas Aegypti everterit, et magnis potitus sit victoriis in Aegypto. Verum si etiam concedamus, quod adhuc probatione indiget, regibus illis Assyriis varia fuisse nomina, parum probabile tamen est, sive Senacheribum, sive Salmanassarem, sive Assardinum, cum alias semper nominibus solitis occurrant, hoc solo loco nomine insolito appellatum esse. Quare verisimile est, *Sargonem* fuisse nomen regis Assyrii, qui Salmanassarem inter et Senacheribum regnaverit, quique paternis vestigiis insistens, ut imperium suum

suum ampliaret, ad Aegyptios et Cuschaeos sibi subjiciendos se converterit; atque, ut certo hic pede procederet Aschdodum s. Azotum occupaverit. Tarthanes vero, qui 2 Reg. XVIII, 17. a Senacheribo missus dicitur, jam sub illius antecessore exercitui praefectus esse potuit. Qua assumta hypothesi vaticinium hoc consignatum fuerit sub initiis Hiskiae, septimo forte ejus anno, post subversum ab Assyriis regnum Ephraimiticum, quod anno sexto Hiskiae evenisse constat e 2 Reg. XVIII, 9. 10. וַיִּלָּחֶם בְּאַשְׁדּוֹד *Et oppugnavit Aschdodum*, Graecis Ἄζωτον. Erat ea urbs Philisthaeorum bene munita, in ultimis Palaestinae et Judaeae finibus Aegyptum versus prope mare sita, Jos. XV, 46. 47., ab Usia Philisthaeis erepta et munita, 2 Paral. XXVI, 6., Ahaso autem cum aliis amissa, 2 Chron. XXVIII, 18. Plura de hac urbe vid. in Relandi *Palaest.* L. III. p. 606 seqq., et cf. quae in Argumento observavimus. וַיִּלְכְּדָהּ *Et cepit eam*, id quod ante annum quartum decimum Hiskiae (infra XXXVI, 1.), Assyriis funestum (XXXVII, 36.), evenisse necesse est; postea enim Hiskias jugum Assyriacum excussit, 2 Reg. XVIII, 7.

2. וּפִתַּחְתָּ הַשַּׂק מֵעַל מָתְנֶיךָ *Et solve saccum hunc a lumbis tuis.* שַׂק *Saccus* dicebatur Hebraeis *tunica villosa* seu *cilicina*, ex caprarum pilis, praesertim nigris, texta, eaque arcta et talaris, ad pedes usque demissa, quae insuper balteo ejusdem generis, absque ornatu ullo, cuti arcte adstringebatur, unde Apocal. VI, 12. σάκκος τρίχινος, qui XI, 3. simpliciter σάκκος. Hoc vestimenti genus enim *zona* cuti, vel interulae fuisse adstrictum, non ex hoc tantum loco liquet, in quo propheta saccum jubetur *solvere a lumbis* suis, verum etiam ex aliis locis, in quibus dicuntur *accingi lumbis*, veluti 2 Sam. III, 31. 1 Reg. XX, 32. Erat autem hujus vestis geminus usus. Vel enim *lugentium* erat habitus (vid.

Genes. XXXVII. 34. Esth. IV, 1. Nehem. IX, 1.), vel *prophetarum.* Eos tali veste villosa indutos fuisse, patet ex Eliae exemplo, qui 2 Reg. I, 8. איש בעל שער *vir pilosus*, non *barbae*, ut aliquibus videtur, sed *vestis pilosae* respectu, ut facile patet, quod alter Elias, Joannes Baptista, ἔνδυμα e pilis cameli gessisse dicitur Matth. III, 4. Cf. Zachar. XIII. 4. et ad eum loc. not. Cum autem Jesajas hic vestem jubetur deponere, et mox (in fine versus) *nudus*, ערום, et discalceatus incessisse dicitur, non existimandus est, se plane nudasse, et se aliis hoc modo publice ostentasse. *Nudus* intelligi debet non *absolute*, sed *restricte*. *Nudi* dicebantur superiore veste, sive ἐπενδύτῃ, exuti, licet *tunica* vel *interula* hactenus non nudati, uti pluribus ostendit Gisb. Cuperus *Observatt.* L. I. Cap. 7., et Deyling *Observatt. SS.* P. IV. p. 888. Sic Aurelius Victor *de Viris Illustr.* Cap. 17. de L. Quinctio Cincinnato: *Ad quem missi legati, nudum eum arantem trans Tiberim offenderunt*, i. e. unica indutum tunica. Et 1 Sam. XIX, 24. Saulus dicitur *nudus prophetasse*, i. e. exutus vestem regiam et militarem, et 2 Sam. VI, 20. Davides *nudus saltasse* ante arcam, quem tamen ex eodem loco liquet Ephodo lineo indutum fuisse. Ceterum mandatum Jesajae injunctum, incedendum ipsi esse, veste exteriore deposita et discalceatum, non tam respexisse videtur habitum ejus domesticum, quam commercium publicum, si prodiret foras, et in conspectu aliorum versaretur. Non autem revera ita incessisse Jesajam, sed quae hic leguntur gesta esse in viso ecstatico, plurium est interpretum ex Judaeis sententia. Ita Maimonides in libro *More Nevochim.* P. II. Cap. XLVI. docte disputat, *quae prophetae se fecisse dicerent, non fuisse facta revera et externe, sed tantum in visione prophetica.* Kimchius idem valide tenet ac defendit in sua ad h. l. commentatione, et contrariam sententiam absurdam pro-

nunciat.

nunciat. Aben-Esra eodem modo declarat suam sententiam super hac re ad initia Hoseae, quo hic lectorem ablegat. Quibus adnumerandus est Staeudlin, Theologus Gottingensis, qui in Commentatione, *über die symbolischen Handlungen der Propheten*, quae inest libro ab ipso edito: *Neue Beyträge zur Erläuterung der biblischen Propheten*, pag. 123. 240., ubi et de nostro peculiariter loco egit p. 220., totam hanc narrationem mere esse allegoricam arbitratur. Quae sententia etsi de pluribus aliis, quae prophetae symbolice egisse narrantur (veluti Hos. I. II.), verissima sit; tamen hoc loco vix intelligitur, quomodo propheta dici possit (vs. 3.) hominibus sui temporis esse אוֹת וּמוֹפֵת *signum et portentum*, i. e. signum quod in aliis excitet admirationem et stuporem ob rei novitatem atque insolentiam. *Signum* est apud omnes gentes quod sensibus externis excipitur, ad rem aliam obscuriorem significandam, vel declarandam aptum: quare quae prophetae objiciebantur per visionem, etiamsi ea aliis narraret, apud eos non potuerunt habere rationem signi. Ergo potius quod hic dicitur comparandum est cum mandato simili supra VIII, 1. 2. 3., et Jeremiae XVIII, 1 seqq. XLIII, 8. 9. Prophetae vere erant אֹתוֹת וּמוֹפְתִים *signa et portenta*, uti diserte vocantur Zachar. III, 8., cf. Ezech. XII, 6. et supra VIII, 18. Multa egerunt insolita, et a communi consuetudine abhorrentia, quaedam etiam, ut videbatur, absurda, ut aequalium suorum excitarent attentionem. Quid enim sibi vellet res nova et insolita, quam in habitu, gestu, motu, prophetae observabant, nemo quin quaereret a se impetrabat; et cum quaereret, edocebantur etiam nolentes de divina voluntate. Praeterea in vetustissimis oraculis *signa*, sive actiones symbolicas, pro verbis usurpata fuisse, ostendimus ad Hos. I, 2. p. 46.

6. In verbo הֶאֶזְנִיחוּ interpretando non consentiunt interpretes. Plurimi, contenti, tale quid dedisse, quod sermonis contextui utcunque conveniret, verterunt, *deficient fluvii.* Ita Alexandrini: *ἐκλείψουσιν οἱ ποταμοί.* Alii ex notione *repellendi* et *amovendi*, quam verbo nostro tribuunt, partim, *vi transitiva*, reddiderunt, *repellent fluvios*, partim *intransitiva*, fluvii *amovebuntur*, vel, *se repellent*, quasi fontem versus ascendentes: quarum versionum prior prorsus inconveniens est, et ab hoc loco aliena, ut jam Vitringa ostendit; posterior sensum bonum quidem exhibet, sed non exprimit propriam verbi זנח significationem, quam primus ostendit et exposuit N. G. Schroederus in *Observatt. ad Origg. Hebrr.* pag. 74 seqq. Scilicet זָנַח, Arab. زَنِخَ, primaria et antiquissima potestate notans *sidere*, *subsidere*, peculiariter de fluminibus et stagnis usurpatum fuit, quorum aqua, quando *sidit*, et in terram paulatim absorbetur, ex lutulentis reliquiis, et limo putrescente, tetrum illum putorem, quem *rancorem* dicimus, exhalat: unde per *metonymiam* significatio *rancescendi* succrevit. Haec significatio totius orationis seriei aptissima est: וְהֶאֶזְנִיחוּ נְהָרוֹת דָּלְלוּ וְחָרְבוּ יְאֹרֵי מָצוֹר *et ecce sidendo rancescent fluvii*, rivi et fossae Nili, *tenuabuntur et exsiccabuntur rivi Aegypti.* Ubi facile animadvertitur, verbo הֶאֶזְנִיחוּ, hac in serie, nihil aptius, et ad elegantem gradationem, qua utitur vates, accommodatius esse. Nam fluvii quando exsiccantur primo *subsidunt*, ex quiete stagnantium aquarum *rancorem*, seu corruptionem cum ingrato odore et sapore conjunctam, contrahentes; dein magis magisque *extenuati* tandem penitus *exarescunt.* De rariore vocis הֶאֶזְנִיחוּ forma dissentiunt Grammatici, quorum varias sententias recenset Kimchius in *Commentario* a Malanimaeo latine verso (Florent. 1774.) p. 147. Quidam putant, litteram א, quae olim usum vocalis habuerit,

buerit, ſuperfluam remanſiſſe; alii, litteram א hic eſſe ex uſu Chaldaico formae *Aphel*, quae hic cum Hebraea commixta ſit. Faber ad *Harmari Obſervatt. ſuper Orient.* P. II. p. 328. not. 10. olim duplicem lectionem extitiſſe exiſtimat, quae poſtea a Maſorethis conjuncta eſſet, unam, *Aramaeam*, אזניחו, alteram, *Hebraeam*, הזניחו, prius, utpote inſolentius, eſſe praeferendum. Schultensius vero in *Inſtitt. ad Fundam. Ling. Hebr.* p. 272. cui adſentitur Schroederus in *Inſtitt. ad Ling. Hebr.* pag. 192. Reg. CLVII. f. et Storrius in *Obſervatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 347., *He* emphaticum, ſeu *affirmativum* eſſe autumat, reddendum per *ecce! ſane!* quale in illo עיניך הראת, *oculi tui ecce videntes ſunt*, Deut. III, 21. IV, 3., א autem eſſe characteriſticum *Hiphil*, pro ה, atque pro ההזניחו commodioris pronuntiationis cauſſa elatum eſſe האזניחו. Praeterea obſervat Schroederus, in *Obſervatt. ad Origg.* l. c., formae Hiphil vim *tranſitivam*, ut in aliis multis, ita et in hoc verbo, per quendam *tropum* in *intranſitivam* deflectere. Talia ſunt האדים, הלבין, האריך, הוביש. Eodem modo verba דללו et חרבו, quae in contextu noſtro ſequuntur, *intranſitive* ſunt vertenda. מצור idem eſt ac מצרים, *Aegyptus*, et occurrit etiam 2 Reg. XIX, 24. Mich. VII, 12. ad quem locum vid. plura de hoc nomine. נהרות et יארי מצור ſunt *canales et foſſae* ex *Nilo*, cura hominum per totam terram Aegypti inferioris derivatae, in agricolarum et urbium uſum, conf. Exod. VII, 19. Chaldaeus יארי מצור vertit נהריהון עמיקיא *flumina eorum profunda*, quod ſequutus Jarchi verba hebraea exponit יאורים עמוקים בחריצי מצורי עיירות *fluvii profundi in foſſis munimentorum urbium*. Saadias: الخلجان المحصورة *canales ſepti*. Per יארים tamen ego potius intellexerim *brachia Nili*, ut Pſ. LXXVIII, 44. Ezech. XXIX, 3., certe יאור in numero uni-

unitatis, non nisi de *Nilo* usurpatur, ideo haud dubie quod proprie vocabulum Aegyptiacum est, exigua varietate his scriptum litteris: ΙΑΡΟ, vid. LACROZII *Lexic. Aegyptiac.* p. 27. Ceterum id, quod vates modo dixit, *rancescere et subsidere aquas Nili* et *brachiorum* atque *canalium* ex illo derivatorum, egregie illustratur recentiorum nonnullorum, qui oras illas adierunt, narratione, *Amnem Trajanum*, quod nomen est canalis cujusdam ex Nilo per urbem *Cahira* ducti, antequam viva Nili aqua in illo ascendat, pessimum odorem exhalare, adeo ut vasa argentea, licet in cistis condita, ferrugine obducantur. Vid. OEDMANN *Vermischte Samml. aus der Naturk.* Fasc. I. p. 49. [קָנֶה וָסוּף קָמֵלוּ] קָנֶה esse *arundinem Donacem*, verisimile fecit Oedmann l. c. p. 50 seqq. Conf. de hac planta FORSKALII *Descript. Plantarr.* p. 24. *Donax*, is inquit, *et Saccharum Ganesi ripas Nili non solum vestiunt, sed prorsus impediunt, ut Alnus in Septentrione et Mangle in India.* Unde intelligetur, cur hujus plantae hoc loco mentio fiat. סוּף esse *algam Niloticam*, *Sari* dictam, vidimus ad Exod. II, 3. Verbum קָמַל praeter hunc locum semel tantummodo, infra XXXIII, 9. obvium, *languescendi, emarcescendi* notionem habere, ex utriusque loci contextu colligitur. Concinit Syriacum ܡܫܠܠ *aegrotavit, infirmatus* est. Chaldaeus h. l. vertit לָא יִסְקוּן *non crescent*, et infra XXXIII, 9. נְתַר *decidit, emarcuit.* Saadias: تُعْطَلُ مِنَ ٱلنَّبَاتِ *carebit germine.* Jarchi: „quando rivi exarescunt, arundines non amplius nutriuntur, sed exarescunt et cadunt." Pertinet igitur ultimum hoc commatis nostri membrum ad descriptionem *siccitatis*, et tristis Aegypti incolis Nili *exsiccationis*.

7. Varias de significatione nominis עָרוֹת sententias recensuit J. G. UNGER in Dissert. *de* עָרוֹת *hoc est, de*

Papy-

Papyro frutice, von der Papier-Staude ad Jesaj. XIX, 7. Lips. 1731. in quat. Sed quod ipse post Vitringam contendit, vocem hebraeam *papyrum* significare, nulla idonea ratione nititur; *papyrus* hebraice est גֹּמֶא, vid. not. ad Exod. II, 3. Jes. XVIII, 2. Rectius Hebraei *gramina* s. *loca virentia* interpretantur collato מִתְעָרֶה, quod Ps. XXXVII, 35. de arbore *virescente* dicitur. Et Arabibus عُرْوَةٌ *arborem perennem, semper virentem* denotat. Geuharius apud van der Sloot ad *Carm. Togr.* vs. 4. العروة من الشجر الذى لا يزال باقيا فى الارض لا يذهب, i. e. عروة *de arbore usurpatur, quae superstes manet in terra, nec perit.* Kimchius: ערות תאר לירקות ולדשאים הלחי Aroth *est nomen appellativum olerum et herbarum virentium.* Idem intelligentes Alexandrini Ἄχι posuerunt, quo nomine Aegyptios ipsorum lingua omne, *quod in palude virens nascitur*, significare, ex Hieronymi Commentar. ad h. l. observavimus ad Genes. XLI, 2. Conf. Celsii *Hierobot.* T. II. p. 229. 230. *Gramineta* autem *ad Nilum*, ad *Nili oras*, עַל־פִּי יְאוֹר (i. q. Genes. XLI, 3. Exod. II, 3. עַל־שְׂפַת הַיְאוֹר *ad labium fluvii*, عَلَى شَطِّهِ *ad ripam ejus*, ut Saadias vertit), erunt *terrae humiliores, ad Nili ostia*, Βουκόλια Graecis dictae, quae, ad agriculturam ineptae ob solum nimis palustre, a Nomadum pecudibus depascuntur: vide Michaelis not. ad *Abulfedae* Aegypt. ad num. 66. pag. 121. 122. Nostro loco vertit ille *Marschländer.* Saadias تُرَعْ, *hortos*, reddidit, dubito an satis recte. וְכֹל מִזְרַע יְאוֹר *Et omnis sementis rivi* alia, i. e. omnis qualiscunque alius Nili fructus aut proventus, ut lotus, et *alia lilia, rosis similia*, ἐν τῷ ποταμῷ γινόμενα καὶ ταῦτα, *in fluvio nascentia et ipsa*, memorante Herodoto L. II. c. 92. Nisi rectius

otius cogitetur de *ſatis* cujusvis generis, quae incrementum ſuum Nilo debent. Habet enim Aegyptus, terra omnium feraciſſima, σπέρματα πάμπολλα, *ſemina omnis generis*, ut Strabo dicit L. XVII. p. 556. Pro נִדַּף *propelletur* recte poſuit Alexandrinus ἀνεμόφθορον, *a vento corruptum*, conf. Pſ. I, 4. Chaldaeus: יֶחֱרַב וְלָא יִצְמַח *areſcet nec germinabit*. Fingit vates, magnam in Aegypto ſuſcitatum iri tempeſtatem, quae Nilum repelleret, rivos et διώρυχας ejus exſiccaret, et fruticeta omnia, proventus Nili, aliàs etiam deficientibus aquis collapſura, ita frangeret, dispelleret, disjiceret, ut plane ſint peritura. Sunt interpretes, ut Grotius, Vitringa et Dathius, qui Nili exſiccationem, in praecedentibus deſcriptam, non proprie, ſed figurate intelligant, Aegyptum per iſta bella civilia ad ſummam omnium rerum inopiam redactum iri; ex Nili enim inundationibus Aegyptus omnem ſuam percipiebat fertilitatem. Sed nulla eſt ratio, cur illa non ſint proprie intelligenda. Saepius enim factum eſſe, ut Nilus aeſtivis diebus nulla ceperit incrementa, Aegyptumque irrigarit, ex narrationibus et antiquiorum et recentiorum conſtat. Quae calamitas, cum jam per ſe ſatis magna eſſet, ſi accedebat ad bella civilia, ſatis digna erat, quae memoraretur a vate, miſerum Aegypti ſtatum deplorante.

8. Communem totius gentis cladem ſequitur communis moeror et luctus eorum, qui ex ubere ejus ſolo et proventu ac divitiis, quas Nilus adfert, magnam perceperant utilitatem. Varii generis homines commemorat, qui aquarum beneficio vitam degebant, et primo quidem *piſcatores*, דַּיָּגִים, quorum duo memorat genera, et qui *hamo*, et qui *retibus* aut *naſſis* piſces capiunt. Abundaſſe Aegyptum *piſcibus*, obſervavimus ad Num. XI, 5. וְאָבְלוּ כָּל־מַשְׁלִיכֵי בַיְאוֹר חַכָּה *Et moerebunt omnes, qui hamum jaciunt in fluvio*. Vocabulum חַכָּה,

חַכָּה, praeter hunc locum non nisi bis obvium, Habac. I, 15. Job. XL, 25., *hamum* satis unanimiter antiqui et recentiores vertunt; nec quidquam de significatione dubii. Etymologiam si quaeras, hamus dici videtur Hebraeis a חֵךְ *palato*, cui insixus haeret; ac si ultro etiam quaeras, חֵךְ, palatum, est pro חֵנֶךְ, ut ex Arabico حَنَكٌ ejusque derivatis constat, recte monente Danzio in *Litteratore* §. 56. p. 483. Sic etiam Thalmudici חנך scribunt. Saadias: وَيَحْزَن كُلّ طَارِحٍ فِي ٱلْخَلَايِج شِيْصًا *Trististisque erit omnis qui in rivum escam projicit.* Nomen شِيْصٌ, quod Saadias pro hebraeo חַכָּה ponit, notat proprie *speciem dactylorum vilissimam, qui nucleo carent, saltem duro, quique siccati non dulces sunt, sed austeri,* tum etiam *piscem;* hic de *esca* dicitur, quae hamis imponitur ad capiendos pisces. וּפֹרְשֵׂי מִכְמֹרֶת *Et qui expandunt rete*, id enim, aut *nassa* significatur nomine מִכְמֹרֶת vid. infra LI, 20. Habac. I, 15., a כְּמַר, quod Chaldaeis in Pael significat *includere.* Saadias vertit شِبَاكٌ *retia.* Aegyptios veteres praeter *retia* etiam usos esse *nassis*, patet ex marmoribus *Praenestinensibus*, vid. Shaw *Itiner.* p. 365. vers. germ., qui addit, hodienum *nassis* tantummodo pisces capere Aegyptios solere. Maillet *Epist. IX.* retia in Aegypto plane non esse in usu docet. Faber ad *Harmari Observatt.* P. II, p. 363. מִכְמֹרֶת *rete minus* significare contendit, sed nullo argumento solido probat; nam ex Habac. I, 15. ubi מִכְמַרְתּוֹ distinguitur a חֶרֶם, non liquet, utrum מִכְמֹרֶת rete majoris aut minoris generis sit. Nec magis probavit Faber illud, quod in eadem nota dicit, in versione Alexandrina commatis nostri verba καὶ οἱ ἀμφιβολεῖς alius interpretis esse, non Alexandrini. Nam

quamquam nemo inficiabitur, versioni Alexandrinae multa esse inserta ex aliis graecis interpretibus, non minus tamen notum est illud, Alexandrinos in versione Jesajae non tam accuratos fuisse, ut verba Hebraica semper redderent totidem verbis Graecis; saepissime sensum tantummodo expressisse contenti erant.

9. ובשו עֹבְדֵי פִּשְׁתִּים שְׂרִיקוֹת *Et erubescent opifices lineorum pexorum.* בשו *erubescent*, nescii, quid agant, Micha III, 7. De פִּשְׁתִּים, *lino*, vid. not. ad Exod. IX, 31. et Forsteri librum de *Bysso Antiquor.* p. 63. Aegyptum varia lini genera, et superiorem ejus partem, quae in Arabiam vergit, etiam fruticem, quem *gossypion* aliqui, alii *xylon* vocarunt, e quo xylina facta sunt lina, procreasse, e Plinii *Hist. Nat.* XIX, 2. notum est. Vid. et Celsii *Hierobotan*, P. II. p. 285 seqq. Plures interpretes, Jarchium sequuti, quae in hoc versu et proximo continentur, ad rem piscatoriam, de qua ante sermo erat, referunt; atque nil nisi retia piscatorum in hac quoque oratione vident. Sed iis potius, qui tractandis linis operam dabant, nunc non minus, atque ante piscatoribus, magnum eos rerum suarum detrimentum passuros esse denuntiatur. שְׂרִיקוֹת non est *generosum, pretiosum*, ut multi vertunt, nulla alia ratione ducti, quam quod שׂוֹרֵק, Cap. V, 2. vulgo redditur *vitis generosa*; nec *colorem flavum* seu *subflavum* indicat, quae Bocharti est sententia in *Hieroz.* P. I. Lib. II. Cap. VII.; sed conferendum est Syriac. ܣܪܩ, *pexuit, pectine dissipavit*, unde ܡܣܪܩܐ *pecten ad explicandum linum.* פִּשְׁתִּים שְׂרִיקוֹת igitur erunt *lina bene pexa, pectinata*, carminata, hinc optima et tenuissima, ut ostendit Braunius de *Vestitu Sacerdott. Hebrr.* Lib. I. Cap. VIII. §. 8. Hac significatione Syrus quoque, Vulgatus et Saadias sumserunt verbum שָׂרַק, eo tamen discrimine, quod שְׂרִיקוֹת *active* acceperunt, quasi significarentur *feminas*

linum

linum pectentes. Et fortasse id negotii in antiqua Aegypto ad muliebres functiones aeque pertinuit, atque apud nos nostrisque temporibus mulierum maxime est linum tractare et parare ad texturam. Provocat etiam Koppius ad membrorum parallelorum tenorem, quod vel is secum ferat, ut שְׂרִיקוֹת connectatur cum sequenti membro וְאֹרְגִים חוֹרָי. Enimvero forma ipsa vocabuli significationi passivae quam activae faventior esse videtur, prorsusque est credibile, prophetam, si pectentes feminas ante oculos haberet, scripturum fuisse potius שֹׂרְקוֹת, eadem forma Participii, qua sequens אֹרְגִים est. Quare nos cum Chaldaeo et multis recentioribus שְׂרִיקוֹת referimus ad פִּשְׁתִּים. Obstare quidem videtur constructio: sed evanescet haec difficultas, modo observetur, vocem פִּשְׁתִּים esse ex vocabulis, quae in *plurali* quidem *masculini generis* terminationem habent, sed potestatem feminini generis obtinent; quippe est a singulari פִּשְׁתָּה perinde ac vox שְׁחוֹת mox construitur cum voce מְרֻבָּאִים. Faber, l. c., verba nostra vertit: *perturbati erunt, qui linum subtile*, tenue, *coluerunt* (*es werden bestürzt seyn, die feinen Flachs baueten*), שְׂרִיקוֹת conferens cum شَرَقَ, *diffidit, divisit*, quam significationem etiam Syr. ܣܪܩ habet, ad quam significationem haud dubie Alexandrini respicientes, λίνον τὸ σχιστὸν posuerunt. Verba וְאֹרְגִים חוֹרָי plures vertunt *textores retium* quasi חוֹרָי propr. *foraminosa* scil. opera denotet a חוּר, vel חֹר, *foramen, caverna*, hinc *retia*, ob *foramina*, quibus scatent. Ita Chaldaeus, qui מְצָדִין posuit. Saadias quoque instrumentum aliquod piscatorium intellexisse videtur, dum القَرَاطِيس *crates* vertit. Sed excellentioris texturae opus, quodcunque sit, per חוֹרָי intelligendum esse, certum est. Sive enim cum חוּר Esth. I, 6., vocabulo a חָוַר *candidum esse*, conferas, *linea candida*,

 quo

quo vestitu nobiliores superbiisse videntur, illo ipso indumenti genere חֹרִים dicti; sive ad חוּר *foramen* illud referas, operis *foraminosi* aut *reticulati* textilia intelligenda erunt, qualia iterum non vulgi, sed illustrium tantum personarum fuerunt. LXX. Καὶ τοὺς ἐργαζομένους τὴν βύσσον. Formam חֹרַי nonnulli Grammatici, e. c. *Ludovicus de Dieu*, et *Altingius*, explicant ex lingua Syriaca, in qua pluralis numerus formae constructae desinit in (ַי). Sed illud ipsum, quod haec forma apud Syros forma est non absoluta, sed constructa, ostendit, non satis accurate eam conferri cum illa forma linguae hebraeae nominum quorundam in statu absoluto positorum. Mihi quidem rectissime de horum nominum forma videtur judicasse J. D. Michaelis in *Gramm. Hebr.* p. 130. dum non unam omnium rationem esse asserit. Nonnulla enim esse singularia collectiva, aut genus indicantia, cum Jod afformativo mobili, v. c. גּוֹבַי, *locustae*, ad formam aliorum nominum in Jod desinentium, quod alias quidem plerumque in Chirek quiescit, sed interdum tamen in *Patach*, cujus formae in nominibus propriis exempla complura extant. Eadem est Schroederi sententia, *Grammat.* Reg. XCII, b. β. not. p. 115. Ad hanc collectivorum formam nostrum חֹרַי quoque pertinet. Alia vero hujus formae nomina pluralia sunt in statu constructo posita, juxta formam Syriacam, quale exemplum occurret infra XX, 4.

10. In verborum וְהָיוּ שָׁתֹתֶיהָ מְדֻכָּאִים explicatione mirum est, quantopere differant interpretes. Vocabulum שָׁתֹתֶיהָ multi referunt ad verbum שָׁתָה *bibit.* Ad quos tamen non est referendus cum Vitringa Alexandrinus, quasi is verba nostra verterit: καὶ πάντες οἱ τὸν ζῦθον ποιοῦντες λυπηθήσονται, nam ita reddidit potius quae in textu nostro sequuntur: כָּל־עֹשֵׂי שֶׂכֶר אַגְמֵי נָפֶשׁ. Quomodo nostra verba Alexandrinus verterit, deinceps videbimus.

bimus. Doederlein a שָׁתָה, *bibere*, שָׁתוֹת significare censet *id, quod potui parando aptum est*, fruges, ex quibus potus coquitur. Similis est *Fabri* sententia, loco supra citato, quamquam alia via incedentis: pro שָׁתֹתֶיהָ legit שְׁתוּתֶיהָ, idque illustrat ex Syriaco ܫܬܐ, quod in Castell. Lexico Heptagl. quidem *vitis*, *propago* exponitur, sed incertae est significationis; vid. J. D. Michaelis not. ad Castell. Praeterea vitium cultura omnibus fere temporibus in Aegypto erat mediocris (vid. Warnekrosii *Commentat. de fertilitate Palaestinae comparata cum Aegypti fertil.* §. X. in Eichhornii *Repertorio* P. XIV. p. 288 seqq.), nec tanti momenti, quae digna fuerit, ut a vate hic memoraretur. Ad radicem שָׁתָה vocabulum nostrum refert quoque Dathius, sed legendum arbitratur in participio Hiphil: מַשְׁתִּיהָ, *Zythopoei, die Brauer Aegyptens.* Quae mutatio audacior est quam ut probari possit, nec confirmatur ullius aut codicis aut prisci interpretis testimonio. Ad שָׁתָה *bibit* retulit et Hieronymus, qui vertit: *et erunt irrigua flaccentia.* Saadias: ويصير رياضها ضعيفة *et fient prata ejus debilia*, i. e. languida. Aquila: αἱ ἀποθῆκαι αὐτῆς τεταπεινωμέναι. Respexit significationem verbi שׁוּת, *ponere.* Theodotion: ταπεινὰ αὐτῆς τεταπεινωμένα, item ad שׁוּת respiciens, quasi שָׁתָה esset *fundamentum*, i. e. infimum. A שׁוּת, *ponere*, Clericus quoque vertit *nassas*, quia in iis pisces reponuntur. Sed nulla harum interpretationum efficit bonum sensum. Veri propius, quod habet Chaldaeus, qui pro vocabulo Hebraeo ponit אֲתַר בֵּית שְׁתִי מַחְאָ, *locus texentium texturam, ein Weberstuhl.* Hinc verti possit: *machinae Aegypti textoriae contritae*, i. e. destructae. Et id placuit Henslero: *die Weberstühle zerschlägt man.* Verum quia in toto hoc contextu non de *instrumentis*, sed de *hominibus*, artes exercentibus, sermo est, et verbum דָּכָא plerumque

 de

de *animi contristratione* et *perturbatione* usurpatur, equidem, auctore Koppio, שְׁתֹתֶיהָ, *textores ejus*, Aegypti, legere mallem, a שָׁתָה, quod conferendum cum Syriaco ܐܶܫܬܝܼ, *texuit*, unde ܫܬܝܐ, *textura*, Chald. שְׁתִי, *stamen*, et Arab. سَدَاة, *stamen telae.* Quem sensum expressit Alexandrinus dum vertit: *καὶ ἔσονται οἱ ἐργαζόμενοι αὐτὰ* (scil. *λίνον καὶ βύσσον*, quorum vs. praeced. mentio erat facta) *ἐν ὀδύνῃ.* In verbis כָּל-עֹשֵׂי שֶׂכֶר אַגְמֵי נָפֶשׁ haud minor tum lectionis quam interpretationis diversitas invenitur. Primum pro עֹשֵׂי pauci codd. legunt in singul. עֹשֵׂה, deinde pro שֶׂכֶר Alexandrinus et Syrus legerunt שֵׁכָר, *Sicera*, de quo potu vid. ad Levit. X, 9. Nam vocem ipsam ܫܟܪܐ ponit Syrus, et Alexandrinum eodem modo legisse, patet ex eo, quod *ζῦθον* posuit. Hieronymus in *Commentar*, ad h. l.: *notandum, quod pro* lacunis LXX. *ζῦθον transtulerunt, quod genus est potionis ex frugibus aquaque confectum, et vulgo in Dalmatiae Pannoniaeque provinciis gentili barbarorum sermone appellatur* Sabajum. *Hoc maxime utuntur Aegyptii.* Eandem lectionem, שֵׁכָר, exhibent biblia Roberti Stephani in 4., Veneta, 1766., Pisana, 1781. Praeferunt eam lectioni receptae Michaelis, Doederlein, Henslerus. Biblia Brixiensia legunt שֶׁבֶר, *rupturam*, quod ut variam lectionem sistunt ad marginem Bombergiana utraque anni 1518. Sed nobis quidem haec lectio sensum sanum non videtur exhibere. Quod nos legimus, שֶׂכֶר, Chaldaeus interpretatus est סִכְרָא, *excipulum*, *lacunam*, quod ipsum vocabulum latinum posuit Vulgatus. Retulerunt hi vocem שֶׂכֶר ad סָכַר, *occludere*, *obturare* Genes. VIII, 2. (conf. not. supra ad vs. 4.), quasi שֶׂכֶר propr. esset *clausura aquarum.* Sic Jarchius, qui nomen hebraeum gallico *esclus* exponit, additque: „claudebant enim (Aegyptii) aquas egredientes extra ripam fluminis (Nili), quae dein sese

ex-

extendebant, atque ſtagnum efficiebant aquarum collectarum, in quibus multi piſces erant. Dicit igitur vates, fundamenta (שׁתות) foſſarum, quas illi foderant, contritum iri, et diruenda eſſe ſtagna concluſa ab ipſis facta.“ Quod ſequutus Saadias עֹשֵׂי שֶׂכֶר vertit: صناع السكور *facientes aggeres*, ſ. *obices*, quibus aquae concluduntur. Ad radicem סָכָה nomen שֶׂכֶר refert quoque Vitringa, qui vero illud *rete circumcludens* interpretatur. Rectius, noſtra quidem ſententia, Ludov. de Dieu שֶׂכֶר *mercedem* vertit, qua ſignificatione occurrit Proverb. XI, 19. עֹשֵׂי שֶׂכֶר igitur erunt *facientes quaeſtum*, quod ſane optime huic contextui convenit. Nam quemadmodum ante de lini opificibus ac textoribus dicitur, magnam eos rerum et fortunarum ſuarum ruinam paſſuros eſſe, ita nunc de *omnibus*, *qui quaeſtum ea re facerent*, eos fore אַגְמֵי נָפֶשׁ. Quae verba Chaldaeus vertit: וְכָנְשִׁין מַיָא גְבַר לְנַפְשֵׁיהּ, et *congregabunt aquas unusquisque ſibi ipſi*, quod quam parum aptum huic loco ſit, quisque ſentiet. Ex Hebraeis multi אַגְמֵי vertunt *paludes*, *ſtagna*, qua ſignificatione אֲגַמִּים occurrit Exod. VII, 19., et ſub אַגְמֵי־נָפֶשׁ intelligunt *ſtagna voluptatis* cauſſa facta, qualia refrigerii ergo etiamnum in hortis et viridariis Orientalium inveniuntur. Jarchius *ſtagna quieta* interpretatur, i. e. quorum aquae quieſcunt et uno in loco ſtant. Nomini נָפַשׁ *quietis* ſignificatum tribuit e loco Exod. XXIII. 12., ubi tamen verbum נָפַשׁ potius *reſpirandi*, *recreandi ſe*, quam *quieſcendi* notionem habet. Alii vertunt *ſtagna animae*, i. e. animantium viventium, piſcium, cujusmodi ſtagna ſive piſcinas Latini *vivaria* appellant, Graeci ζωοτροφεῖα. Aben-Esra: האגמים שׂם נפשות הדגים, *ſtagna, in quibus piſces viventes ſervantur*. Idem placuit Vitringae, comma noſtrum vertenti: *omnes facientes retia vivariorum*. Alio modo Nic. Guil. Schroederus in *Commentar.*

mentar. de vestitu mulier. Hebr. Cap. X. §. 6. p. 151. verba nostra interpretatur, hanc integri versus versionem et explicationem reddens: „*Erunt stamina ejus contrita, et facientibus retia stagna odoris;* vel, si mavis, *et ad facientes retia* quod adtinet, iis *erunt stagna odoris*, aut *foetoris*, nam aquae olentes non sunt nisi quae foetent. Ut sensus sit: *frustra, et in vanum piscatores Aegyptii retia contexent, et parabunt; ea nulli ipsis usui erunt, nam stagna foetida pisces non alent.* Sic forte respiceretur ad aquas Aegypti foetentes, et mortuos hinc pisces, Exod. VII, 21., propheta Aegyptiis plagam, haud absimilem ei, quae ipsos jam olim adflixerat, intentante." Sed vix dubium esse potest, verbis אַגְמֵי נֶפֶשׁ ejusmodi aliquid, quod vocabulo מְדֻכָּאִים in sententia praecedenti respondeat, affectionemque animi, qualis in rebus angustiis esse solet, denotare. Ejus generis significatum tribuit etiam illis Alexandrinus, cum per τὰς ψυχὰς πονέσουσι vertit. Optime vero explicavit Kimchius comparatione cum Jobi XXX, 25. instituta, quo in loco eadem fere dictio עָגְמָה נַפְשִׁי legitur. Videntur enim omnino, recte observante J. F. Schelling in *Animadverss. philologico-critt. in difficiliora Jesajae loca* p. 62., verba אגם et עגם eadem plane esse, solaque scriptionis ratione differre. Chaldaeis certe אָגַם idem plane significat, quod in loco illo Jobi עָגַם, atque etiam Arabicae radices أجم (quo verbo hic Saadias est usus) *taediosum quid habuit, pertaesus fuit*, et وجم *dolorem concepit* ex aliqua re, *abhorruit, ingratam habuit* rem, ejus notionis aliquid servarunt. Exempla permutationis א et ע inter se non in diversis tantum, sed in una eademque dialecto sunt גְּמָא et גְּמַע *absorbere* apud Chaldaeos, جلا et جلع *tegere*

gere apud Arabes, מְתָאֵב. et מְתָעֵב (Amos VI, 8. Jesaj. XLIX, 7.) *abominatus* apud Hebraeos.

11. Consilii inopiam apud Aegyptios nunc vates depingit, et ita quidem, ut oratio ejus continuo surgat. Vocula אַךְ hic vertenda est *enimvero*, *certe*, obtinet enim haec particula in initio sententiae significationem *asseverationis*. אֱוִלִים sunt *stolidi*, *mente perturbati*. Arabibus quidem آل pro أول med. *Vav*, אֱוִיל propr. est *incrassuit liquor*, idem quod خثر; quod postremum transfertur ad animum *turbatum*, *confusum*, *sui minus compotem*. Utriusque verbi participium آيل pro أاول, אויל, et خاثر, חֵשֵׁר propr. *incrassatus*, *crassescens*, commode usurpatur pro *stolido*, cui *judicium turbatum*, *corruptum*, ac quasi *incrassatum*. Sic fere Graecis παχὺς, *spissus*, *crassus*, ad *stupidum*, *stolidumve* transiit. Vid. Schultens. ad Job. V, 3. p. 131. Aliis אֱוִלִים sunt propr. *deficientes* scil. via recta, a *desciscendi*, *deficiendi* notione, quam verbum illud arabicum آل habet. Per שָׂרֵי־צֹעַן haud dubie intelligendi sunt primariae dignitatis homines, qui apud aulam regiam in urbe *Tani*, et, ut mox vs. 13. *Memphi*, regibus Aegypti erant a consiliis, vel ipsarum harum urbium proceres, praefecti Nomorum, nobilioribus domibus orti. De צֹעַן, veterum Aegyptiorum Τανις, recentiorum *Mansora*, vid. not. ad Ezech. XXX, 14. et Num. XIII, 22. Add. *l'Egypte sous les Pharaons par* Champollion, T. II. p. 101 seqq. Alexandrini hic et alias recte pro צֹעַן habent Τάνις, et Chaldaeus quoque Paraphrastes טָאנֵס ponit. Quod autem hujus urbis potius meminerit propheta, quam alius cujusdam, ut mox (vs. 13) Memphis, ratio haec est, quod urbes essent cele-

celebriores, aulisque regiis a longissimo tempore decoratae, atque Judaeis notissimae. [חַכְמֵי יֹעֲצֵי פַּרְעֹה עֵצָה נִבְעָרָה] Lowthio in hoc commate verbum deficere videtur, quod in codice suo lectum putat ab interprete latino, qui habet: *sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens*, hinc verba constituenda arbitratur ita: חַכְמֵי פַּרְעֹה יֹעֲצֵי עֲצַת נִבְעָרָה, *sapientes Pharaonis, consiliarii consilii brutescentis.* Verum nec additamento, nec transpositione opus habemus. Verti enim potest vel sic: *quod adtinet ad sapientes consiliarios Pharaonis, consilium eorum obbrutuit;* vel sic, ut haec verba conjungantur cum praecedentibus: *stulti sunt principes Tanis, sapientissimique quique consiliariorum Pharaonis; consilium obbrutuit* sc. ita Vitringa. Chaldaeus יֹעֲצֵי transtulit non substantive, sed participialiter: *sapientes, qui consuluerunt Pharaoni consilium erroris*, in eandemque sententiam Syrus, atque ex illo nata Hieronymi interpretatio videtur, *sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens.* Ceterum verborum חַכְמֵי יֹעֲצֵי פַּרְעֹה constructio non est inusitata, scilicet, ut duo nomina in statu regiminis conjunctim ponantur, et genitivus sequatur, qui utrique communis est. In tali locutione genitivus ex voce sequenti ad antecedentem etiam est subaudiendus, veluti Job. XX, 17. *Ne spectet rivos,* נַהֲרֵי נַחֲלֵי דְּבַשׁ *flumina, torrentes mellis et butyri*, i. e. flumina mellis et torrentes mellis. Ps. XXXV, 16. בְּחַנְפֵי לַעֲגֵי מָעוֹג, *inter hypocritas sanniones placentae*, i. e. inter hypocritas cibi, sanniones cibi, parasitos intelligit, qui gulae caussa aliis adulantur. Vid. Glassii *Phil. Sacr. Append. Gramm. S.* Tract. II. de figur. Grammatt. Obs. XII. p. 639. ed. Dath. et Buxtorfii *Thesaur. Gramm.* L. II. Cap. III. p. 363. עֵצָה נִבְעָרָה recte vertitur *consilium obbrutescens*, est enim haec significatio genuina verbi נִבְעָרָה, ut patet ex Jerem. X, 14. 21. LI, 17. et ex

ex usu recepto vocis בַּעַר. Dicitur autem *consilium brutum*, in quo nihil est rationis, nihil sanitatis et prudentiae. Verba quae sequuntur, בֶּן־חֲכָמִים אֲנִי בֶּן־מַלְכֵי קֶדֶם si ad litteram vertantur, *filius sapientum ego sum*, *filius regum antiquorum;* orationi difficultas subest: nam cum hic ὀνειδισμὸς seu μυκτηρισμὸς dirigatur ad *consiliarios Pharaonis*, sua sapientia gloriantes, quibus membrum prius bene convenit; quomodo in eos cadit, quod additur, *filius regum antiquorum?* Illos Pharaonis consiliarios sese jactasse, se, cum Maecenate Augusti, *atavis editos esse regibus*, parum videri queat probabile, et, dum sapientiam jactant, parum etiam ad rem facere, quia nobilitas ortus non necessario illorum commendabat sapientiam, qua hic unice finguntur gloriari. Quam difficultatem Chaldaeus interpres ita tollere conatus est, ut in posteriore sententiae parte ellipsin statueret, et locum ita conciperet: *quomodo dicitis Pharaoni:* בְּנֵי חַכִּימִין אֲנַחְנָא וְאַתְּ בֵּן מַלְכִין דְּמִלְּקַדְמִין *filii sapientum sumus*, *et tu filius regum priscorum.* Eodem plane modo Saadias. Idem sequitur Jarchius, qui haec verba ita exponit: „nunc Pharaoni vestrum unusquisque de se ipso dicit: filius sapientum ego sum; postquam autem ille per vestra consilia ceciderit, quomodo gloriabimini coram eo dicentes: filii sapientum sumus, tu autem es filius regum antiquissimorum.“ Sed durior est ista ellipsis, et quod in textu hebraeo nomen בֵּן utrobique in *singulari* ponitur, satis arguit, unum idemque designari subjectum. Kimchius verba haec: *filius sapientum sum*, *filius regum antiquorum*, vult esse verba non *consiliariorum*, sed *Pharaonis*. Quod autem propheta habet: *quomodo dicitis Pharaoni?* ita accipi vult: quomodo dicitis in persona Pharaonis, sive, בעבור פרעה, *causa Pharaonis*, ejus quasi personam sustinentes. Ad Kimchium proxime accedunt, qui hunc faciunt sensum dicti prophetici: *quomodo dicitis Pharaoni*, i. e.

i. e. quomodo facitis, ut dicat Pharao, adulationibus et assentationibus vestris haec verba ei praeeuntes, ut non tam suo, quam vestro ore illud dicat. Glassius *Philol. S.* p. 205. ed. Dath. ita haec effert: cur occasionem praebetis, et adulatione vestra efficitis; ut talia de se cogitet Pharao, et gloriabundus proferat? adducitque plura exempla verborum, quae *actionem* notant, sed quae per occasionem interpretanda sunt. Veluti Ps. LXXVI, 11. ad quem loc. vid. not. Quae quidem ratio nobis prae ceteris probatur, quum Plutarchus in libro *de Iside et Osir.* p. 353. doceat plerosque reges Aegypti sacerdotum, adeoque sapientum, ordini fuisse adscriptos, ac Herodotus (II, 141.) Sethonem, Aegypti regem tempore Hiskiae, Vulcani sacerdotem fuisse testetur. Vitringa vocem מֶלֶךְ h. l. vult genuina sua significatione sumendam, qua notet *consiliarium*, unde deinde *regibus* nomen inditum sit. Receptissima haec est significatio in dialecto Chaldaica, et usurpatur quoque hoc sensu in libro Danielis in oratione ejus ad Nebucadnezarem, IV, 24. מִלְכִּי יִשְׁפַּר עֲלָךְ, *consilium meum tibi placeat:* et Nehem. V, 7. וַיִּמָּלֵךְ לִבִּי עָלַי, *et consilium iniit apud me cor meum.* Hinc verba nostra vertit: *filius consiliariorum priscorum.* Sed nomen מֶלֶךְ de *consiliario* usurpatum fuisse, nullo exemplo probari potest. *Grotius* quoque *filiis regum antiquorum* intelligit *consiliarios*, sed hanc affert rationem cur illi dicere potuerint, *se esse filios regum antiquorum*, quod *multi sacerdotes Aegyptii genus suum ad reges retulissent.*

12. Pro וְיַגִּידוּ duo codd. Kennicott. יָבֹאוּ וְיַגִּידוּ, *veniant et annuncient*, exhibent. Placet Lowthio, favetque nexus verbi וְיַגִּידוּ. Sed vetustae versiones non legunt, ac repetitum videtur Doederlinio ex Cap. XLV, 20. וְיֵדְעוּ *Et cognoscant.* Verbum יָדַע hic usurpatur de re non praeterita, sed de futura, ut idem valeat, quod,

quod, *ſolerter indagare, explorare.* Sic ſumitur Jerem. V, 1. *Obite vicos Hieroſolymorum, et videte, quaeſo,* ‏ודעו‎, *et cognoſcite*, explorate, ſolerter indagate, *et quaerite in plateis ejus etc.* Alexandrini εἰπάτωσαν verterunt, et cum iis Vulgatus, *indicent*, quaſi legiſſent ‏יודיעו‎, quod Seckerus et Lowthus probant. Placet quoque id Koppio, hoc tamen discrimine, quod is ‏ידיעו‎ ſine novae litterae additamento pro futuro Hiphil defective ſcripto habet, quod igitur punctis inſtruendum ſit his, ‏יֹדִיעוּ‎ ſive ‏יְדִיעוּ‎, coll. Job. XXXVIII, 12. Ad hanc ſententiam Michaelis quoque propenſus eſt, in *Append.* ad Tom. XIV. *Bibl. Orient.* p. 31., quamquam ipſe agnoſcit, non opus eſſe hac mutatione punctorum. Sive enim vertas: *ut indicent et cognoſcant;* ſive, *age, indicent, explorent*, utrumque ſenſum bonum exhibet.

13. ‏נִשְּׁאוּ שָׂרֵי נֹף‎ *Decepti ſunt principes Memphios.* De ‏נֹף‎, ſ. ‏מֹף‎ *Memphis*, vid. not. ad Ezech. XXX, 13. Hoſ. IX, 6. cf. et SIMONIS *Onomaſtic.* V. T. p. 598. FORSTERI *Epiſtoll. ad Michaelem* p. 34., MICHAELIS in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* P. V. p. 1536, et CHAMPOLLION *l'Egypte ſous les Pharaons* T. I. p. 336 ſeqq. Erat autem *Memphis* urbs celeberrima, et poſt Thebas maxima totius Aegypti; ſuperioris Aegypti metropolis, commodiſſime ſita ad ripam Nili occidentalem, ſupra τὴν *Delta*, ubi Nilus ſe dividit in alveos, qui Aegyptum inferiorem circumſcribunt. Ceterum Memphis non eſt confundenda cum urbe Aegypti hoc tempore celebratiſſima *Cahira*, ut multi fecerunt; *Memphis* enim ad ipſum Nilum aedificata erat, Cahira vero ad canalem ex Nilo ductum ſita eſt. ‏וְהִתְעוּ אֶת־מִצְרַיִם פִּנַּת שְׁבָטֶיהָ‎ *Errare fecerunt Aegyptum primarii tribuum ejus.* ‏ו‎ ante ‏הִתְעוּ‎ omittunt multi libri et ſcripti et impreſſi. Norzius, qui commentarium criticum in omnes V. T. libros compoſuit, una cum textu ſacro editum

Man-

Mantuae, 1742., lectionem וְהִתְעוּ merum editionum recentiorum mendum existimat, nec negari potest, plerosque codices, et hispanos accuratiores nexum omittere. Extant tamen, teste de Rossio, codd. mss. et antiqui, et hispani, qui illum exhibent, quibus Alexandrini, Aquila, Symmachus, Theodotion et Syrus accensendi sunt. Quod autem commatis hujus sensum adtinet, de illo non consentiunt interpretes. Alexandrinus: καὶ πλανήσουσιν Αἴγυπτον κατὰ φύλας, *et decipient Aegyptum per tribus.* Neglexit vocem פִּנַּת, quam non intellexit, et relativum in voce שְׁבָטֶיהָ. Hieronymus multo rectius: *errare fecerunt Aegyptum, angulum tribuum ejus,* ubi per *angulum tribuum* Aegypti intelligit ipsum *regnum Aegypti*, quatenus plures populos continet et inter se devincit. Doederlinio quoque פִּנַּת שְׁבָטֶיהָ dictio periphrastica videtur, quae nihil aliud significet, quam simpliciter שְׁבָטֶיהָ, i. e. *nomos Aegypti*, Arabibus enim فَنَّ significare, *gentes per classes distribuere*, inde פִּנּוֹת esse *classes* Judic. XX, 2.; quare vertit: *et universos nomos in errorem deducunt*, scil. magnates Memphitici. Sed פִּנּוֹת citato Judicum loco sunt *primarii, principes.* Sensum recte expressit Chaldaeus, *deceperunt Aegyptios* רַבָּנֵי פִּלְכָהָא, *principes provinciarum ejus.* Apposite Saadias أَرْكَانُ أَفْخَاذِهَا propr. *anguli tribuum ejus* (Aegypti) posuit. Nam رُكْن *angulus*, cujus Pluralis fractus s. collectivum est أَرْكَان, Arabibus saepe dicitur de viris primariis, civitatis fulcimentis; unde رُكْن الدَّوْلَة *Rocnod-daulat, angulus imperii*, frequens est principum inter Mohammedanos cognomen. Et in Corano Sur. LI, 39. رُكْن vocantur Pharaonis consiliarii et proceres. Ita et Hebraeis *angulus* cum re-

reſpectu ad populum dicitur *vir primarius*, eximius, ſive ad duces exercitus, ſive ad rectores populi referatur. Sic apud Zachariam X, 4. *ex ipſo* (ſcil. populo Judaico) exibit פִּנָּה, *angulus*, *ex ipſo clavus*, h. e. duces exercitus et rectores populi. Conf. Pſ. CXVIII, 22. Jeſaj. XXVIII, 16. et not. ad Zeph. III, 6. שִׁבְטֵי מִצְרַיִם *tribus Aegypti* ſunt hic ipſi *nomi*, ſive praefecturae, in quas deſcripta erat tota Aegyptus, et *anguli tribuum Aegypti* ſapientiſſimi et primarii in quoque nomo viri, quorum conſiliis videbatur ſtare ſalus populi. Grotius pro פִּנָּה legendum putat in Plurali פִּנּוֹת, adducitque locum Judd. XX, 2., ubi פִּנּוֹת כָּל־הָעָם *totius populi anguli* dicuntur proceres populi. In Plurali Lowthus quoque et Henslerus legendum cenſent. Sine neceſſitate; nihil enim frequentius in ſcriptoribus Hebraicis, quam de pluribus *collective* loqui in *numero ſingulari*, cui recte aptatur verbum *numeri pluralis*, perinde ac *pluribus* frequenter dant verbum *numeri ſingularis*, distributive interpretandum, ita ut ſenſus ſit, *quisque angulorum tribuum Aegypti eam fecerunt errare.* Exempla ſimilia extant 2 Sam. XIX, 42. וְהִנֵּה כָל־אִישׁ יִשְׂרָאֵל בָּאִים אֶל־הַמֶּלֶךְ *omnis vir Iſraelita veniebant ad regem;* et Num. XXXI, 35. וְנֶפֶשׁ אֲשֶׁר לֹא־יָדְעוּ, *et perſona quae non cognoverunt.*

14. יְהוָה מָסַךְ בְּקִרְבָּהּ רוּחַ עִוְעִים *Jova miſcuit in medio ejus ſpiritum vertiginis.* Suffixum ָה in קִרְבָּהּ ad אֶרֶץ מִצְרַיִם eſt referendum, unde inutilis eſt Lowthi conjectura, legendum eſſe בְּקִרְבָּם; teſtem quidem adducit Chaldaeum, ſed is recte de *incolis* cogitavit, et liberius tantummodo vertit. Vox עִוְעִים a verbo עָוָה, quod conferendum eſt cum Arab. عَوِيَ, *erravit*, *ſeductus fuit*, *viam obliquam inivit* (conf. van der Sloot et Pocock. ad Carm. Tograi vs. 16.), notat *perverſitatem ſummam*, nam geminatio ſignificationem auget, vid.

vid. not. supra ad Cap. II, 20. Sed cum in hoc commate ceterae dictiones de *potu inebriante* et *ebrietate* sint desumtae, apte Vulgatus vertit *spiritus vertiginis.* Saadias: أَللّٰهُ مَزَجَ بَيْنَهُم رَأْيَ ٱلتَّشْوِيشِ *Deus miscuit inter eos consilium conturbationis.* Recte Grotius: „*dominus miscuit in iis spiritum vertiginis*, nempe ut undecim illi reges nihil in commune consulerent, sed dum pugnant singuli, vincerentur universi.“ כְּהִתָּעוֹת שִׁכּוֹר בְּקִיאוֹ *Sicut errat ebrius in vomitu suo.* Persistit in similitudine incepta. Potus ille spiritu vertiginis mixtus titubare facit consiliarios Pharaonis et sapientes Aegypti, quemadmodum in ebrio vertigo capitis omnem sensum turbat, et hominem plane ineptum facit administrandis corporis suis motibus.

15. Sensus est, tantam fore confusionem in republica, et perturbationem judicii, et consilii inopiam, ut in tota republica nemo futurus sit vir, politici aut sacerdotalis ordinis, aptus ad honestum et salutare consilium expediendum. Per *caput* intelliguntur *politici*, per *caudam* ordinis *sacerdotalis* homines, et iidem hi haud dubie per *ramos* et *juncos*, uti jam monuimus ad Cap. IX, 13. 14. ubi eadem locutio proverbialis occurrit. Chaldaeus hunc versum ita expressit: וְלָא יְהֵי לְמִצְרַיִם מִלְּכָא דִימַלֵּךְ רֵישׁ וְהֵיגְמוֹן שִׁלְטוֹן וְאִטְרוֹן *et non erit Aegypto consilium quod consultet princeps, aut dux, praefectus et dominator.*

16. יִהְיֶה מִצְרַיִם כַּנָּשִׁים *Erit Aegyptus instar mulierum.* Hac dictione poetae Hebraei saepius exprimunt summam ignaviam summumque pavorem; veluti Jerem. LI, 30. Nahum. III, 13. Pro יִהְיֶה referente Lowtho codex Bodlejanus legit וְהָיוּ, quod Alexandrino quoque et Chaldaeo lectum fuisse putat. Sed vid. supra ad vs. 14. Addit, trepidaturos esse Aegyptios מִפְּנֵי

חֲנוּפַת

תְּנוּפַת יַד־יְהוָה *propter agitationem manus Jovae* contra Aegyptum. *Agitare manum adversus aliquem* vel est *minitantis*, vel actu quem elata manu *aggredientis*, eumque *percutientis*, quo posteriore sensu passim in V. T. accipi, vidimus ad Cap. X, 32. XI, 15. Chaldaeus: וְיִתַּבְּרוּן מִן קֳדָם אֲרָמוּת גְּבוּרַת דַּיְיָ *et conterentur ab elevatione potentiae Jovae.*

17. וְהָיְתָה אַדְמַת יְהוּדָה לְמִצְרַיִם לְחָגָּא *Eritque terra Judae Aegypto terrori.* Nominis חָגָּא, licet hoc solo loco obvii, significatus e contextu orationis facile definitur, unde veteres interpretes in *pavoris*, *timoris* notione illi subjicienda fere consentiunt. LXX. εἰς φόβητρον, *in terriculamentum.* Hieronymus *in pavorem* vertit, et in Commentario scribit: „In Hebraico legitur *Agga*, quod interpretari potest et *festivitas*, et *timor*, quod significantius. Aquila transtulit γύρωσιν, quum aliquis pavidus et tremens circumfert oculos, et advenientem formidat inimicum.“ Sane חָגַג ut חוּג est *circumire*, sed quod latius sumitur de omni *nutatione*, qua quis, status impatiens, se commovit et convertit, quod accidit trepidantibus. Sic usurpatur Ps. CVII, 27. de iis qui magna saeviente tempestate agitantur mari, quo loco collato Kimchius nomini חָגָּא notionem תנועה הפחד ורעדה *commotionis*, *timoris et trepidationis*, et Jarchius, חבר אימה ופחד *confractionis*, *pavoris et timoris* tribuit. Chaldaeus לְדַחְלָא *in pavorem.* Hunc antiquiorum interpretum consensum primus divellit A. Schultens, qui in *Animadverss. pilologg.* ad h. l. Primo minus firmam esse argumentationem ait, qua ex sequenti יִפְחָד *ad pavoris* significationem in voce חָגָּא concludatur, quum vel hoc ipsum verbum non semper pavorem illum, mentem loco moventem, designet, sed ad *festinationem* saepe et *accelerationem* pertineat, quo sensu et Hos. III, 5. occurrat. Verum deinde significa-

tum vocis חָגָּא eundem esse autumat, qui arabici nominis مَحْجَأٌ sit, *refugii* nimirum, sive *asyli*, a radice حَجَأَ *confugere*, sensumque orationis propheticae hunc constituit; *eritque terra Juda Aegypto in refugium; quum quis ejus*, tanquam asyli, *mentionem fecerit*, vel, *eam* tanquam asylum *celebraverit*, *ad eum accurretur*, trepidabitur. Difficile vero est intellectu, cur ad eum potius, qui eam, tanquam asylum, celebraturus sit, quam ad asylum ipsum properatum iri diceretur a propheta. In hoc itaque, quum ceteroquin in explicatione vocis חָגָּא ipsius cum Schultensio consentirent, dissenserunt ab eo Döederlinius. Dathius et Michaelis, malueruntque suffixum vocis אֵלָיו, generis licet diversitas obstet, ad *terram Judae* referre. Neque vero haec unica difficultas est, quae Schultensianam premit sententiam, sed aeque difficile est explicatu, quomodo a radice חָגָא forma חָגָּא nasci potuerit. Quam ob caussam J. D. Michaelis in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* p. 667, quod, haec si puncta vocalia admittantur, ad radicem חָגַג referendam potius vocem esse perspiceret, alia substituenda legendumque esse חָגָא statuit. Idem vero etiam monet, factam hic esse, ut saepe, duarum lectionum confusionem, punctis lectionis חָגָה literis חגא substratis. Et חָגָה quidem servarunt quinque codd. Kennicottiani, et duo libri impressi. חָגָה autem Michaelis l. c. p. 671. collato Arabico حَجَّ *terrae impingere pedem* interpretatur *lapsum*, ut dicat vates, terram Judaicam Aegyptiis fore offensioni, damno et periculo. Schelling contra in *Animadverss.* ad h. l. p. 66., licet et ipse חָגָה legendum censeat, a Michaele in eo discedit, quod nomen illud e verbo Arabico حَجَّ illustrandum vult, quod dicitur de iis, qui *peregrinationem sacram*, speciatim

ciatim Meccanam, aut Hierosolymitanam, *suscipiunt*, habentque etiam nomina حِجَّة , حَجّ , حِجّ eundem *peregrinationis religiosae* significatum. Quem ipsum et apud Hebraeos obtinuisse חָגַג, probat e Psalmo XLII, 5., ubi הָמוֹן חֹגֵג est turba hominum ad festum Hierosolymis celebrandum proficiscentium. Unde locum nostrum ita vertit: *et erit terra Judaea Aegyptiis ea, quo sacras peregrinationes suscipient;* quemadmodum Zach. XIV, 16. de pluribus gentibus, quae Judaeis quondam infensae fuissent, speciatim vero vs. 18 de ipsis Aegyptiis ad tabernaculorum festum eos Hierosolymam ituros esse diserte praedicitur. Ad reliqua hujus versus verba recte observat Schelling, אֵלָיו minime ad terram Judaicam posse referri; quomodo enim haec terra in una eademque sententia, quin in duabus vocibus proxime se excipientibus, pronominibus diversi generis, feminino in אֹתָהּ, et masculino in אֵלָיו designari possit? Ad כֹּל אֲשֶׁר potius suffixum vocis אֵלָיו respicere certum est, ut verba כֹּל אֲשֶׁר יַזְכִּיר אֹתָהּ אֵלָיו יִפְחָד ita sint vertenda: *quisquis eam commemorabit eum cum reverentia audient.* פָּחַד enim cum אֵלָיו conjunctum hic de *religiosa* illa *reverentia*, qua quis ab ore alicujus pendet, intelligendum est, idemque valet, quod dictio plane similis infra LXVI, 2. 5. חָרֵד עַל־דְּבָרִי *trepidans propter verbum meum.* De Aegypto itaque dicitur, eam cum reverentia audituram vel solam terrae Judaicae, si qua fiat, commemorationem, quemadmodum et suffixum extremae vocis עָלָיו ad eandem spectat. Neque huic obstat masculinum verbi יִפְחָד, tum hujus suffixi genus. Quamvis enim regionum terrarumque nomina alias sint feminina, saepe tamen quod non tam terra ipsa, quam populus eam incolens innuitur, per synesin ad intellectum magis, quam ad grammaticam rationem conformatur constructio. *Consilii, quod Jova super*

Aegypto cepisset, versu jam 12. mentio facta erat. Hic igitur, quae modo denuntiarat propheta, *pro eodem Dei omnipotentis consilio* certo eventura esse confirmatur.

18. בַּיּוֹם הַהוּא *Illo die* hic latius capiendum est, pro *circa* s. potius *post illud tempus*, plane ut Jes. IV, 2. Sermo enim hic est de *tempore*, quod afflictionem in superioribus descriptam sequetur, post restitutam rempublicam. Verbis, quae subjiciuntur, fore, ut *in terra Aegypto quinque sint urbes lingua Cananaeá loquuturae et Jovae juraturae*, non est dubium hoc significari, magnam gentis partem a superstitione et idolorum cultu ad Dei Israelis cultum conversum iri. חָמֵשׁ עָרִים *Quinque urbes* positae sunt pro *pluribus urbibus*, numero definito pro indefinito, quod solenne poetis. Sic Levit. XXVI, 8. dicitur, *quinque* ex Hebraeis centum persequuturos esse hostes. שְׂפַת כְּנַעַן *Lingua Cananaea*, est *Hebraea*, quae appellatur *Cananaea*, sive quod eadem esset quae *Phoenicia* sive *Cananitarum*, veterum hujus terrae incolarum, qui illo tempore adhuc supererant in Tyriis et Sidoniis; sive simpliciter, quod Abrahamidarum esset, *terram Canaanis* (אֶרֶץ כְּנַעַן) incolentium, et tunc locutioni subest ellipsis, et שְׂפַת כְּנַעַן idem valet, quod שְׂפַת אֶרֶץ כְּנַעַן, quae ellipsis non est inusitata Hebraeis, veluti Exod. XV, 15. נָמֹגוּ כֹּל יֹשְׁבֵי כְנָעַן *diffluent omnes incolae Canaanis*, i. e. אֶרֶץ כְּנַעַן. Ceterum vates phrasin, *Aegyptios locuturos lingua Cananaea*, haud dubie translate usurpavit, ut significaret, fore, ut Jova, Israelitarum Deus, in Aegypto colatur, *loquela* igitur ut cum Vitringa loquar, hic est *realis*, non *verbalis*, perinde ac vox in pluribus aliis locis sumitur, vid. Vitringae *Observatt. SS.* Lib. I. Cap. IX. §. VII. VIII. Sic Prov. XII, 19. שְׂפַת אֱמֶת, est *labium veritatis*, sermo verus; Ps. XII, 3. שְׂפַת חֲלָקוֹת, *labium blanditatis*, oratio

oratio blanda et fallax; et Prov. XIX, 1. עִקֵּשׁ שְׂפָתָיו, *perversus labiis suis*, qui falsa et non consentientia loquitur." Similis nostro loco est ille Zephan. III, 9. *quippe tunc vertam ad populos* שָׂפָה בְרוּרָה *labium purum*, i. e. doctrinam verae religionis. Cf. not. ad eum loc. Id velle vatem nostrum, clarissime patet, et ex totius orationis scopo, et ex iis quae sequuntur. נִשְׁבָּעוֹת לַיהוָה צְבָאוֹת *Jurantes* erunt *Jovae*, jurejurando se Jovae obligabunt ad obsequium, venerationem, omnemque religionis Israeliticae cultum. Cf. Deut. X, 20. infra LXV, 16. Jerem. XII, 16. Ad verba עִיר הַהֶרֶס יֵאָמֵר לְאֶחָת est observandum, pro הרס legi חרס cum *Cheth* in undecim codicibus Kennicottianis, et quinque Rossianis, porro in Bibliis Brixiensibus, Bibliis Munsteri utrisque Hebraeo-latinis, 1534. 1546, sed cum alia lectione ad marginem. החרס notant etiam ad marginem Biblia Veneta 1518. et in Adpend. Basileensia, 1536. Nonnullos codd. mss. Sec. XI. et XII. ita legisse, docet nos Aben-Esra, nec aliter legebant codices Talmudistarum ex tractatu *Menachoth* Fol. 110. ubi hoc vocabulum legitur cum *Heth*. Vid. Kennicotti *Dissertation. General.* §. XXI. pag. 120. et §. CXXVI. pag. 271. ed. Bruns. Ex *priscis interpretibus* חֶרֶס legit Alexandrinus juxta editionem Complutensem, nam ibi invenitur Ἀχερὲς, et qui Alexandrinum constanter sequitur, Arabs in Polyglottis, مَدِينَة عَيْن شَمْس exhibens, quod hodie nomen est ejus urbis, quam veteres Ἡλίου πόλιν appellarunt, vid. *Michaelis* not. ad Abulfedae Aegypt. p. 125., porro Symmachus, qui habet πόλις ἡλίου, nempe ita interpretatus est חרס, quod *solem* notat Job. IX, 7. Jud. VIII, 13. XIV, 17. *Vulgatus*, *civitas solis*, Saadias قَرْيَة حَرَس *urbs custodiae*. Hieronymus: „*Ares* verbum ambiguum et *testa* dicitur [חֶרֶשׂ], et *sol*, eo quod

quod utrumque areat et siccum sit. Hunc locum non intelligens Onias templum exstruxit in oppido Ἡλιοπόλεως. Lege Josephi Historias [*Antiqq.* L. XIII. Cap. 6. editt. veter. s. C. 3. §. 3. edit. Haverc.; cf. L. XII. Cap. 9. §. 7. et L. XX. Cap. 10.]. Alii *Ares*, id est, ὄστρακον, hoc est, *testam*, urbem *Ostracinem* intelligi volunt, et ceteras juxta Rhinocoruram, et Casium civitates, quas usque hodie in Aegypto lingua Chananitide, hoc est, Syria, loqui manifestum est; et putant e vicino Syros atque Arabas a Nabuchodonosor in illam terram fuisse translatos.“ Sed quum Ostracine fuerit in extremis Aegypti finibus, nec amplitudine, fama aliisque praerogativis comparanda Heliopoli, Vitringa eam urbem nomine עִיר הַהֶרֶס indicari censet, et id eo quidem magis, quod singularis emphasis accedat in hoc loco, si *Heliopolis* intelligatur. „Quum enim,“ inquit, „una illa urbs totius Aegypti omnium maxime fuerit dedita superstitioni antiquae gentis, et veluti sedes idololatriae Aegyptiae; παραδοξότατον videbatur, Heliopolin fore inter illas urbes, quae profiterentur verum Deum. Herodotus exerte, cur se contulerit Heliopolin et Thebas [L. II, c. 3.]: Οἱ γὰρ Ἡλιοπολῖται λέγονται Αἰγυπτίων εἶναι λογιώτατοι, *Heliopolitani enim* feruntur *Aegyptiorum esse solertissimi.* Strabo [L. XVII. §. 29.]: *Hanc enim perhibent* κατοικίαν ἱερέων γεγονέναι τὸ παλαιὸν, φιλοσόφων ἀνδρῶν καὶ ἀστρονομικῶν, *olim fuisse sedem sacerdotum, philosophiae et astronomiae operam dantium.*“ Quod nos vero in plerisque codd. et libris impressis legimus, חרס, inter veteres exhibent Syrus (ܚܪܣ), Aquila (Θάρες), et Theodotion, πόλις Ἀρές; Praefert hanc lectionem Ikenius, qui in *Dissertat.* de עִיר החרס *et Altari Jovae in media Aegypto ad Jes. XIX,* 18. (in ejus *Dissertatt. Philologico-Theologicis.* P. I. Lugd. Batavor. 1749. Dissertat. XVI. p. 258.) contendit, הרס conferendum

dum esse cum Arabico هَرِس, quod *leonem* significet, עִיר הַהֶרֶס itaque esse *Leontopolin*, nec aliter Oniam, extorrem patriae sacerdotem, Antiochi Epiphanis tempore, intellexisse, qui Jesajae vaticinium, ut ipse quidem putabat, impleturus, significabat Ptolemaeo Philometori, Aegypti regi, se cum Judaeis venisse *εἰς Λεόντων πόλιν τῆς Ἡλιοπολίτου*, *Leontopolin*, urbem nomi *Heliopolitani*, petiitque libertatem templum Deo suo aedificandi; quam licentiam impetravit quoque referente Josepho, l. c. Haec Ikenii sententia placuit plerisque post eum interpretibus, veluti Christiano Müllero in *Satura Observatt.* Cap. VI. pag. 65 seqq. Michaeli, Doederlinio et Dathio. Sunt tamen plura, quae huic sententiae obstant. *Primo* enim quod Ikenius contendit, هَرِس absolute *leonem* notare, vellem ab ipso exemplis probatum esset. Nam هَرِس adjectivum est ab هَرَسَ *contudit*, sive media Kesra, هَرِسَ *vehementer edit, vorax fuit*, unde in genere quidem notat vel *contundentem*, vel *voracem*, et de omni animali vorace et rapaci usurpari potest; neque vero voce هَرِس simpliciter posita *leo* denotatur. In Lexicis Golii et Castelli ad h. v. legitur: „vehemens et vorax *leo*;" ubi id ipsum, quod vocabulum *leo* exaratum est *litteris obliquis* (*cursiv* nostrates dicunt), indicat vocabulum illud ut *leonis* tantummodo epitheton usurpari, ut cuique, qui Lexicis illis usus est, cognitum est. Si vero etiam concedamus, هَرِس Arabibus *leonem* notare, certum tamen est, nec in Chaldaica nec in Syriaca dialecto, quippe cum Hebraea arctius connexis, הֶרֶס *leonem* significare: num autem credibile est, vatem, si leonem exprimere voluisset,

ſet, uſum eſſe voce in lingua vernacula plane inuſitata, cum haec ipſa plura *leonis* nomina, ut אֲרְיֵה, ſeu אֲרִי, לַיִשׁ, כְּפִיר, לָבִיא, שַׁחַל, ipſi offerret? *Deinde* in eo erat Ikenius, quod Joſephum narrare dicit, Oniam ideo Leontopoli templum exſtruxiſſe, quod id ipſum in Jeſaja praedictum inveniſſet. Nil tale in Joſepho. Dicit tantummodo, *Antt.* L. XIII. Cap. III. §. 3., Oniam Leontopoli templum exſtruendi veniam petiiſſe a Ptolemaeo, *θαῤῥῶν μάλιστα τῷ προφήτῃ Ἡσαΐᾳ, ὃς ἔτεσιν ἔμπροσθεν ἑξακοσίοις πλέον γεγονὼς, προεῖπεν, ὡς δεῖ πάντως ἐν Αἰγύπτῳ οἰκοδομηθῆναι ναὸν τῷ μεγίστῳ Θεῷ ὑπ' ἀνδρὸς Ἰουδαίου*, et mox Oniam ad Ptolemaeum haec ſcripſiſſe refert: petere ſe, ut Leontopoli templum exſtruere Ptolemaeus ipſi concederet, *καὶ γὰρ Ἡσαΐας ὁ προφήτης*, pergit, *τοῦτο προεῖπεν· ἔσται θυσιαστήριον ἐν Αἰγύπτῳ κυρίῳ τῷ Θεῷ· καὶ πολλὰ δὲ προεφήτευσεν ἄλλα τοιαῦτα διὰ τὸν τόπον*. Jam ſi Onias in Jeſaja de *leonis urbe* quidquam inveniſſet, quis credat, hoc, quod maximi erat momenti, ab eo eſſe omiſſum? Quod autem Leontopoli Onias templum exſtruebat, id fecit, quod hujus loci ſitus prae aliis maxime opportunus ipſi videbatur (*εὑρὼν τὸν τόπον ἐν τῷ προσαγορευομένῳ τῆς ἀγρίας Βυβάστεως ὀχυρώματι, βρύοντα ποικίλης ὕλης, καὶ τῶν ἱερῶν ζώων μεστὸν, δέομαι συγχωρῆσαί μοι τὸ ἀδέσποτον ἀνακαθάραντι ἱερὸν καὶ συμπεπτωκὸς, οἰκοδομῆσαι ναὸν τῷ μεγίστῳ Θεῷ*), non permotus Jeſajae praeſagio. Egregium quidem pro ſua de *Leontopoli* ſententia munimentum Ikenius in verſione Graeca, prouti in codice Alexandrino exhibetur, deprehendiſſe ſibi viſus eſt. Legitur enim ibi: *πόλις Ἀσεδὲκ κληθήσεται ἡ μία πόλις*. Ἀσεδὲκ Ikenius exiſtimat exprimere Arabicum أَشْفَحُ (ſic enim ſcribendum, non ut *Ikenius* ſemper, et ipſo deceptus Mullerus p. 67. أَشْقَحُ), quod a Dſcheuhario, Lexicographo Arabe, Golio referente, ita exponitur: *macu-*

lam

lam albam a fronte ad nasum protensam habens, et, cum articulo, *leo.* Estne vero credibile, leonis nomen, seu potius epitheton, Arabibus minus frequens, et ab uno alterove poeta usurpatum, Judaeis illis Alexandrinis, quibus Graecam Jesajae translationem debemus, cognitum fuisse? Vox 'Ασεδὲκ sine omni dubitatione respondet Hebraeae הַצֶּדֶק *justitia*, uti jam observavit Eusebius: ὃ δὲ σημαίνει· δικαιοσύνης. Nec tamen probabile videtur, interpretem Graecum pro הַהֶרֶס sive הַחֶרֶס, legisse הַצֶּדֶק, cum elementorum magna nimis in utraque voce quod ad figuram sit diversitas. Vitringa putat, interpretem Graecum, cum non assequeretur, quid illud עִיר הַהֶרֶס sibi vellet, vertisse per πόλιν 'Ασεδὲκ, ad imitationem Cap. I, 26, ubi de Hierosolymis: *vocaberis* עִיר הַצֶּדֶק *urbs* (*Asedek* ut Graeci legerent) *justitiae*, quae et *Cappelli* est opinio. Mihi tamen probabilior videtur PRIDEAUX sententia in *Connex. V. T.* P. II. p. 529., interpretes illos, quippe Alexandrinos, verba hebraea ideo ita reddidisse, ac si scriptum esset עִיר הַצֶּדֶק יֵאָמֵר לְאַחַת, ut tanto magis honorifica templi Oniae mentio hic loci fieret; quod Michaeli quoque videtur. HILLERUS in *Onomast. S.* p. 665 seqq. locum hunc ad Judaeos illos refert, qui post urbis et templi excidium in Aegyptum migrarunt 2 Reg. XXV, 26.; eumque hoc modo intelligit: illo tempore erunt in terra Aegyptia *quinque civitates* (nempe *Magdolus*, *Daphne*, *Noph*, et in terra *Pathros* Goschen, seu 'Ηρώων πόλις, ex versione Alexandrini interpretis Genes. XLVI, 28., et Pathomos s. *Pithom*), *Cananaeo sermone utentes*, *et juratae Jovae*, *quarum unaquaeque dicetur civitas destructionis*, quoniam qui isthic remanserint omnes ad unum exscindentur; coll. Jerem. XLIV, 1. 12. 13. 14. Quae sententia tamen contextui sermonis, qui fausta et bona promittit, non congruit. Neque לְאֶחָת hic commode *singulis* vertitur, ut Ezech. I, 6. Quis enim credat, prophetam dicere voluisse, quin-

 que

que illas urbes cunctas uno eodemque nomine appellandas esse? Walthero totum hoc comma glossema a Judaeis Aegyptiis textui intrusum videtur, quod succedente tempore in fontem Hebraeum quoque irrepserit. In eandem sententiam incidit Eichhorn (*die hebräischen Propheten* p. 351. not. e). Sed parum probabile est, Judaeos Palaestinenses tale quid in suis codicibus admisisse. Omnino autem hoc comma viris doctis non creasset tantas molestias, si cogitassent, non scriptorem aliquem *historicum*, sed *poetam* ab ipsis esse interpretandum. Jam quum per *quinque urbes Aegypti*, *lingua Cananaea loquutas*, non certae quaedam urbes sint intelligendae, ut vidimus, facile est intellectu, עִיר הַהֶרֶס merum esse nomen poeticum, ad sententiae et imaginis ornatum a vate inventum. Quod viderunt jam illi interpretes, qui verterunt *urbem destructionis*, cujus appellationis tamen rationes varii reddunt varias. Kimchi: „usque adeo adhaerebunt fidei Dei Israelis, ut inter se inituraе sint pactum, ut si quae earum quinque urbium recesserit a cultu veri Dei, ea appellanda sit *civitas destructionis*, i. e. ceterae in eam insurrecturae et eam destructurae sint.“ Quod quam parum sit probabile, unusquisque sentiet ipse. Nec majore veri specie sese probat eorum sententia, qui *urbem destructionis* putant eam, quae parum a destructione afuisset, sed divinitus servata esset. Similiter Junius et Tremellius, „*civitas destructionis* hic dicitur urbs a destructione liberata.“ Hensierus *civitatem destructionis* appellatam fuisse censet ideo, quod in bello civili, de quo sub carminis initio, destructa, auxilio praestito Aegyptiis a Jova, iterum reparata esset. Sed quis non videt, ejusmodi urbem potius a *liberatione*, quam a *destructione* appellandam fuisse? Paulus, V. S. V., in *Clavi Jesajana* hunc locum ita capit: quodsi et quinque hebraicae, Jovano cultui deditae urbes in Aegypto fuerint,

tamen

[illegible]

tica esse, ut jam bene Waltherus observavit. יִהְיֶה מִזְבֵּחַ לַיהוָה *Erit altare Jovae.* Post לַיהוָה addunt צְבָאוֹת sex codd. Kennicott. et duo Rossiani, nec non Syrus, qui vertit ܠܡܪܝܐ ܚܝܠܬܢܐ, *domino potenti*, ut vertere solet יְהוָה צְבָאוֹת. Quaerunt interpretes, utrum vates sub *altari* intelligi velit altare otiosum, quales arae absque ullo earum usu Diis frequenter consecrabantur apud Gentiles; an vero *altare*, consecratum religioni, quod inserviret sacris, in eo offerendis, quodque proin supponitur conjungendum fore cum *templo*, sacerdotibus, sacrorum ministris, et universo cultus divini apparatu. Prius elegit Grotius, qui altare hic vult esse *memoriale*, ad *memoriam* videlicet, non ad *sacrificia* erigendum, collato loco Jes. XXII, 22. 23. Non dubitarem hanc sententiam amplecti: nisi propheta se ipse mox interpretaretur vs. 21.; ubi dicit, fore ut Jova ab Aegyptiis *sacrificiis* et *muneribus* coleretur. וּמַצֵּבָה אֵצֶל־גְּבוּלָהּ לַיהוָה *Et cippus apud terminum ejus Jovae.* מַצֵּבָה Hebraeis est qualiscunque *cippus*, *tumulus* aut *monumentum*; sive sit lapis major rudis, sive columna ex ligno aut lapide formata, ad rei alicujus memoriam conservandam erectum, aut Deo alicui consecratum, vid. Genes. XXVIII, 17. Cap. XXXIII, 20. Erat enim moris vetustissimi, ut si cui in hoc illo loco obtigisset singulare aliquod beneficium divinae providentiae, cippum sive titulum, vel aram in ejusmodi loco poneret, et numini consecraret, subinde etiam, addita inscriptione, quae vel simpliciter Dei illius, cui consecratum erat monimentum, nomen exhibebat, vel beneficii memoriam latius explicabat. Cujus rei insigne exemplum vid. 1 Sam. VII, 12. Graecis haec monimenta sive tituli στῆλαι dicebantur, qua voce Alexandrini quoque h. l. utuntur, ut Hieronymus *tituli* vocabulo. Hoc igitur monimentum, in Aegypto erigendum, testabitur, Aegyptios accen-

accenſitos eſſe Jovae populo, veraeque religionis fidem ac cultum ſuſcepiſſe, tanquam qui ſevere puniti a Jova, manum vindicem ejus tandem agnoverint, et ſe ipſi tanquam victori et ſupremo omnium poteſtatum domino ſubjecerint. Non improbabilis eſt Vitringae conjectura, titulum hunc Jovae conſecrandum in terra Aegypti hic opponi ſuperbis illis *titulis*, ſeu ſtatuis, *Soli* in pluribus Aegypti locis erectis, quales Obeliſci erant, quorum unus, referente Ammiano Marcellino *Hiſtor.* L. XVII. Cap. 4., *Deo Soli ſpeciali munere dedicatus fixusque intra ambitioſi Templi delubra, quae contingi non poterant, tanquam apex omnium eminebat.* Tales Jeremias XLIII, 13. מַצְּבוֹת בֵּית שֶׁמֶשׁ *ſtatuas domus Solis* videtur vocare.

20. וְהָיָה לְאוֹת וּלְעֵד לַיהוָה *Eritque in ſignum et teſtimonium Jovae*, i. e. ut inde liqueat, vel, Aegyptum factam eſſe Jovae ſacrum, vel ſaltem, in Aegypto eſſe plures Jovae cultores. Pro וְהָיָה codex Roſſianus 789. (ante annum 1283. ſcriptus, multas eximias varietates habens) Syrusque legunt וְהָיְתָה, in feminino, relato verbo ad מַצֵּבָה, ſeu *ſtatuae* nomen, quod proxime praecedit, non ad מִזְבֵּחַ. וְיִשְׁלַח לָהֶם מוֹשִׁיעַ וָרָב וְהִצִּילָם *Et mittet eis ſervatorem, et vindicem, qui eos liberet.* רָב interpretes tantum non omnes, Coccejo excepto, vertunt *magnum*, et *Ptolemaeum magnum*, Lagi filium intelligunt alii, alii *Alexandrum magnum*. Sed primus vidit Coccejus, ſignificationem *magni* huic contextui non convenire, recteque obſervavit, vocem רָב, cum *Camez*, non eſſe confundendam cum רַב, per *Patach*, ſed exponendam eſſe ex verbo רוּב, ſ. רִיב *contendere, litigare, cauſſam alicujus agere in judicio*, adducitque locum parallelum Deut. XXXIII, 7. ubi Moſes in benedictione Judae, oratione ad Deum verſa: יָדָיו רָב לוֹ וְעֵזֶר מִצָּרָיו תִּהְיֶה, *manus ipſius, patronus ipſi, et auxi-*

auxilium ab hostibus ejus fiat. Cos. ROBERTSONII *Clavem in Pentateuch* p. 561. Veteres simile quid videntur in mente habuisse. Alexandrinus: καὶ ἀποστελεῖ αὐτοῖς ἄνθρωπον ὃς σώσει αὐτούς, κρίνων σώσει αὐτούς. Chaldaeus: פָּרִיק וְדָיָן, et Syrus ܦܪܘܩܐ ܘܕܝܢܐ, *liberatorem et judicem*; Hieronymus: *propugnatorem.*

21. וְנוֹדַע יְהוָה לְמִצְרַיִם *Et innotescet Jova Aegyptiis*, quae Chaldaeus sic exponit: וְתִתְגְּלֵי גְבוּרְתָא דַיָי לְאוֹטָבָא לְמִצְרָאֵי, *manifestabit se potentia Jovae, ut benefaciat Aegyptiis.* Verba וְעָבְדוּ זֶבַח וּמִנְחָה gemino modo accipi possunt, vel, ut עָבְדוּ, *servient, colent*, hic idem valeat, quod עָשׂוּ, *facient*, quomodo Latini usurpare solent *facere*, pro *offerre*: certe Chaldaeis עֲבַד est *facere*, et עוֹבָד, *opus*, ut vates noster infra Cap. XXXII, 17. eodem commate alternat מַעֲשֵׂה הַצְּדָקָה et עֲבוֹדַת הַצְּדָקָה; vel, ut phrasis statuatur elliptica, et עָבְדוּ זֶבַח וּמִנְחָה idem sit, quod עָבְדוּ אֶת יְהוָה בְּזֶבַח וּבְמִנְחָה *colent Jovam sacrificio et munere.* Sic Chaldaeus, cui et ego cum Vitringa accedo, nam phrasis עָבַד זֶבַח alias non occurrit, et ellipsis particulae ב frequentissima in in libris Hebraicis.

22. Per *sanationem* Aegyptiorum hic absque dubitatione intelligenda est reipublicae, sive regni Aegyptii instauratio in splendorem et decus pristinum, conjuncta cum liberatione ab oppressione et vindicatione a servitute. Conf. supra Cap. I, 6. et Jerem. XXX, 17. *Quia faciam, ut integritas* (staturae et valetudinis) *tibi surgat*, וּמִמַּכּוֹתַיִךְ אֶרְפָּאֵךְ *et plagas tuas curabo*, restituam te in statum pristinum felicem. Ut vero intelligatur, restitutionem Aegyptiorum in statum pristinum esse effectum conversionis et precum eorum addit: וְשָׁבוּ עַד־יְהוָה *et convertent se ad Jovam*, וְנֶעְתַּר לָהֶם *et exorabilem se iis praebebit*; נֶעְתַּר proprie est: *nidore suffiso exo-*

exorari, *propitiari*, vid. 2 Sam. XXIV, 25. *Et aedificavit David altare domino atque obtulit holocausta et completoria pacis*, וַיֵּעָתֵר יְהוָה *et nidore isto propitiatus est Dominus.* Hinc de beneficientia, multis, adsiduis et longi temporis precibus impetrata dicitur 2 Sam. XXI, 14. Originem variasque hujus verbi notiones multis exposuit A. Schultens ad Proverb. XXVII, 6. p. 388 seqq. Chaldaeus: וִיקַבֵּל צְלוֹתְהוֹן *et suscipiet preces eorum.*

23. Aegyptii una cum Assyriis, a quibus olim maxime divisi erant animis, Jovam colent; uterque populus, sublata invidia, quae animos harum gentium aemularum olim ab invicem distraxerat, communi ejusdem religionis vinculo conjungetur, et eodem vinculo uterque ille populus erit in communione Israelitarum. Id vates poetice ita enunciat, fore viam planam, tutam, latam, id enim indicat מְסִלָּה, ex Aegypto in Assyriam, ultroque citroque ab Aegyptiis et Assyriis calcandam; similem imaginem habuimus supra Cap XI, 15., et conf. infra XXXV, 8. Verba וְעָבְדוּ מִצְרַיִם אֶת־אַשּׁוּר gemino modo accipiuntur ab interpretibus. Alii sic: *et colent Aegyptii Assyrios*, sive, *servient Assyriis*, et ita Veteres: alii, supposita ellipsi: *et colent* scil. Jovam *cum Assyriis*, quod posterius haud dubie est praeferendum, ob totius orationis scopum et consilium.

24. בַּיּוֹם הַהוּא יִהְיֶה יִשְׂרָאֵל שְׁלִישִׁיָּה לְמִצְרַיִם לְאַשּׁוּר *Die illo erit Israel tertius Aegyptio et Assyrio*, i. e. cum iis junctim faciet unum populum, ex *tribus tertiis* compositum. Femininum שְׁלִישִׁיָּה ponitur, quod notio *partis* apud Hebraeos cadit sub *debilius genus*, ut Neh. X, 33. שְׁלִישִׁית הַשֶּׁקֶל *tertia pars sicli.* Cf. Ezech. V, 12. Praeterea noster vates sic loquens respexerit vocem עֵדָה *coetus*, quae et ipsa feminei est generis. Dicit igitur, Israelitas *tertiam* facturos esse *partem* societatis illius, quae

quae verum Deum confitetur, cum duabus, tertiis aliis Aegyptiis et Aſſyriis, ut adeo junctim unum effecturi eſſent coetum.

25. Verſus hujus verba prima, אֲשֶׁר בֵּרְכוֹ יְהוָה, cum poſtremis verſus ſuperioris בְּרָכָה בְּקֶרֶב הָאָרֶץ, duplici modo conjungi poſſunt. Vel ſic: *divinitus data felicitas media in terra* erit, *quippe Jova eam fortunabit*; vel hoc modo: *divinitus data felicitas media in terra erit, quam Jova fortunabit.* Vox אֲשֶׁר enim hic vel ſumi poteſt pro עַל־אֲשֶׁר ſ. יַעַן־אֲשֶׁר, *propterea quod, quia, quippe*, vel ut *relativum* conſtrui poteſt cum affixo vocis בֵּרֵךְ, ut אֲשֶׁר בֵּרְכוֹ ſit: *quam Jova fortunat.* Utro modo ſumas, ſenſus fere idem erit. Fac enim, vocem אֲשֶׁר hic *relative* ſumi, quod videtur ſimplicisſimum, intelligitur tamen, his verbis rationem reddi ejus quod praeceſſerat. Qui enim hic בְּרָכָה appellantur, non alio ſic dicuntur ſenſu, quam quod Jova eos fortunaſſet. בְּרָכָה enim ſunt illi, quos Jova felices eſſe jubet, uti ſolent Hebraei quid ἐμφατικῶς expreſſuri, *abſtracta* uſurpare pro *concretis*. Sic 1 Sam. XXV, 6. וְאַתָּה שָׁלוֹם *et tu ſis incolumitas, et domus tua ſit incolumitas, et omne quod tibi* ſit *incolumitas*, i. e. tu ſis felix, et domus tua felix, et omne quod tuum eſt ſit felix. Plura ejusmodi vid. in Glassii *Philol. S.* p. 20. ed. Dath. Quaeritur, num hic ſoli *Iſraelitae*, an vero *univerſum corpus*, quod cum Iſraelitis facerent Aegyptii et Aſſyrii, בְּרָכָה appellentur? Vix tamen dubium eſſe poteſt, quin propheta poſterius intenderit, et id omnino velit: *tres* illos inter ſe conjunctos populos futuros eſſe *felices*, quippe ſe ipſe clariſſime interpretatur, dum addit: *cui bene precatus fuerit Jova in haec verba: fortunatus eſto populus meus, Aegyptii, et opus manuum mearum, Aſſyrii, et peculium meum, Iſraelitae.* Talia nomina tribuit Aegyptiis et Aſſyriis, quae antea populo

ſolum

ſolum Iſraelitico conveniebant, ut ita etiam ſignificaret, populos illos, jam Jovam colentes, eodem jure frui, quo Iſraelitae. Chaldaeus vero, quum id ipſi durius videretur, Aſſyrios et Aegyptios hic eodem ordine cenſeri cum Iſraelitis, et vocari *populum Dei*, et *opus manuum ejus*, totum hunc locum in alium detorſit ſenſum. Sic enim illum vertit: בְּרִיךְ עַמִּי דְאַפֵּקִית מִמִּצְרַיִם וְעַל דְּחָבוּ קֳדָמַי אַגְלֵיתְהוֹן לְאַתּוּר וּכְדוּ דְּתָבוּ מִתְקְרָן עַמִּי וְאַחְסַנְתִּי יִשְׂרָאֵל *fortunatus ſit populus meus, quem eduxi ex Aegypto, et quia peccaverunt in me, transmigrare eos feci in Aſſyriam; ſed quando converſi ſunt, vocati ſunt populus meus, et haereditas mea, Iſrael.*

CAP. XIX. 1. *Eſſatum in Aegyptum. Ecce Jova levi nube vectus Aegyptum venit. Faceſſent Dii Aegyptii ad ejus adventum, et Aegyptiorum animi in ipſorum pectoribus remollescent.*

2. *Committam Aegyptios cum Aegyptiis: pugnabit quisque contra fratrem ſuum, et quisque contra proximum ſuum, civitas contra civitatem, regnum contra regnum.*

3. *Evaneſcet Aegyptiorum animus, conſilium ipſorum perdam: conſulent idola et muſſitatores, engaſtrimythos et hariolos.*

4. *Concludam Aegyptios in manum domini duri, et rex rigidus dominabitur iis. Sic fatus eſt Dominus ille Jova, agminum Deus.*

5. *Ac deficient aquae lacus, et fluvius ſiccabitur atque exareſcet.*

6. *Subſident rivi, decreſcent et exareſcent aquae canales; arundo et alga languebunt.*

7. *Gramineta juxta flumen, in ora fluminis, et omnis ſementis fluvii exareſcet, vento auferetur, exſpirabit.*

que illas urbes cunctas uno eodemque nomine appellandas esse? Walthero totum hoc comma glossema a Judaeis Aegyptiis textui intrusum videtur, quod succedente tempore in fontem Hebraeum quoque irrepserit. In eandem sententiam incidit Eichhorn (*die hebräischen Propheten* p. 351. not. e). Sed parum probabile est, Judaeos Palaestinenses tale quid in suis codicibus admisisse. Omnino autem hoc comma viris doctis non creasset tantas molestias, si cogitassent, non scriptorem aliquem *historicum*, sed *poetam* ab ipsis esse interpretandum. Jam quum per *quinque urbes Aegypti*, *lingua Cananaea loquutas*, non certae quaedam urbes sint intelligendae, ut vidimus, facile est intellectu, עִיר הַהֶרֶס merum esse nomen poeticum, ad sententiae et imaginis ornatum a vate inventum. Quod viderunt jam illi interpretes, qui verterunt *urbem destructionis*, cujus appellationis tamen rationes varii reddunt varias. Kimchi: „usque adeo adhaerebunt fidei Dei Israelis, ut inter se inituraе sint pactum, ut si quae earum quinque urbium recesserit a cultu veri Dei, ea appellanda sit *civitas destructionis*, i. e. ceterae in eam insurrecturae et eam destructurae sint." Quod quam parum sit probabile, unusquisque sentiet ipse. Nec majore veri specie sese probat eorum sententia, qui *urbem destructionis* putant eam, quae parum a destructione afuisset, sed divinitus servata esset. Similiter Junius et Tremellius, „*civitas destructionis* hic dicitur urbs a destructione liberata." Hensleruз *civitatem destructionis* appellatam fuisse censet ideo, quod in bello civili, de quo sub carminis initio, destructa, auxilio praestito Aegyptiis a Jova, iterum reparata esset. Sed quis non videt, ejusmodi urbem potius a *liberatione*, quam a *destructione* appellandam fuisse? Paulus, V. S. V., in *Clavi Jesajana* hunc locum ita capit: quodsi et quinque hebraicae, Jovano cultui deditae urbes in Aegypto fuerint, tamen

tamen saltem *una* earum *civitas destructionis* appellabitur, i. e. in tanta, quae nunc est, rerum Aegyptiarum confusione vix quinque urbes erunt, quarum non saltem una destructioni obnoxia sit. Quae sententia tamen medias inter promissiones minus apta compareat. Nobis quidem, quod nunc legitur in plerisque libris et impressis et manu scriptis, עִיר הַחֶרֶס, collato Syriaco ܚܘܣܝܐ *redemtio, liberatio, salus*, vertendum videtur *urbs liberationis*, i. e. liberata a calamitatibus, quibus bello civili erat oppressa, qua in versione mihi jam praeivit Hezelius. Alterum vero, עִיר הַחֶרֶס, coll. Arab. حرس, *custodivit, servavit*, reddendum videtur, *urbs custodiae, servationis:* sicque Saadias, cujus interpretatio supra memorata est. Utrum a Jesaja sit scriptum, num הרס, an חרס, hodie nemo facile dixerit: nec magni interest, quum ex nostra interpretatione sensus exeat fere idem, sive unum legas, sive alterum. Chaldaeus utramque lectionem expressit; קַרְתָּא בֵּית שֶׁמֶשׁ דַעֲתִידָא לְמֶחֱרַב יִתְאֲמַר חֲדָא מִנְּהוֹן *civitas domus solis, quae destruenda est, dicetur una ex iis.* Quaerit Jarchi, unde in mentem venerit Paraphrastae, vocem חֶרֶס hic duplici modo interpretari? Respondet, didicisse eum ex Jeremia, qui in prophetia de Aegypto destruenda a Nebucadnezare XLIII, 13. dicit; וְשִׁבַּר אֶת מַצְּבוֹת בֵּית שֶׁמֶשׁ *confringet statuas domus solis*, i. e. statuas solares templi Heliopolitani. Peculiaris exstat Commentatio Christ. Bened. Clari *de cultu Dei in Aegypto ad Jesaj. XIX*, 18 sequ. Lips. 1769. 4., quae potissimum versatur in refellenda sententia eorum, qui templum Heliopolitanum ab Onia exstructum per עִיר הַהֶרֶס significare existimant.

19. Satis patebit ex antea dictis, quae jam sequuntur, non proprie esse intelligenda, sed ornamenta poetica

tica esse, ut jam bene Waltherus observavit. יִהְיֶה מִזְבֵּחַ לַיהוָה *Erit altare Jovae.* Post לַיהוָה addunt צְבָאוֹת sex codd. Kennicott. et duo Rossiani, nec non Syrus, qui vertit ܠܡܪܝܐ ܚܝܠܬܢܐ *domino potenti,* ut vertere solet יְהוָה צְבָאוֹת. Quaerunt interpretes, utrum vates sub *altari* intelligi velit altare otiosum, quales arae absque ullo earum usu Diis frequenter consecrabantur apud Gentiles; an vero *altare*, consecratum religioni, quod inserviret sacris, in eo offerendis, quodque proin supponitur conjungendum fore cum *templo*, sacerdotibus, sacrorum ministris, et universo cultus divini apparatu. Prius elegit Grotius, qui altare hic vult esse *memoriale*, ad *memoriam* videlicet, non ad *sacrificia* erigendum, collato loco Jes. XXII, 22. 23. Non dubitarem hanc sententiam amplecti: nisi propheta se ipse mox interpretaretur vs. 21.; ubi dicit, fore ut Jova ab Aegyptiis *sacrificiis* et *muneribus* coleretur. וּמַצֵּבָה אֵצֶל־גְּבוּלָהּ לַיהוָה *Et cippus apud terminum ejus Jovae.* מַצֵּבָה Hebraeis est qualiscunque *cippus, tumulus* aut *monumentum*; sive sit lapis major rudis, sive columna ex ligno aut lapide formata, ad rei alicujus memoriam conservandam erectum, aut Deo alicui consecratum, vid. Genes. XXVIII, 17. Cap. XXXIII, 20. Erat enim moris vetustissimi, ut si cui in hoc illo loco obtigisset singulare aliquod beneficium divinae providentiae, cippum sive titulum, vel aram in ejusmodi loco poneret, et numini consecraret, subinde etiam, addita inscriptione, quae vel simpliciter Dei illius, cui consecratum erat monimentum, nomen exhibebat, vel beneficii memoriam latius explicabat. Cujus rei insigne exemplum vid. 1 Sam. VII, 12. Graecis haec monimenta sive tituli στῆλαι dicebantur, qua voce Alexandrini quoque h. l. utuntur, ut Hieronymus *tituli* vocabulo. Hoc igitur monimentum, in Aegypto erigendum, testabitur, Aegyptios accen-

accensitos esse Jovae populo, veraeque religionis fidem ac cultum suscepisse, tanquam qui severe puniti a Jova, manum vindicem ejus tandem agnoverint, et se ipsi tanquam victori et supremo omnium potestatum domino subjecerint. Non improbabilis est Vitringae conjectura, titulum hunc Jovae consecrandum in terra Aegypti hic opponi superbis illis *titulis*, seu statuis, *Soli* in pluribus Aegypti locis erectis, quales Obelisci erant, quorum unus, referente Ammiano Marcellino *Histor.* L. XVII. Cap. 4., *Deo Soli speciali munere dedicatus fixusque intra ambitiosi Templi delubra, quae contingi non poterant, tanquam apex omnium eminebat.* Tales Jeremias XLIII, 13. מַצְּבוֹת בֵּית שֶׁמֶשׁ *statuas domus Solis* videtur vocare.

20. וְהָיָה לְאוֹת וּלְעֵד לַיהוָה *Eritque in signum et testimonium Jovae*, i. e. ut inde liqueat, vel, Aegyptum factam esse Jovae sacrum, vel saltem, in Aegypto esse plures Jovae cultores. Pro וְהָיָה codex Rossianus 789. (ante annum 1283. scriptus, multas eximias varietates habens) Syrusque legunt וְהָיְתָה, in feminino, relato verbo ad מַצֵּבָה, seu *statuae* nomen, quod proxime praecedit, non ad מִזְבֵּחַ. וְיִשְׁלַח לָהֶם מוֹשִׁיעַ וָרָב וְהִצִּילָם *Et mittet eis servatorem, et vindicem, qui eos liberet.* רָב interpretes tantum non omnes, Coccejo excepto, vertunt *magnum*, et *Ptolemaeum magnum*, Lagi filium intelligunt alii, alii *Alexandrum magnum*. Sed primus vidit Coccejus, significationem *magni* huic contextui non convenire, recteque observavit, vocem רָב, cum *Camez*, non esse confundendam cum רַב, per *Patach*, sed exponendam esse ex verbo רוּב, s. רִיב *contendere, litigare, caussam alicujus agere in judicio*, adducitque locum parallelum Deut. XXXIII, 7. ubi Moses in benedictione Judae, oratione ad Deum versa: יָדָיו רָב לוֹ וְעֵזֶר מִצָּרָיו תִּהְיֶה, *manus ipsius, patronus ipsi, et*

auxi-

auxilium ab hostibus ejus fias. Cof. Robertsonii *Clavem in Pentateuch* p. 561. Veteres simile quid videntur in mente habuisse. Alexandrinus: καὶ ἀποστελεῖ αὐτοῖς ἄνθρωπον ὃς σώσει αὐτούς, κρίνων σώσει αὐτούς. Chaldaeus: פָּרִיק וְדַיָּן, et Syrus ܦܪܘܩܐ ܘܕܝܢܐ, *liberatorem et judicem*; Hieronymus: *propugnatorem.*

21. וְנוֹדַע יְהוָה לְמִצְרַיִם *Et innotescet Jova Aegyptiis*, quae Chaldaeus sic exponit: וְחֵילֵי גְבוּרְתָּא דַיְיָ לְאוֹטָבָא לְמִצְרָאֵי, *manifestabit se potentia Jovae, ut benefaciat Aegyptiis.* Verba וְעָבְדוּ זֶבַח וּמִנְחָה gemino modo accipi possunt, vel, ut עָבְדוּ, *servient, colent*, hic idem valeat, quod עָשׂוּ, *facient*, quomodo Latini usurpare solent *facere*, pro *offerre:* certe Chaldaeis עֲבַד est *facere*, et עוֹבָד, *opus*, ut vates noster infra Cap. XXXII, 17. eodem commate alternat מַעֲשֵׂה הַצְּדָקָה et עֲבֹדַת הַצְּדָקָה; vel, ut phrasis statuatur elliptica, et עָבְדוּ זֶבַח וּמִנְחָה idem sit, quod עָבְדוּ אֶת יְהוָה בְּזֶבַח וּבְמִנְחָה *colent Jovam sacrificio et munere.* Sic Chaldaeus, cui et ego cum Vitringa accedo, nam phrasis עָבַד זֶבַח alias non occurrit, et ellipsis particulae ב frequentissima in in libris Hebraicis.

22. Per *sanationem* Aegyptiorum hic absque dubitatione intelligenda est reipublicae, sive regni Aegyptii instauratio in splendorem et decus pristinum, conjuncta cum liberatione ab oppressione et vindicatione a servitute. Conf. supra Cap. I, 6. et Jerem. XXX, 17. *Quia faciam, ut integritas* (staturae et valetudinis) *tibi surgat*, וּמִמַּכּוֹתַיִךְ אֶרְפָּאֵךְ *et plagas tuas curabo*, restituam te in statum pristinum felicem. Ut vero intelligatur, restitutionem Aegyptiorum in statum pristinum esse effectum conversionis et precum eorum addit: וְשָׁבוּ עַד־יְהוָה *et convertent se ad Jovam*, וְנֶעְתַּר לָהֶם *et exorabilem se iis praebebit;* נֶעְתַּר proprie est: *nidore suffiso* exo-

exorari, propitiari, vid. 2 Sam. XXIV, 25. *Et aedificavit David altare domino atque obtulit holocausta et completoria pacis*, וַיֵּעָתֵר יְהוָה *et nidore isto propitiatus est Dominus.* Hinc de beneficientia, multis, adsiduis et longi temporis precibus impetrata dicitur 2 Sam. XXI, 14. Originem variasque hujus verbi notiones multis exposuit A. Schultens ad Proverb. XXVII, 6. p. 388 seqq. Chaldaeus: וִיקַבֵּל צְלוֹתְהוֹן *et suscipiet preces eorum.*

23. Aegyptii una cum Assyriis, a quibus olim maxime divisi erant animis, Jovam colent; uterque populus, sublata invidia, quae animos harum gentium aemularum olim ab invicem distraxerat, communi ejusdem religionis vinculo conjungetur, et eodem vinculo uterque ille populus erit in communione Israelitarum. Id vates poetice ita enunciat, fore viam planam, tutam, latam, id enim indicat מְסִלָּה, ex Aegypto in Assyriam, ultroque citroque ab Aegyptiis et Assyriis calcandam: similem imaginem habuimus supra Cap XI, 15., et conf. infra XXXV, 8. Verba וְעָבְדוּ מִצְרַיִם אֶת־אַשּׁוּר gemino modo accipiuntur ab interpretibus. Alii sic: *et colent Aegyptii Assyrios*, sive, *servient Assyriis*, et ita Veteres: alii, supposita ellipsi: *et colent* scil. Jovam *cum Assyriis*, quod posterius haud dubie est praeferendum, ob totius orationis scopum et consilium.

24. בַּיּוֹם הַהוּא יִהְיֶה יִשְׂרָאֵל שְׁלִישִׁיָּה לְמִצְרַיִם לְאַשּׁוּר *Die illo erit Israel tertius Aegyptio et Assyrio*, i. e. cum iis junctim faciet unum populum, ex *tribus tertiis* compositum. Femininum שְׁלִישִׁיָּה ponitur, quod notio *partis* apud Hebraeos cadit sub *debilius genus*, ut Neh. X, 33. שְׁלִישִׁית הַשֶּׁקֶל *tertia pars sicli.* Cf. Ezech. V, 12. Praeterea noster vates sic loquens respexerit vocem עֵדָה *coetus*, quae et ipsa feminei est generis. Dicit igitur, Israelitas *tertiam* facturos esse *partem* societatis illius, quae

auxilium ab hostibus ejus fiat. Cof. Robertsonii *Clavem in Pentateuch.* p. 561. Veteres simile quid videntur in mente habuisse. Alexandrinus: καὶ ἀποστελεῖ αὐτοῖς ἄνθρωπον ὃς σώσει αὐτοὺς, κρίνων σώσει αὐτούς. Chaldaeus: פָּרִיק וְדַיָּן, et Syrus ܦܪܘܩܐ ܘܕܝܢܐ, *liberatorem et judicem*; Hieronymus: *propugnatorem.*

21. וְנוֹדַע יְהוָה לְמִצְרַיִם *Et innotescet Jova Aegyptiis*, quae Chaldaeus sic exponit: וְתִתְגְּלֵי גְבוּרְתָא דַיָי לְאוֹטָבָא לְמִצְרָאֵי, *manifestabit se potentia Jovae, ut benefaciat Aegyptiis.* Verba וְעָבְדוּ זֶבַח וּמִנְחָה gemino modo accipi possunt, vel, ut עָבְדוּ, *servient, colent*, hic idem valeat, quod עָשׂוּ, *facient*, quomodo Latini usurpare solent *facere*, pro *offerre*: certe Chaldaeis עֲבַד est *facere*, et עוֹבָד, *opus*, ut vates noster infra Cap. XXXII, 17. eodem commate alternat מַעֲשֵׂה הַצְּדָקָה et עֲבֹדַת הַצְּדָקָה; vel, ut phrasis statuatur elliptica, et עָבְדוּ זֶבַח וּמִנְחָה idem sit, quod עָבְדוּ אֶת יְהוָה בְּזֶבַח וּבְמִנְחָה *colent Jovam sacrificio et munere.* Sic Chaldaeus, cui et ego cum Vitringa accedo, nam phrasis עָבַד זֶבַח alias non occurrit, et ellipsis particulae ב frequentissima in in libris Hebraicis.

22. Per *sanationem* Aegyptiorum hic absque dubitatione intelligenda est reipublicae, sive regni Aegyptii instauratio in splendorem et decus pristinum, conjuncta cum liberatione ab oppressione et vindicatione a servitute. Conf. supra Cap. I, 6. et Jerem. XXX, 17. *Quia faciam, ut integritas* (staturae et valetudinis) *tibi surgat*, וּמִמַּכּוֹתַיִךְ אֶרְפָּאֵךְ *et plagas tuas curabo*, restituam te in statum pristinum felicem. Ut vero intelligatur, restitutionem Aegyptiorum in statum pristinum esse effectum conversionis et precum eorum addit: וְשָׁבוּ עַד־יְהוָה *et convertent se ad Jovam*, וְנֶעְתַּר לָהֶם *et exorabilem se iis praebebit*; נֶעְתַּר proprie est: *nidore suffuso* exo-

exorari, propitiari, vid. 2 Sam. XXIV, 25. *Et aedificavit David altare domino atque obtulit holocausta et completoria pacis*, וַיֵּעָתֵר יְהוָה. *et nidore isto propitiatus est Dominus.* Hinc de beneficientia, multis, adsiduis et longi temporis precibus impetrata dicitur 2 Sam. XXI, 14. Originem variasque hujus verbi notiones multis exposuit A. Schultens ad Proverb. XXVII, 6. p. 388 seqq. Chaldaeus: וִיקַבֵּל צְלוֹתְהוֹן *et suscipiet preces eorum.*

23. Aegyptii una cum Assyriis, a quibus olim maxime divisi erant animis, Jovam colent; uterque populus, sublata invidia, quae animos harum gentium aemularum olim ab invicem distraxerat, communi ejusdem religionis vinculo conjungetur, et eodem vinculo uterque ille populus erit in communione Israelitarum. Id vates poetice ita enunciat, fore viam planam, tutam, latam, id enim indicat מְסִלָּה, ex Aegypto in Assyriam, ultroque citroque ab Aegyptiis et Assyriis calcandam: similem imaginem habuimus supra Cap XI, 15., et conf. infra XXXV, 8. Verba וְעָבְדוּ מִצְרַיִם אֶת־אַשּׁוּר gemino modo accipiuntur ab interpretibus. Alii sic: *et colent Aegyptii Assyrios*, sive, *servient Assyriis*, et ita Veteres: alii, supposita ellipsi: *et colent* scil. Jovam *cum Assyriis*, quod posterius haud dubie est praeferendum, ob totius orationis scopum et consilium.

24. בַּיּוֹם הַהוּא יִהְיֶה יִשְׂרָאֵל שְׁלִישִׁיָּה לְמִצְרַיִם וּלְאַשּׁוּר *Die illo erit Israel tertius Aegyptio et Assyrio*, i. e. cum iis junctim faciet unum populum, ex *tribus tertiis* compositum. Femininum שְׁלִישִׁיָּה ponitur, quod notio *partis* apud Hebraeos cadit sub *debilius genus*, ut Neh. X, 33. שְׁלִישִׁית הַשֶּׁקֶל *tertia pars sicli.* Cf. Ezech. V, 12. Praeterea noster vates sic loquens respexerit vocem עֵדָה *coetus*, quae et ipsa feminei est generis. Dicit igitur, Israelitas *tertiam* facturos esse *partem* societatis illius,

quae

quae verum Deum confitetur, cum duabus, tertiis aliis Aegyptiis et Aſſyriis, ut adeo junctim unum effecturi eſſent coetum.

25. Verſus hujus verba prima, אֲשֶׁר בֵּרְכוֹ יְהוָה, cum poſtremis verſus ſuperioris בְּרָכָה בְּקֶרֶב הָאָרֶץ, duplici modo conjungi poſſunt. Vel ſic: *divinitus data felicitas media in terra erit, quippe Jova eam fortunabit*; vel hoc modo: *divinitus data felicitas media in terra erit, quam Jova fortunabit.* Vox אֲשֶׁר enim hic vel ſumi poteſt pro עַל־אֲשֶׁר ſ. יַעַן־אֲשֶׁר, *propterea quod, quia, quippe*, vel ut *relativum* conſtrui poteſt cum affixo vocis בֵּרְכוֹ, ut אֲשֶׁר בֵּרְכוֹ ſit: *quam* Jova *fortunat.* Utro modo ſumas, ſenſus fere idem erit. Fac enim, vocem אֲשֶׁר hic *relative* ſumi, quod videtur ſimplicisſimum, intelligitur tamen, his verbis rationem reddi ejus quod praeceſſerat. Qui enim hic בְּרָכָה appellantur, non alio ſic dicuntur ſenſu, quam quod Jova eos fortunaſſet. בְּרָכָה enim ſunt illi, quos Jova felices eſſe jubet, uti ſolent Hebraei quid ἐμφατικῶς expreſſuri, *abſtracta* uſurpare pro *concretis*. Sic 1 Sam. XXV, 6. וְאַתָּה שָׁלוֹם *et tu ſis incolumitas, et domus tua* ſit *incolumitas, et omne quod tibi* ſit *incolumitas*, i. e. tu ſis felix, et domus tua felix, et omne quod tuum eſt ſit felix. Plura ejusmodi vid. in Glassii *Philol. S.* p. 20. ed. Dath. Quaeritur, num hic ſoli *Iſraelitae*, an vero *univerſum corpus*, quod cum Iſraelitis facerent Aegyptii et Aſſyrii, בְּרָכָה appellentur? Vix tamen dubium eſſe poteſt, quin propheta poſterius intenderit, et id omnino velit: *tres* illos inter ſe conjunctos populos futuros eſſe *felices*, quippe ſe ipſe clariſſime interpretatur, dum addit: *cui bene precatus fuerit Jova in haec verba: fortunatus eſto populus meus, Aegyptii, et opus manuum mearum, Aſſyrii, et peculium meum, Iſraelitae.* Talia nomina tribuit Aegyptiis et Aſſyriis, quae antea populo

ſolum

folum Ifraelitico conveniebant, ut ita etiam fignificaret, populos illos, jam Jovam colentes, eodem jure frui, quo Ifraelitae. Chaldaeus vero, quum id ipfi durius videretur, Affyrios et Aegyptios hic eodem ordine cenferi cum Ifraelitis, et vocari *populum Dei*, et *opus manuum ejus*, totum hunc locum in alium detorfit fenfum. Sic enim illum vertit: בְּרִיךְ עַמִּי דְאַפֵּקִית מִמִּצְרַיִם וְעַל דְּחָבוּ קֳדָמַי אַגְלֵיתִנּוּן לְאַתּוּר וּכְדוּ דְּתָבוּ מִתְקְרַן עַמִּי וְאַחְסַנְתִּי יִשְׂרָאֵל *fortunatus fit populus meus, quem eduxi ex Aegypto, et quia peccaverunt in me, transmigrare eos feci in Affyriam; fed quando converfi funt, vocati funt populus meus, et haereditas mea, Ifrael.*

CAP. XIX. 1. *Effatum in Aegyptum. Ecce Jova levi nube vectus Aegyptum venit. Facessent Dii Aegyptii ad ejus adventum, et Aegyptiorum animi in ipforum pectoribus remollescent.*

2. *Committam Aegyptios cum Aegyptiis: pugnabit quisque contra fratrem fuum, et quisque contra proximum fuum, civitas contra civitatem, regnum contra regnum.*

3. *Evanefcet Aegyptiorum animus, confilium ipforum perdam: confulent idola et muffitatores, engaftrimythos et hariolos.*

4. *Concludam Aegyptios in manum domini duri, et rex rigidus dominabitur iis. Sic fatus eft Dominus ille Jova, agminum Deus.*

5. *Ac deficient aquae lacus, et fluvius ficcabitur atque exarefcet.*

6. *Subfident rivi, decrefcent et exarefcent aquae canales; arundo et alga languebunt.*

7. *Graminetа juxta flumen, in ora fluminis, et omnis fementis fluvii exarefcet, vento auferetur, exfpirabit.*

8. Piscatores moerebunt, lugebunt, qui hamum conjiciunt in rivum, et qui retia expandunt in superficiem aquae languebunt.

9. Erubescent omnes operarii in lino subtili, et textores pannorum reticulatorum.

10. Omnes textores ejus animo erunt perturbato, omnes quaestum facientes tristes.

11. Quin ipsi proceres Taneos stupent; consilium sapientum Pharaonis amicorum infatuatum est. Quomodo dicetis coram Pharaone: filius sapientum ego, filius regum antiquorum.

12. Ubinam illi? ubinam sunt sapientes tui? Indicent, age, tibi, et cognoscant, quodnam consilium ceperit Jova exercituum Deus de Aegypto.

13. At stulte agunt principes Taneos: decepti sunt proceres Memphitici; in errorem deducunt Aegyptum primarii nomorum ejus.

14. Jova miscuit in iis spiritum vertiginis, errare fecerunt Aegyptum in omni opere suo, quemadmodum errat ebrius in vomitu suo.

15. Et non erit in Aegypto opus, quod faciat caput et cauda, ramus et juncus.

16. Tum vero erunt Aegyptii ut mulieres, trepidabunt et pavebunt propter agitationem manus Jovae, exercituum Domini, quam agitaverat adversus ipsos.

17. Sed terra Judae Aegyptiis terrori erit, ad quam, quisquis illius mentionem fecerit, pavebit, ob consilium Jovae, agminum Domini, quod adversus illos ceperit.

18. Circa illud tempus erunt quinque civitates in Aegypto, lingua Cananaea loquentes, et jurantes Jovae, exercituum domino: una earum appellabitur urbs liberationis.

19. Illo die Jovae ara erit in Aegypto, cippus in finibus ejus Jovae erit dicatus.

20. Erit

20. *Erit in signum et testimonium Jovae, exercituum domino, in Aegypto; quia clamarunt ad Jovam caussa oppressorum, illeque iis misit liberatorem et vindicem, qui illos eriperet.*

21. *Sic innotescet Jova Aegyptiis, venientque Aegyptii tunc in notitiam Jovae: colent eum sacrificiis salutaribus et fertis, et vovebunt Jovae votum et persolvent.*

22. *Ita Jova Aegyptios percutiet, ut iterum iis medeatur: convertent se ad Jovam, et exorabilem se praebebit ipsis, et sanabit illos.*

23. *Tunc erit via strata ex Aegypto in Assyriam, venientque Assyrii in Aegyptum, et Aegyptii in Assyriam, colentque Aegyptii Jovam cum Assyriis.*

24. *Illo tempore Israelitae tertii juncti erunt Aegyptiis et Assyriis, in illa totius terrae felicitate.*

25. *Quam Jova salutabit, felix sit, inquiens, populus meus Aegyptius, et opus manuum mearum, Assyrii, et peculium meum, Israelitae.*

CARMEN QUARTUM DECIMUM.

CAP. XX.

ARGUMENTUM.

Cum imperium Assyriorum, dum maxime florebat, limites suos quotannis fere protenderet, et, occupata jam Syria et Ephraimitide, Judaeae, Phoeniciae, Palaestinae magnum incuteret metum, ut deinceps, his terris subactis, securius tentaret Aegyptum; populi hi, et in his Judaei et Ephraimitae, maxime respiciebant Aegyptios et Aethiopes, quorum tunc temporis junctae erant vires (vid. not. ad vs. 3), ut unicum salutis suae sive conservandae, sive vindicandae, remedium. Horum celebrabant vires, extollebant potentiam, his Assyrio comparatis primas tribuebant, horumque sollicitabant per foedera amicitiam. Equidem non liquet, id Hiskiam fecisse, qui Assyrio foedere tum junctus erat, certe non superstite Salmanassare; sed, quicquid ejus sit, erant Hierosolymis factiosi plures, qui reliquis Palaestinae incolis hac parte consentirent, quum, qualis tunc fuit status Orientis, aliae gentes nullae invalescentem indies Assyriorum potentiam librare et retundere aptae viderentur, praeter Aegyptios, Cuschaeis sive Aethiopibus junctos. Verum ipsos quoque Assyrios Cuschaeis rerum suarum incrementum invidisse credibile est, perinde ac

Aegyptii et Cuschaei lividis oculis adspexerint Assyriacarum rerum progressum. Sed forte in Assyrio major arsit aemulatio et invidia, cum insatiabili imperii protendendi cupiditate conjuncta. Cuschaei et Aegyptii, etiamsi a populis laborantibus auxilium ipsorum imploraretur, forte se tardius movissent. At non quieverunt Assyrii, Cuschaeis, ut videtur, invidentes Aegyptum, et Aegyptiorum regi haud dubie infensi, quod Hoseam, Israelitarum regem, abduxisset a foedere et obsequio eorum (2 Reg. XVII, 4.); unde, parata materia, flamma brevi erupit. Sargon, Assyriae rex, qui Salmanassari, uti videtur, in regno successit, paternis vestigiis insistens, ut imperium suum ampliaret, postquam regnum Israeliticum, sive Ephraimiticum in Assyriacam ditionem redactum esset, intacta Judaea, cujus rex, Hiskias, foedere ab Ahaso inito, ipsi junctus, seu potius obnoxius esset, Aegyptios et Cuschaeos aggredi et sibi subjicere decrevit. Ut vero certo pede procederet, misit Tarthanem, militiae praefectum, qui occuparet Azotum, illo tempore inter munitissimas Palaestinae urbes habitam (quam Psammetichus Assyriis postea rursus eripuit post obsidionem XXIX annorum, ut testatur Herodotus L. II. c. 157.), tanquam clavem Palaestinae maritimae, et postmodum etiam forte Ascalonem et Gazam, ne quid hic hostile in tergo relinqueret. Illo ipso igitur tempore (vs. 1.) Jesajas vaticinio hoc Capite consignato eventum belli Assyrios inter et Aegyptios, quod cum expugnata Azoto accendebatur, praesignificavit, ut in pudorem ageret factionem quandam imprudentum hominum, qui Hierosolymis Hiskiae regi foedus Assyriacum rumpere suadebat, contra magis magisque invalescens Aegyptiorum et Cuschaeorum robur et junctas vires unice extollebat, et hos populos commendabat ut unicum tutelare reipublicae Judaicae praesidium a quo ejusdem salus et conservatio penderet. Docet igitur vates,

 ab

ab hoc ipso tempore bellum inter hos populos Orientis principes gestum iri eo exitu, ut Cuschaei et Aegyptii magnum ab Assyriis acciperent detrimentum, et eorum, qui in illis spem suam omnem ponerent, exspectatio modo ipsis pudendo frustraretur.

---

1. בִּשְׁנַת בֹּא תַרְתָּן *Anno τῶ venire Tarthan*, i. e. anno quo Tarthan venit, vid. similem constructionem supra VI, 1. Ezech. XXXVIII, 18. בְּיוֹם בֹּא גוֹג *die quo veniet Gogus.* Tarthan dux fuit Assyriaci exercitus, postea etiam contra Hiskiam missus, 2 Reg. XVIII, 17. בִּשְׁלֹחַ אֹתוֹ סַרְגוֹן מֶלֶךְ אַשּׁוּר *Cum mitteret eum Sargon, rex Assyriae.* Eum volunt aliqui *Senacheribum* esse, cui juxta Judaeorum traditionem septem erant nomina; eo maxime nisi argumento, quod *Tarthan*, qui hic regis Assyrii jussu Azotum obsedisse narratur, 2 Reg. XVIII, 17. *Senacheribi* exercitus dux vocatur. Alii, ut Vitringa, *Salmanassarem*, patrem Senacheribi; Kalinsky (in libro, qui inscribitur: *Vaticinia Chabacuci, Nahumi, Isaiae, Michaeae et Ezechielis, observationibus historico-philologicis ex historia Diodori Siculi circa res Sardanapali illustrata* L. I. c. VI. VII. p. 75—106.) cui et Michaelis adstipulatur, *Assardinum* (אֵסַר־חַדּוֹן) Senacheribi successorem (Jesaj. XXXVII, 38.) intelligit, qui et Thebas Aegypti everterit, et magnis potitus sit victoriis in Aegypto. Verum si etiam concedamus, quod adhuc probatione indiget, regibus illis Assyriis varia fuisse nomina, parum probabile tamen est, sive Senacheribum, sive Salmanassarem, sive Assardinum, cum alias semper nominibus solitis occurrant, hoc solo loco nomine insolito appellatum esse. Quare verisimile est, *Sargonem* fuisse nomen regis Assyrii, qui Salmanassarem inter et Senacheribum regnaverit, quique paternis vestigiis insistens, ut imperium suum

suum ampliaret, ad Aegyptios et Cuschaeos sibi subjiciendos se converterit, atque, ut certo hic pede procederet Aschdodum s. Azotum occupaverit. Tarthanes vero, qui 2 Reg. XVIII, 17. a Sennacheribo missus dicitur, jam sub illius antecessore exercitui praefectus esse potuit. Qua assumta hypothesi vaticinium hoc consignatum fuerit sub initiis Hiskiae, septimo forte ejus anno, post subversum ab Assyriis regnum Ephraimiticum, quod anno sexto Hiskiae evenisse constat e 2 Reg. XVIII, 9. 10. וַיִּלָּחֶם בְּאַשְׁדּוֹד *Et oppugnavit Aschdodum*, Graecis Ἄζωτον. Erat ea urbs Philisthaeorum bene munita, in ultimis Palaestinae et Judaeae finibus Aegyptum versus prope mare sita, Jos. XV, 46. 47., ab Usia Philisthaeis erepta et munita, 2 Paral. XXVI, 6., Ahaso autem cum aliis amissa, 2 Chron. XXVIII, 18. Plura de hac urbe vid. in Relandi *Palaest.* L. III. p. 606 seqq., et cf. quae in Argumento observavimus. וַיִּלְכְּדָהּ *Et cepit eam*, id quod ante annum quartum decimum Hiskiae (infra XXXVI, 1.), Assyriis funestum (XXXVII, 36.), evenisse necesse est; postea enim Hiskias jugum Assyriacum excussit, 2 Reg. XVIII, 7.

2. וּפִתַּחְתָּ הַשַּׂק מֵעַל מָתְנֶיךָ *Et solve saccum hunc a lumbis tuis.* שַׂק *Saccus* dicebatur Hebraeis *tunica villosa* seu *cilicina*, ex caprarum pilis, praesertim nigris, texta, eaque arcta et talaris, ad pedes usque demissa, quae insuper balteo ejusdem generis, absque ornatu ullo, cuti arcte adstringebatur, unde Apocal. VI, 12. σάκκος τρίχινος, qui XI, 3. simpliciter σάκκος. Hoc vestimenti genus enim *zona* cuti, vel interulae fuisse adstrictum, non ex hoc tantum loco liquet, in quo propheta saccum jubetur *solvere a lumbis* suis, verum etiam ex aliis locis, in quibus dicuntur *accingi lumbis*, veluti 2 Sam. III, 31. 1 Reg. XX, 32. Erat autem hujus vestis geminus usus. Vel enim *lugentium* erat habitus (vid.

Genes. XXXVII. 34. Esth. IV, 1. Nehem. IX, 1.), vel *prophetarum*. Eos tali veste villosa indutos fuisse, patet ex Eliae exemplo, qui 2 Reg. I, 8. איש בעל שער *vir pilosus*, non *barbae*, ut aliquibus videtur, sed *vestis pilosae* respectu, ut facile patet, quod alter Elias, Joannes Baptista, ἔνδυμα e pilis cameli gessisse dicitur Matth. III, 4. Cf. Zachar. XIII. 4. et ad eum loc. not. Cum autem Jesajas hic vestem jubetur deponere, et mox (in fine versus) *nudus*, ערום, et discalceatus incessisse dicitur, non existimandus est, se plane nudasse, et se aliis hoc modo publice ostentasse. *Nudus* intelligi debet non *absolute*, sed *restricte*. *Nudi* dicebantur superiore veste, sive ἐπενδύτῃ, exuti, licet *tunica* vel *interula* hactenus non nudati, uti pluribus ostendit GISB. CUPERUS *Observatt.* L. I. Cap. 7., et DEYLING *Observatt. SS.* P. IV. p. 888. Sic AURELIUS VICTOR *de Viris Illustr.* Cap. 17. de L. Quinctio Cincinnato: *Ad quem missi legati, nudum eum arantem trans Tiberim offenderunt*, i. e. unica indutum tunica. Et 1 Sam. XIX, 24. Saulus dicitur *nudus prophetasse*, i. e. exutus vestem regiam et militarem, et 2 Sam. VI, 20. Davides *nudus saltasse* ante arcam, quem tamen ex eodem loco liquet Ephodo lineo indutum fuisse. Ceterum mandatum Jesajae injunctum, incedendum ipsi esse, veste exteriore deposita et discalceatum, non tam respexisse videtur habitum ejus domesticum, quam commercium publicum, si prodiret foras, et in conspectu aliorum versaretur. Non autem revera ita incessisse Jesajam, sed quae hic leguntur gesta esse in viso ecstatico, plurium est interpretum ex Judaeis sententia. Ita MAIMONIDES in libro *More Nevochim*. P. II. Cap. XLVI. docte disputat, *quae prophetae se fecisse dicerent, non fuisse facta revera et externe, sed tantum in visione prophetica*. Kimchius idem valide tenet ac defendit in sua ad h. l. commentatione, et contrariam sententiam absurdam pronunciat.

nunciat. Aben-Esra eodem modo declarat suam sententiam super hac re ad initia Hoseae, quo hic lectorem ablegat. Quibus adnumerandus est STAEUDLIN, Theologus Gottingensis, qui in Commentatione, *über die symbolischen Handlungen der Propheten*, quae inest libro ab ipso edito: *Neue Beyträge zur Erläuterung der biblischen Propheten*, pag. 123. 240., ubi et de nostro peculiariter loco egit p. 220., totam hanc narrationem mere esse allegoricam arbitratur. Quae sententia etsi de pluribus aliis, quae prophetae symbolice egisse narrantur (veluti Hos. I. II.), verissima sit; tamen hoc loco vix intelligitur, quomodo propheta dici possit (vs. 3.) hominibus sui temporis esse אוֹת וּמוֹפֵת *signum et portentum*, i. e. signum quod in aliis excitet admirationem et stuporem ob rei novitatem atque insolentiam. *Signum* est apud omnes gentes quod sensibus externis excipitur, ad rem aliam obscuriorem significandam vel declarandam aptum: quare quae prophetae objiciebantur per visionem, etiamsi ea aliis narraret, apud eos non potuerunt habere rationem signi. Ergo potius quod hic dicitur comparandum est cum mandato simili supra VIII, 1. 2. 3., et Jeremiae XVIII, 1 seqq. XLIII, 8. 9. Prophetae vere erant אֹתוֹת וּמוֹפְתִים *signa et portenta*, uti diserte vocantur Zachar. III, 8., cf. Ezech. XII, 6. et supra VIII, 18. Multa egerunt insolita, et a communi consuetudine abhorrentia, quaedam etiam, ut videbatur, absurda, ut aequalium suorum excitarent attentionem. Quid enim sibi vellet res nova et insolita, quam in habitu, gestu, motu, prophetae observabant, nemo quin quaereret a se impetrabat; et cum quaereret, edocebantur etiam nolentes de divina voluntate. Praeterea in vetustissimis oraculis *signa*, sive actiones symbolicas, pro verbis usurpata fuisse, ostendimus ad Hos. I, 2. p. 46.

 3. Du-

3. Dubium est, quorsum referenda sit nota temporis שָׁלשׁ שָׁנִים *trium annorum*, an ad *actionem prophetae*, ut sensus sit, eum per triennium incessurum esse nudum et discalceatum; num ad *calamitatem Aegyptiorum et Cuschaeorum*, ut significetur, illos per triennium, sive *post* triennium malis versu proximo praedictis succubituros esse. Verba posita sunt in medio utriusque sententiae, et possunt vel cum priore, vel cum posteriore versus parte connecti, si legatur sine accentuum distinctione. Masorethae quidem, quum viderent, lectorem hic ambiguum haerere posse, et a ratione alienum putarent, prophetam tantum temporis incessisse nudum et discalceatum; subscripserunt voci יָחֵף accentum distinctivum majorem *Athnach*, ut monerent, verba שָׁלשׁ שָׁנִים non esse referenda ad actionem prophetae, sed ad calamitatem Aegyptiis et Cuschaeis immittendam. Eodem modo verba cepit Hieronymus, a magistro suo Judaico haud dubie ita edoctus. Nec tamen Masorethae hanc sententiam tribulibus omnibus persuaserunt. Jarchius verba sic accipit, incessisse prophetam ex mandato divino nudum et discalceatum, ut eo ipso Judaeos moneret *sub finem* hujus *triennii* exspectandam esse istam calamitatem. Kimchi refert ad *actionem prophetae*, imaginatione conceptam in viso, nec aliter accipi vult durationem temporis, quam, rem sic visam prophetae, rapto in ecstasin. Aben-Esra dubium relinquit, utrum referendum sit ad durationem afflictationis, an ad spatium temporis hinc usque ad calamitatem illam lapsuri. Abarbenel illud שָׁלשׁ שָׁנִים elliptice scriptum existimat pro לְשָׁלשׁ שָׁנִים *post tres annos.* Est tamen coacta sententia: *post tres annos in signum et portentum Aegyptiis et Cuschaeis*, i. e. in signum et portentum ejus, quod Aegyptii et Cuschaei post triennium experturi sint. Vitringa conjicit, esse aliquam ellipsin in verbis prophetae, ubi explicat mandatum Dei ad se editum, vel illius

illius mandati expoſitionem. Videlicet mandatum ipſi putat nudum incedere per *triduum*, ita ut *tres dies* ſtylo prophetico ſignificarent *tres annos*, et ſententia integra eſſet: *ut incedit ſervus meus Jeſajas nudus et discalceatus per tres dies*, שְׁלֹשׁ יָמִים, *trium annorum*, שָׁלֹשׁ שָׁנִים, *ſignum ſuper Aegypto et Aethiopia.* Verba שְׁלֹשׁ יָמִים post יָחֵף ſupplenda, et textu exciſa eſſe, Lowtho ita certe perſuaſum eſt, ut adeo illa textui inſerenda putaret, qua in ſententia conſentientem ſecum habet Cubium. Et Vitringa quidem in verſione Graeca Alexandrina reperire ſibi viſus eſt, quod conjecturae ſuae faveret. In illa enim verba τρία ἔτη bis habentur, ac ſi quid plus legiſſent ſuo tempore, quam Maſorethae in ſuo codice exhibent. Verba interpretis Graeci ut in codice Vaticano legitur: ὃν τρόπον πεπόρευται ὁ παῖς μου Ἡσαΐας γυμνὸς καὶ ἀνυπόδετος τρία ἔτη, τρία ἔτη ἔσται εἰς σημεῖα καὶ τέρατα τοῖς Αἰγυπτίοις καὶ Αἰθίοψι. Jam ſuſpicatur, interpretem Graecum ſcripſiſſe: ἀνυπόδετος τρεῖς ἡμέρας, τρία ἔτη, et quae ſequuntur, quaſi in ſuo codice legiſſet: שְׁלֹשׁ יָמִים שָׁלֹשׁ שָׁנִים וגו'. Sed verba illa τρία ἔτη vel errore librarii ſunt repetita (nec leguntur in codice Alexandrino, neque, qui de Graeco fideliter transtulit, Arabs in Polyglottis ea expreſſit), vel, ſi a Graeco interprete vere ſint ſcripta, ab ipſo explicandi cauſa ſunt addita, ut lectores moneret, triennii ſpatium tam ad vatem, quam ad populos referendum eſſe. Quod ipſum ſane ſimpliciſſimum videtur, modo ſumamus, prophetam non ſemper aut quotidie per triennii illius ſpatium depoſita tunica et nudatis pedibus inceſſiſſe, ſed ſubinde, data occaſione, certisque caſibus et temporibus ſe ita conſpiciendum dediſſe, ut intelligeret populus, tam diu continuandam eſſe cladem Aegyptiorum et Cuſchaeorum, quam diu propheta hanc perſonam non deponeret. Quae et Saadiae mens fuit, qui ſic vertit: وَقَالَ ٱللّٰهُ كَمَا مَشِي عَبْدِي يَشْعِيَهُو

يشعيهو حينا عاريا حافيا كذاك يكون ثلاث
سنين آيات وبراهين في المصريين والحبشيين

Et dixit Deus: sicut incedit servus meus, Jesajas, aliquando nudus et discalceatus, sic erit per triennium signa et declarationes in Aegyptios et Habessinios. Quodsi autem triennii spatium solam ad Aegyptiorum et Cuschaeorum afflictationem referre velis, statuenda erit in posteriore versus hemistichio *μετάθεσις*, ut verba שָׁלֹשׁ שָׁנִים אוֹת וּמוֹפֵת עַל־מִצְרַיִם וְעַל־כּוּשׁ posita sint pro his: אוֹת וּמוֹפֵת שָׁלֹשׁ שָׁנִים עַל־מִצְרַיִם וְעַל־כּוּשׁ *signum et portentum trium annorum super Aegypto et Cuschaea.* Triennii spatium definitum positum est pro indefinito, ex more poetico, quale erat quadraginta dierum, vel trium et dimidii annorum spatium; vid. Eichhornii *Commentar. in Apocalyps.* P. II. pag. 60. et Staeudlinii librum supra laudatum, pag. 182. Ceterum in toto hoc vaticinio Aegyptii et Cuschaei, sive Aethiopes (vid. de כּוּשׁ not. ad Genes. X, 6.) simul appellantur, et idem utrisque fatum praedicitur, unde colligitur, illos tunc temporis, nisi unum effecerint populum, tamen arcto foedere inter se junctos fuisse. Neque hic nos destituunt monumenta historica extera. Ea concorditer testantur, circa extrema regni Ephraimitici, et, ut videtur, Ahaso, vel patre ejus Jothamo, apud Judaeos imperante, Sabaconem, Aethiopem, potentissimum principem, Aegyptum occupasse, eamque titulo regis legitimi administrasse, cui Fragmenta Manethonis post aliquot annos successorem dant Sevechum, qui in Hebraeorum Annalibus (2 Reg. XVII, 4.) *So* (סוֹא), Aegypti rex tempore Hiskiae et Hoseae. Herodoto (II, 141.) Setho dicitur. Vid. Pezronii *Antiquit. Tempor. restit.* Cap. XIII. Is autem vel ipse fuit Guschaeus, vel saltem a Sabacone, Cuschaeo s. Aethiope, imposi-

tus,

tus, dum ipse interim, et successor ejus Taraco s. Tirbaca, administrabant regnum illo tempore florentissimum Cuschaeorum; ut proinde duo hi populi hoc tempore inter se omni modo fuerint conjunctissimi.

4. Continetur hoc versu signi publici ostentandi declaratio, cujus summa haec est, Jesajam eo habitu, qui versu superiore descriptus est, incedentem portendere debere Aegyptios et Cuschaeos a rege Assyriae vincendos et captivos abducendos. חֲשׂוּפַי שֵׁת *Nudati quoad nates s. natibus*, i. e. vili, lacera aut inhonesta veste, ornatu omni spoliati; ut in bello capti et in servitutem rapti. Cf. infra XLVII, 2. Nah. III, 5. חֲשׂוּפַי (his enim punctis insignitur in melioribus codicibus, non חֲשׂוּפֵי, per Zere, ut in nonnullis legitur) est status constructus pluralis numeri juxta formam Syriacam; conf. notam supra ad Cap. XIX, 9. et STORRII *Observatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* §. XX, II.) 1) a) dd) p. 95.

5. וְחַתּוּ וָבֹשׁוּ *Tunc consternabantur et pudore afficientur* scil. qui in Cuschaeis et Aegyptiis spem et fiduciam posuerant, sive Judaei fuerint, sive alii Palaestinenses, qui vs. 6. diserte nominantur. מִכּוּשׁ מַבָּטָם *Ob Cuscharam, respectum eorum.* מַבָּט eodem sensu hic usurpatur, quo Zachar. IX, 5. ubi Tyrus dicitur מַבָּט, *respectus* Philisthaeorum, h. e. *id in quo fiduciam ponunt. Videre* enim, sive, quod rectius hic usurpatur, *respicere*, hoc in loco est, in dubio et ancipite casu respicere quem ut praesidium tutelare. Eadem vis est in voce תִּפְאֶרֶת; notat proprie *decus*, *laudem*, et inde facile refertur ad *gloriationem*, ut Zach. XII, 7. *Et servabit Jova tentoria Judae primo, ut non invalescat*, sive, *se efferat*, תִּפְאֶרֶת בֵּית־דָּוִיד *gloriatio* (Alexandrini: καύχημα) *domus Davidis*, et תִּפְאֶרֶת, *gloriatio incolarum Hierosolymorum adversus Judam.* Qui enim alium respicit ut numen auxiliare, vel

vel praesidium tutelare, illum hoc nomine passim laudare solet et celebrare, eoque, cui fidit, gloriari.

6. ואמר ישב האי הזה, *Et dicet incola tractus s. orae hujus*, i. e. Palaestinae, quae, utpote mari conterminа, אי vocatur, de quo nomine vid. not. ad Genes. X, 5. Loquentes igitur hic inducuntur Palaestinae universae incolae, qui quum prius Aegyptios et Cuschaeos ut unicum repagulum exundantis et supra modum invalescentis dominationis Assyriacae respexissent, accepto nuncio de illorum clade, damnant tum stultitiam suam, quod fisi essent Aegyptiis et Aethiopibus, tum de salute et conservatione sua, sublato hoc praesidio, desperant.

CAP. XX. 1. *Anno, quo Tarthan venit Aschdodum, missus a Sargone, rege Assyriae, urbemque illam oppugnavit et cepit;*

2. *Illo*, inquam, *tempore, locutus est Jova ministerio Jesajae, filii Amozi, in haec verba: age, solve saccum a lumbis tuis, et calceamentum tuum exue pedibus tuis. Et fecit ita, incedens nudus et discalceatus.*

3. *Tum Jova dixit: quemadmodum incedit servus meus Jesajas nudus et discalceatus tribus annis in signum et portentum respectu Aegyptiorum et Cuschaeorum:*

4. *Sic ducet rex Assyriae captivos Aegyptios, et in exilium deportandos Cuschaeos, pueros et senes, nudos et discalceatos, nudatos nate, in summum Aegyptiorum opprobrium.*

5. *Tum consternabuntur et pudefient caussa Cuschaeorum, quos respiciebant, et Aegyptiorum, quibus gloriabantur:*

6. *Dicentque incolae orae hujus illo tempore: ecce! sic se habent illi, ad quos refugimus auxilii caussa, ut eriperemur a rege Assyrio. Quomodo nunc evademus nos?*

CAP.

CARMEN QUINTUM DECIMUM.

Cap. XXI. 1—10.

ARGUMENTUM.

Babylonis excidium hoc carmine cantari, extra omnem dubitationem ponunt versus *secundus* et *nonus*. Versatur autem poeta in hoc argumento tractando miro artificio et gravitate. Advenit exercitus hostilis ad expugnandam Babylonem, quae superbia et ferocia elata, urbes ceteras omnes quasi victas intuetur (vs. 1. 2.). Omnia belli atque oppugnationis instrumentis et apparatu strepunt, ita ut poeta, ipse etiam in urbe versatus, summo angore afficiatur (vs. 3. 4.). Babylonii, turpi securitati sese tradentes, ad commissandum et epulandum accumbunt: sed subito auditur clamor hostium ad urbem expugnandam sese excitantium (vs. 5.); quod tamen vates non dicit nudis his verbis, sed ita declarat, ut fingat vigilem, a se ipso, Jovae jussu, constitutum, qui magna voce clamat, se videre exercitum hostilem equis et camelis equitantem urbem aggredi, ipseque protinus laetum clamorem extollit, *lapsam esse Babylonem!* (vs. 6—9). Concludit vates brevi alloquio ad Judaeos, hucusque a Babyloniis afflictos (vs. 10.).

Hoc carmen eodem illo tempore, quo *sextum* (supra XIII—XIV, 23.), editum esse, etiam me non monente, cuiquam sponte patebit. Omnia, ad minima usque, tam

tam accurate conspirant cum veterum scriptorum narrationibus de expugnatione Babylonis, a Cyro facta, ut nullum dubium sit, poetam expugnationi illi ipsum interfuisse, et eorum, quae viderat, atque audiverat, adhuc plenum, carmen hocce effudisse.

Inscriptio carminis.

De verbis מַשָּׂא מִדְבַּר־יָם *effatum deserti maris*, i. e. de deserto maris, s. in desertum maris, tot fere sunt, quot interpretes, sententiae. Inscriptionem illa esse, qua indicetur, in quam regionem aut urbem hoc oraculum sit directum, ut supra XIII, 1. מַשָּׂא בָּבֶל, XIX, 1. מַשָּׂא מִצְרָיִם, infra vs. 11. מַשָּׂא דּוּמָה, et XXII, 1. מַשָּׂא גֵּיא חִזָּיוֹן, vix dubium esse potest; et quum tota haec prophetia de Babylonis expugnatione agat, eam urbem nomine מִדְבַּר־יָם hic designari apparet. Sed quum illa urbs media in continenti a mari longe remota sita fuerit, obscura est ratio appellationis *deserti maris*, qua Babylon hic insignitur. In versione Graeca Alexandrina pro verbis hebraicis leguntur haec: *τὸ ὅραμα τῆς ἐρήμου*, *visio deserti*, neglecta voce יָם, haud dubie quod non perspiceret interpres, quo sensu hae duae notiones *deserti* et *maris* conjungi queant, si quidem ille nomen יָם vere non expresserit, de quo tamen dubitare licet, quum et unus codex Marechalii, Bosio citatus, *θαλάσσης* additum habeat, et Hieronymus versionem Graecam latine redditam haec exhibeat: *visio deserti maris.* Ab interprete Arabe quoque suo in codice Graeco nomen *θαλάσσης* lectum fuisse, inde apparet, quod sic vertit: النُّبُوَّة فِي أَهْلِ ٱلْبَرِّيَّةِ ٱلْقَرِيبَةِ مِنَ ٱلْبَحْرِ *prophetia in populum deserti mari propinqui.* Clericus *mare* hic intelligit *Persicum*, juxta quod fuerunt Chaldaei

daei ad ortum, et Arabes ad occasum. Sic Strabo *Geogr.* L. XVI. p. 1074. ed. Almelov. Ἔστι δὲ καὶ φῦλόν τι Χαλδαίων καὶ χώρα τῆς Βαβυλωνίας ὑπ' ἐκείνων οἰκουμένη, πλησιάζουσα καὶ τοῖς Ἄραψι, καὶ τῇ κατὰ Πέρσας λεγομένῃ θαλάσσῃ. *Est autem et tribus quaedam Chaldaeorum, et regio Babyloniae ab iis culta, finitima etiam Arabibus et mari, quod dicitur Persicum.* „Proxima mari propter aestum et aquae inopiam deserta erant, suntque etiamnum hodie, quapropter Chaldaea vocatur hic *desertum maris*, et nomine orae meridianae tota Babylonia designatur; forte stylo prophetico innuente, agi de eo terrarum tractu, qui olim aeque desertus futurus erat, ac ora maritima Chaldaeae, prout Jesajas praedicit Cap. XIII." Inter Judaeos interpretes Kimchius contendit, verba מִדְבַּר־יָם vertenda esse *desertum occidentale*, quod Babylon esset ad occiduum, vel occiduum australe Mediae et Persiae, quae respectu Babylonis ortum aestivum vel orientem versus sitae essent. Rationem vero, cur *desertum* vocetur Babylon, adfert hanc, quod desertum interfuerit Babyloniam inter et Mediam ac Persiam. Sed si id vere se haberet, Mediam inter et Babylonem fuisse Desertum, an inde Babylon ipsa Desertum appellari potuit? *Mare occiduum* dictionem מִדְבַּר־יָם vertit quidem et Paulus, V. S. V., in *Clavi* p. 142., sed ab omnibus fere interpretibus discedit in eo, quod isto nomine Babylonem insigniri negat. מַשָּׂא divellit a מִדְבַּר־יָם, quasi seorsim positum oraculi titulum constituat. Quod tamen repugnat consuetae hujusmodi inscriptionum rationi, e qua nomini מַשָּׂא conjungi solet nomen loci, cui mala denuntiantur, uti ostendunt exempla supra allata. Vitringa in *Observatt. SS.* Lib. I. Dissertat. III. Cap. IV. titulos tam huic vaticinio, quam ceteris in hoc ipso Capite oraculis, praescriptos esse conjecit a scribis sacris, qui illa digesserint, et pro more apud Hebraeos recepto desumserint ex *prima* vel

 con-

conspicua aliqua *dictione*, quae in vaticiniis occurrit. Illos vero, cum observassent, in initio hujus oraculi hostem adversus Babylonem suscitandum comparari cum *turbinibus et ventis violentis deserti australis*; huic vaticinio praescripsisse titulum מִדְבַּר־יָם, *deserti australis*, cujus inscriptionis sensus sit: prophetia, in qua, vel, in cujus initio mentio fit *deserti australis*, ut proinde מִדְבַּר־יָם idem sit, quod מִדְבַּר־נֶגֶב, יָם enim Hebraeis aeque *Austrum* ac *Occidentem* notat, ut inter alia liquet ex Ps. CVII, 3. Favet quidem huic sententiae, quod prophetia de Arabibus, huic nostrae subtexta, vs. 13., inscribitur מַשָּׂא בַּעְרָב, quod aperte desumtum ex eo, quod vaticinium incipit his verbis: בַּיַּעַר בַּעְרַב. Sic oraculum Cap. XXII, inscribitur מַשָּׂא גֵּיא חִזָּיוֹן, quia Hierosolyma vs. 5. ita appellatur. Eadem inscriptionum singulorum Pentateuchi librorum et sectionum eorum est ratio. Qua adscita sententia haec inscriptio non egeret interpretatione. Placuit illa Koppio quoque. Sed ipse Vitringa in Commentario ad h. l. illam sententiam hac potissimum de causa deseruit, quod inscriptio non est concepta iisdem verbis, quae in prophetia habentur. Debebat enim esse מַשָּׂא מִדְבָּר, vel מַשָּׂא מִדְבַּר נֶגֶב, non מִדְבַּר־יָם. Probabile ipsi est, prophetam nomen מִדְבַּר־יָם mystice quidem sive allegorice usurpasse de vasto Babylonico imperio, quod sustinebatur a populosa metropoli, simul vero allusisse ad proprietatem aliquam terrarum illarum, quae potissimum Babylonicum imperium faciebant. Duas ita, a variis interpretibus de appellatione מִדְבַּר־יָם propositas sententias conjungit; unam eorum qui Babylonicum imperium ob vastitatem *desertum*, et ob ingentem gentium confluxum, qui in perpetuo est motu, appellari existimant *mare*, coll. Apoc. XVII, 3. 15. (minus recte Coccejus et alii hanc phrasin comparant cum מִדְבַּר עַמִּים Ezech. XX, 35., et cum מִדְבָּר Hos. II, 16.), quorum

loco-

locorum plane alia est ratio); alteram eorum, qui *maris deserti* appellationem, qua urbs et regio Babylonica hic insignitur, ex ejus situ illustrandam arbitrantur, quibus et nos accedere haud dubitamus. Erat ager Babylonicus ab Euphrate in varias scissus partes, cui subjectae erant vastae paludes ad austrum. Illum circumjacebat ab austro, occiduo, et septentrione *desertum*, i. e. vasta planities, hic illic inculta. *Mare* autem hoc *desertum* interluens, hic notat Euphratem, qui ipsam urbem Babylonem in duas secabat partes, et infra Babylonem ad austrum magnas efficiebat paludes et lacus, in quibus celebre illud stagnum Pallacopae, in quod exundans per fossas abducebatur, ita ut Babyloni veluti mare subjectum videretur, ut Veteres omnes testantur. Sic Jeremias in prophetia adversus Babylonem LI, 36. וְהַחֲרַבְתִּי אֶת־יַמָּהּ *et exsiccabo mare ejus*; i. e. Euphratem, eam interluentem, perinde ac Nilum *mare* appellari vidimus supra XIX, 5. Herodotus L. I. c. 184. ubi de Semiramide regina, quae exstructis aggeribus Euphratem exundantem coërcuerit, dicit: πρότερον δὲ ἐώθεε ὁ ποταμὸς ἀνὰ τὸ πεδίον πᾶν πελαγίζειν, *prius autem flumen illam planitiem solebat pelagi instar inundare*. Abydenus apud Eusebium in *Praeparat. Evangel.* L. IX. p. 457. de Babylonia situ: λέγεται δὲ πάντα μὲν ἐξ ἀρχῆς ὕδωρ εἶναι, θάλασσαν καλεομένην. *Ferunt, loca haec omnia ab initio aquis obruta fuisse, et maris nomine appellata.* Cf. Strabo *Geogr.* L. XVI. §. 9. 10. et Arrianus *de expedit. Alexandri* L. VII. C. XXI. qui jam Pallacopae alveum s. stagnum, tum subjectas ei paludes excurrentes ad Arabiam planissime describunt. Modo haud absimili rationem appellationis מִדְבַּר־יָם, qua Babylon hic insignitur, explicat J. D. Michaelis in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* P. IV. p. 1084. ubi sententiam, quam in nott. ad version. vernaculam jam antea dixerat, ita declarat: „ex simillima vocabuli ag-

 notio-

notione (*fluvii magni*; vid. supra ad Cap. XIX, 5.) suspicor explicandum esse locum Jes. XXI, 1. ubi Babylon vastanda, eique vicina regio (si modo sana lectio, possis enim et מִדְבָּרִים, *deserta*, adpellare), מִדְבַּר־יָם, *desertum maris*, dicitur. Euphrates ubi Tigridi propior, cumque illo innumeris brachiis canalibusve conjunctus, humiliora Chaldaeae perlabitur, quotannis ripas excedens late terris superstagnat, ut omnia illum inter et Tigridem maris speciem referant, unde aeque ut Nilus, *mare* dici potuit. Has valles ab utroque fluvio in mare versas proxime attingit desertum Arabicum, quod multis in locis ne quarta quidem milliaris germanici parte ab Euphrate abest." Alteri interpretum classi, qui ob ingentem incolarum multitudinem Babyloni *deserti maris* nomen inditum censent, adnumerandus est Hieronymus, qui, „nisi," inquit, „in consequentibus hujus Capituli legerem [vs. 4., ad quem vid. not.]: *Babylon dilecta facta est mihi in miraculum*, et iterum [vs. 9.]: *cecidit, cecidit Babylon, et omnia sculptilia deorum ejus contrita sunt in terra*, et su..a [vs. 2.]: *ascende Elam, et obside Mede;* dubitarem, quod esset hoc Pondus [מַשָּׂא], quod deserto mari imponitur. Perspicuum ergo est, quod *desertum mare* Babylon appellatur, Jeremia dicente ex persona Dei [LI, 36. 37.]: *et desertum faciam mare ejus, et siccabo terram illius, et erit Babylon in tumulos arenarum. Mare* autem propter multitudinem habitantium dicitur." Procopius quoque *mare deserto* adjunctum hic symbolice figuram sustinere ait τῆς πόλεως πάλαι κυμαινούσης τοῖς πλήθεσιν, *urbis plebe olim exundantis et* veluti *fluctuantis*. *Mare* figurate de magna hominum multitudine cepit quidem et Chaldaeus, sed ita, ut hac inscriptione non Babylonem, sed ingentes exercitus in eam irruentes significari existimaret. Ita enim verba hebraea reddidit: מטול משרין דאתין ממדברא כמי ימא

onus

omnis exercituum venientium ex deserto sicut aquae maris.

---

1. כְּסוּפוֹת בַּנֶּגֶב לַחֲלוֹף *Sicut turbines australes irruunt*, propr. *sicut turbines in austro sunt ad irruendum.* חָלַף *per vices succedere*, hinc *invadere*, *vi et impetu irrumpere*, de fluctibus irrumpentibus dicitur supra VIII, 8., de vento, ut hic, nec non Habac. I, 11. אָז חָלַף רוּחַ וַיַּעֲבֹר, *tunc irrumpet ventus, et pertransibit*, h. e. hostis instar turbinis sese provolvet cum copiosissimo exercitu, et Job. IV, 15. Conf. omnino de hac radice Schultensium *Commentar. ad Proverb.* XXXI, 8. pag. 506. 507. לַחֲלוֹף elliptice positum est pro הָיוּ לַחֲלוֹף, quomodo Hebraei temporis finiti periphrasin facere solent, vid. Schroederi *Institutt. ad Fundamm. Ling. Hebr. in Syntax.* Sect. III. Reg. LXXXVII. pag. 299. Verbum substantivum vero, הָיָה, in hac dicendi forma saepe omittitur, ut Proverb. XIX, 8. *servans prudentiam* לִמְצֹא טוֹב inveniet *bonum*, vid. etiam Jes. XLIV, 28. Mich. V, 1. Dan. II, 16., et confer Storrium in *Observatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 421. ubi haec linguae Hebraeae proprietas pluribus est explanata et exemplis illustrata. סוּפוֹת בַּנֶּגֶב propr. *turbo in meridie*, i. e. meridionalis, australis: hujusmodi circumscriptionibus Hebraei adjectivorum defectum solent sarcire, veluti עֲבוֹדָה בַשָּׂדֶה *opus in agro*, i. e. agreste: Exod. I, 14.; אַשְׁמוּרָה בַלָּיְלָה, *vigilia in nocte*, i. e. nocturna, Ps. XC, 4.; vid. Schroederi *Syntax.* Reg. XIX. et Storrii librum laudat. p. 242. Ceterum *turbines australes* a poetis passim usurpantur pro *vehementissimis*, veluti Zach. IX, 14. Job. XXXVII, 9. et Virgilio *Aeneid.* I, 89.: *creberque procellis Africus*, et in *Ciri*, vs. 480. *Afer hiberno bacchatur in aequore turbo.* מִמִּדְבָּר בָּא *E diserto venit.* Comparat copias mili-

militares magna cum vi et saevitia irruentes cum turbinibus deserti; etenim flatus ventorum vehementior est in deserto, quam in aliis locis, quod illic nihil habeat, quod remoretur ipsum. Petrus Vallensis in *Itiner.* Part. IV. Epist. XI. pag. 183. 191. version. germ. exserte meminit hujus *vehementioris venti deserti*, qui tentoria disjecerit, cum per illud iter faceret. Conf. Hos. XIII, 15. ubi Eurus ex *deserto* venire dicitur, et Job. I, 19. *Ventus vehemens venit ex ulteriore deserto, et corripuit quatuor angulos domus, quae collapsa est super liberos etc.* מֵאֶרֶץ נוֹרָאָה *e terra terribili*, i. e. deserto vasto, horrido et inculto, quemadmodum Arabiae desertum Deut. I, 19. הַגָּדוֹל וְהַנּוֹרָא *magnum et terribile.* Kimchius *terram terribilem* hic exponit per אֶרֶץ רְחוֹקָה *terram remotam*, quippe quae longius absunt, eaque de causa nobis ignotiora, magis timentur, quam quae propius adsunt, quorum vires et operandi modum explorata habemus. Sed proprius vocabuli נוֹרָאָה significatus hic sine necessitate deseritur. Paulus, V. S. V., ab interpretibus omnibus discedens, vocem נוֹרָאָה ex Arabico وراء *quod pone est*, illustrandam et eum אֶרֶץ conjunctam *regionem posticam* indicare existimat. Verba מִדְבַּר־יָם vero non cum מַשָּׂא conjungit, sed ad vaticinii textum trahit, ut quibus illud incipiat, unde haec totius versus interpretatio prodiit: *Effatum. Desertum occiduum instar turbinum* est, i. e. turbinibus repletum; *ad vertendum se in austrum*, s. *ut se vertat* scil. procella *austrum versus*, *venit ex hoc deserto*, *e regione postica*, i. e. occidentali. Sensum hunc esse ait: tempestas furit irruitque ex occidente austrum versus. Sed quum vox נוֹרָאָה toties in V. T. obvia locis reliquis omnibus *terribilis* notionem certissime habeat, difficile est creditu, illam hoc solo loco de regione *postica*, sive *occidentali* usurpari, quae aliis

אָחוֹר

אָחוֹר dici solet. Vid. e. c. supra IX, 11. Job. XXIII, 8. Ceterum vaticinii exordium, quod hoc versu continetur, minime cum Abarbenele, Coccejo et Vitringa ad Nebucadnezarem, Judaeam invasurum et rempublicam gentis destructurum est referendum; sed continet propositionem de adventu exercitus hostilis Medorum et Persarum, Cyro duce, instar tempestatis austrinae impetum facturi in Babylonem. Similibus imaginibus hostes in Babylonem ingruentes describuntur infra XLVII, 11. et Jerem. LI, 1. Recte Hieronymus hujus versus sensum declarat: „Vox Babylonii populi timentis inducitur, sive ipsius Babylonis; quod audeat Medos et Elamitas [vs. 2.] contra se exercitum praeparare, et venire de solitudine, ponitque comparationis exemplum. Sicut, inquit, ab Africo ventu vehemens tempestas venire consuevit, ita mihi de solitudine vastitas venit, de terra horribili, cujus ne nomen quidem audire possum absque formidine."

2. חָזוּת קָשָׁה הֻגַּד־לִי *Visio dura* est quod *indicatum mihi*. Ita enim solvenda est haec phrasis, quum non הֻגְּדָה scriptum sit, sed masculinum הֻגַּד neutraliter hic sumendum. Coccejus חָזוּת *speciem*, *instar* interpretatur, ut infra XXIX, 11. חָזוּת הַכֹּל *instar totius*, et verba hebraica sic vertit: *instar duri nunciatum est mihi*, i. e. spiritus mihi totam hujus temporis calamitatem, et illius *instar* quoddam in specie et συνόψει aliquam exhibuit. *Instar* enim, addit, *est id, in quo res uno intuitu cerni potest*. Alii conjungi hic volunt verbum masculinum cum nomine feminino per archaismum; nam olim omnes verborum personae communes erant, postea vero generis discrimen quidem constitutum, nonnunquam neglectum est, exempla vide 1 Chron. II, 48. 2 Reg. III, 26. 1 Sam. XXV, 27. Conf. Schroederi *Syntax*. Reg. LVI. Verba הַבּוֹגֵד בּוֹגֵד וְהַשּׁוֹדֵד שׁוֹדֵד vio-

violentus violenter agit, et vastator vastat, Chaldaeus sic vertit: אניסיא מתאנסין ובוזזיא מתבזזין quae verba in Polyglottis male ita sunt versa: *violenti violentiam inferunt, et direptores diripiunt*, quum potius ita sint vertenda: *qui violentiam inferunt, violentiam patiuntur, et direptores diripiuntur*. Ita enim Jarchi: לשון העבריה לפי התרגם כך פירשו אתה הבוגד בא אחר ובוגד אותך ואתה השודד בא אחר ושודד אותך אלו פרס ומדי שבוזזין ושודדין את בבל ששודדה ובוזה עד עתה את כל המדינות *Sensus textus Hebraici juxta interpretationem* Chaldaicam *est hic: heus tu! o violente, venit alius, qui te violenter tractabit, et tu, o vastator, venit alius, qui te vastabit; hi vero sunt Persae et Medi, qui diripiebant et vastabant Babylonem; quae usque ad hoc tempus omnes civitates vastaverat et diripuerat.* ה sequenti Dagesch forti vocibus בוגד et שודד praefixum h. l. non est pro articulo habendum, sed pro Vocativi nota, ut Esth. VII, 3. הַמֶּלֶךְ *o rex!* et 1 Reg. XVIII, 26. הַבַּעַל *o Baal!* בוגד vero hic non *perfidum* notat, sed *violentum*, ut Habac. II, 5. Prov. II, 25. XI, 3. 6. Verbis quae sequuntur, עֲלִי עֵילָם צוּרִי מָדַי *ascende, Elymaee, obside, Mede*, contineri mandatum Dei ad Medos et Persas de obsidenda Babylone, patet ex subjecta sententia: *omnem gemitum cessare feci*, quae nemini, nisi Deo conveniunt. Accedit, quod et in aliis vaticiniis adversus Babylonem editis Deus sibi vindicat Medorum et Persarum, tanquam a se concitatorum, contra illam expeditionem, eaque se tanquam quae ad ejus laudem pertineat gloriatur; vid. e. c. supra XIII. 3. — עֲלִי *Ascende*, i. e. expeditionem suscipe contra Babelem; vid. de hoc verbi עָלָה significatu not. supra ad VII, 1. Nomine עֵילָם designari *Persas* non est dubium. Est populus ille, qui Veteribus Ἐλυμαῖοι, Lucae Act. II, 9. Ἐλαμῖται dicitur, et Elymaidem incolebat, regionem Mediam inter et Mesopotamiam

tamdiu ſitam. Nomen diu ſervarunt Syri, iisdem adeo literis ſcriptum ܥܝܠܡ, unde Elamitas ܥܝܠܡܝܐ dicunt. Vid. Assemani *Biblioth. Orient.* T. III. P. II. p. 419. Cum Medis conjunguntur non hoc ſolum loco, verum et Jerem. XXV, 25., et a Luca l. c. Gentem ferocem et bellicoſam fuiſſe, patet ex Ezechiele, qui dicit, *Elamitas perculiſſe terram viventium terrore ſui nominis*, XXXII, 24., ad quem loc. cf. not. Saadias hic pro עֵילָם poſuit خوزيين *Chuzeos*, i. e. incolas regionis خوزستان *Chuzisthan*, quod nomen ſupra XI, 11. pro עֵילָם uſurpavit. Eſt vero Chuzisthan Perſiae provincia, de qua vid. Herbelotii *Biblioth. Orient.* ſ. v. *Khuzistan*, et S. F. G. Wahl *altes und neues Vorder- und Mittel-Aſien*, T. I. p. 597. Benjamin Tudelenſis, doctus Judaeus, qui medio ſeculo duodecimo aerae noſtrae Orientem peragravit, in ſuo *Itinerario* p. 86. ed. L'Empereur (Lugd. Batav. 1633.) ſcribit: כוזסתאן היא עילם המדינה הגדולה אבל אינה מיושבת כלה כי היא חרבה מקצתה *Chuzisthan eſt Elam, magna illa provincia, quae jam omnibus partibus non habitatur; ſed ex parte vaſtata eſt.* Addit, in ea eſſe ruinas urbis Suſan, regis Aſveri quondam regiae. צוּרִי צֻרִי *Obſide, Mede*, ſcil. על בבל במצור *Babylonem obſidione*, ut addit Jarchius, qui et obſervat, a nomine צוּרִי *petra mea* Imperativum femininum, צוּרִי, qui hic legitur, ita diſcerni, quod illud *ſit acutum*, ſive accentum in ſyllaba poſteriore habeat, hic vero Imperativus *penacutus* ſive accentum in ſyllaba priori habeat, ut in קוּמִי וָדוֹשִׁי *ſurge et tritura*, Mich. IV, 13. In hodiernis tamen codicibus Maſorethicis צוּרִי hic habet accentum ad ſyllabam poſteriorem, ut in Imperativis עוּרִי *evigila* Jud. V, 12. et שׁוּבִי *revertere*, Pſ. CXVI, 17. Verba hujus verſus poſtrema, כָּל־אַנְחָתָהּ הִשְׁבַּתִּי plures cum Hieronymo ſic vertunt: *omnem gemitum ejus ceſſare feci*,

feci, quaſi ה ad אַנְחָתָה ſuffixum femininum ſit ad Babelem referendum. Tum vero illa litera *Mappik* inſcriptum habere deberet, quod et in Bibliis Bombergianis et nonnullis aliis libris editis comparet, ſed contra Maſoram, quae expreſſe notat: ה״א רפה *He eſt lenis* ſ. ſine Mappik. Eſt igitur ה mere paragogicum, ad intendendam ſignificationem; ut bene notat Jarchi: לא מפיק ה״ה לפי שהוא כמו בל אנחות שבעולם והוא לשון אנחה מרובה של אנשים רבים *He non habet Mappik, quia illa voce quaſi omnes gemitus* qui *in mundo* ſunt indicantur; *et ſignificat gemitum copioſum hominum multorum.* Senſum horum verborum recte ait eſſe hunc: *efficiam ut ceſſent gemitus omnes, quos mundus gemebat ob violentiam regni Babylonici.* Hieronymus: „Omnem gemitum ejus ac pondus, quo te ante premere conſueverat, ceſſare feci; ſeu quod nullus jam gemat et doleat preſſus potentia Babylonis; ſeu quod tantis malis oppreſſa ſit ipſa Babylon, ut ne gemitum quidem liberum habeat."

3. עַל־כֵּן מָלְאוּ מָתְנַי חַלְחָלָה *Ideo repleti ſunt lumbi mei gravi dolore.* Propheta Babyloniorum perſonam veluti aſſumit eorumque nomine et verbis ipſorum exprimit affectum et calamitatem. Hieronymus: „Prophetae ideo obſcuri ſunt, quia perſonae in his plurimae commutantur. Ergo et nunc vox Iſajae inducitur plangentis Babylonem ſpiritu prophetali, quod tanta mala ſuper eam ventura ſint, ut ipſe qui narrat, timore ſuperatus nequeat in verba prorumpere, videns tantae multitudinis ſanguinem fundi: et miſericordiae motus affectu (homo enim de hominibus loquitur), non minus doleat, quam mulier ululare in partu ſolet." Jarchi: „Propheta erat miſericors, atque gemebat propter poenam populorum: atque haec eſt expoſitio allegorica. Sed ſecundum ſenſum literalem profert hic propheta gemitum atque planctus, ac ſi Babylonia illos proferret

atque

atque lugeret." Hinc Chaldaeus versum hunc ad eum, qui proxime sequitur in tertia Pluralis expressit: *repleti sunt lumbi eorum; timor apprehendit eos etc.* Unde simul patet, illud עַל־כֵּן *propterea*, hujus versus initio, necessario esse referendum ad antecedens superioris sententiae: *ascende Elam, obside Mede*, non vero ad consequens: *omnem gemitum cessare feci.* Consequens enim hoc est συμβεβηκὸς *occidentale* quid in hac oratione; sed expeditio Medorum et Persarum est τὸ ὑποκείμενον prophetiae. Nomen חַלְחָלָה, a חיל *dolore*, derivatum, notat *dolorem* veluti *duplicatum*, estque fere proprium *dolori lumborum* exprimendo, qualis in partu, calculo, et naturae deficientis infirmitate esse solet gravissimus. Sic Nahumus, figurate exprimens calamitatem Nineves II, 11. וְחַלְחָלָה בְּכָל־מָתְנַיִם *et dolor gravissimus in omnibus lumbis.* Hic vero praecipue alludi ad *tormina partus* docent quae subjiciuntur: צִירִים אֲחָזוּנִי כְּצִירֵי יוֹלֵדָה *tormina apprehenderunt me, ut tormina parturientis*, quae gravissima sunt. Eadem phrasis ad significandum summum horrorem, quo Babylonii adventante hoste corripientur, usurpatur supra XIII, 8. et Jerem. XLIX, 24. Verba נַעֲוֵיתִי מִשְּׁמֹעַ נִבְהַלְתִּי מֵרְאוֹת plures ita vertunt; *distorqueor ex auditu, conturbor ex visu*, i. e. ob ea quae audio et video maximopere sum conturbatus. Sed rectius cum Chaldaeo et Coccejo מ hic sumitur *privative*, ut propheta dicat, usque eo se distortum motumque esse a recto corporis animique statu, ut non audiat, nec videat, i. e. ut sensuum sibi non constat usus. Exemplum constructionis simile est Ps. LXIX, 24. *Obtenebrentur oculi eorum* מֵרְאוֹת *a videndo*, i. e. ut non videant, ut sensu visus priventur. Jarchi observat, verbo נַעֲוָה indicari morbum illum, quem medici *spasmum, convulsionem* vocant (in Commentar. ad Cohel. XII, 3. id nomen ipse exponit Gallico *crampe*).

4. תָּעָה

4. תָּעָה לְבָבִי *Errat* s. titubat *cor meum*, factus sum mentis perturbatae atque emotae. Verbis אֵת נֶשֶׁף חִשְׁקִי שָׂם לִי לַחֲרָדָה *crepusculum desiderii mei posuit*, s. reddidit *mihi in trepidationem*, vix dubium est, prophetam sub persona Babyloniorum loquentem alludere ad noctem illam, qua capta est Babylon, *festam* Babyloniis, ut ex Herodoto (cf. not. ad vs. sequ.), et historia Belsazaris Dan. V, 9. liquet, desideratamque, quippe quam voluptatibus destinaverant, post excubias et custodias urbis, quibus fidebant, rite dispositas. Hanc *noctem*, sive hoc *crepusculum valde desideratum*, quo tripudia et choreas agebant, securi et metu omni soluti, Jova hic dicitur Babyloniis vertisse in *trepidationem*, cujus exemplum singulare editum est in Belsatzare, Dan. V, 9., ad cujus personam integram sententiam referendam esse, sunt qui statuant interpretes. Sed praestat generalius accipere. Esse certam interpretationem hujus loci, patet e versu qui proxime sequitur, quo haec ipsa verba declarantur. נֶשֶׁף Hebraeis idem plane significat quod Latinis *crepusculum*, sumiturque tam pro *crepusculo vespertino*, quam pro *matutino* sive *diluculo*; et tamen longe frequentius pro *crepusculo vespertino*, ac proinde pro ipsa *nocte*, unde passim ab interprete Graeco per σκότος redditur. Sic Proverb. VII, 9. בְּנֶשֶׁף בְּעֶרֶב יוֹם *in crepusculo vespera diei*. Jobo III, 9. כּוֹכְבֵי נִשְׁפּוֹ *stellae crepusculi* sunt sidera noctis. Et infra LIX, 10.: *offendimus meridie*, כַּנֶּשֶׁף *ut in crepusculo*, i. e. nocte, tenebris. Veteres tamen a vero verborum Hebraeorum sensu, quem inter se invicem valde discedunt. Alexandrinus vocibus אֵת נֶשֶׁף omissis: ἡ ψυχή μου ἐφέστηκεν εἰς φόβον. Quod Arabs vertit: نفسي بلغت الخوف *anima mea ad summum pervenit timorem*. Hieronymus: *Babylon dilecta mea, posita est mihi in miraculum*, ad quae in Commentario haec scribit: „Pro eo quod

nos

vertimus: *Babylon, dilecta mea*; in Hebraeo legitur: *Neſeph eſci*, et eſt ipſum verbum, quod in principio Babylonii oneris poſuimus [ſupra XIII, 2. אֶל־הַר נִשְׁפֶּה]: *ſuper montem caliginoſum*; pro *caliginoſo* enim ſeu *tenebroſo* ſcriptum eſt *Neſeph*. Proprieque haec urbs ſic vocatur propter altitudinem et erectum usque ad coelum ſuperbiae verticem." Chaldaeus: אֲתַר בֵּית רוּחְצָנֵיהוֹן הֲוָה לְהוֹן לְתַבַר *locus domus confidentiae eorum factus eſt iis in interitum.* Syrus: ܫܘܦܪ̈ܝ ܘܪ̈ܓܝܓܬܝ ܗܘܘ ܠܝ ܠܙܘܥܐ *et pulchritudines mihi gratiſſimas vertunt mihi in pavorem.* Saadias: إنَّ سِتْرَ شَغَفي صارَ لي إزعاجًا *ecce velum amoris mei factum eſt mihi in perturbationem.* Voci شغفي Paulus, V. S. V. adſcripſit ſignificatum hunc: *caput*. Sed شُعَف eſt pluralis fractus nominis شَعَفَة *vertex montis*, nec non *caput* rei, praeſertim *cordis*. Quod tamen hebraico חֵשֶׁק plane non convenit. Verum uſus eſt Saadias nomine شَغَف quod proprie eſt Infinitivus verbi شَغِفَ *perdite amavit*, *amore dementatus fuit.*

5. Verba infinita in primo hujus verſus hemiſtichio, עָרֹךְ, צָפֹה, אָכוֹל, שָׁתוֹה, variam ſuſtinent interpretationem: vel enim Infinitivus exponi poteſt per Gerundium, et verba עָרֹךְ הַשֻּׁלְחָן vertenda ſint: *inſtruendo menſam*, i. e. dum inſtruitur menſa, ſpeculare ſpeculator, etc., quomodo Kimchius accepit, vel ſuppleri poteſt per verbum finitum temporis *Praeſentis*, aut *formae Imperativae*, ut ſit: *inſtruendo inſtruitur menſa*, vel: *inſtruendo inſtrue menſam*, et ita in iis quae ſequuntur. Singulae hae loquendi formulae uſitatae ſunt Hebraeis, et ſolummodo judicandum eſt e circumſtantiis ora-

orationis, quae earum hic obtinere debeat. Sunt autem plures, qui eligant formam *Imperativi*, ac ſi verba haec continerent mandatum, quod ad certas perſonas editur. Sic veteres omnes, quos ſequutus eſt Lutherus. Cui rationi tamen potiſſimum hoc obſtat, quod non facile conſtat, cujus perſonae hoc ſit mandatum. Si enim ſit regis Babylonii, Belſazaris, funeſta illa nocte inſtruenti omnia ad epulum hilariter agendum, parum apte ipſi tribuuntur verba: *ede, bibe*, tanquam ad alios prolata, quae ipſius perſonae optime convenirent; et praeterea verba: *ſurgite vos principes, ungite clypeum*, minus recte ſecundum fidem hiſtoriae adſcribuntur Belſazari, tanquam ille percepto nuncio occupatae urbis in epulo turbatus, principes quos ſecum habebat, excitaſſet ad capienda arma, quia ipſe cum principibus aulae ſubito eſt oppreſſus. Nec recte conveniunt Deo, exprobranti Babyloniis ſuam ſecuritatem, ut quidam volunt, veluti Deus εἰρωνικῶς diceret: *inſtruite modo menſam, edite, bibite*, quia, ſi id concedamus in prioribus locum habere poſſe, incommode admodum Deo tribuuntur verba ad Babylonios dicta: *ſurgite vos, principes, clypeum ungite*. Accedit, quod, ſi haec verba *Infinitivi modi* imperative capiantur, mirum videtur, vatem mutaſſe ſtylum in fine verſus, et eandem formam non ſervaſſe in verbis: *ſurgite, ungite clypeum*, quae *Imperativi* forma elata ſunt, et arguunt, praecedentia ſecundum aliam formam accipienda eſſe. Quae quum ita ſint, verba haec vertenda ſunt vel in Gerundio (ut infra XXII, 13. ea ipſa, quae hic leguntur, verba אָכוֹל וְשָׁתוֹ), ſubaudito verbo finito hoc modo: dum *adparando* paratur *menſa*, et *ſpeculando* ſcil. ſpeculatur, dum *comedendo comedunt* et bibunt, nuncius venit, qui dicit: *ſurgite principes* etc. Vel Infinitivi עָרֹךְ, צָפֹה, אָכוֹל, שָׁתוֹ, ſimpliciter pro verbis finitis, et quidem pro temporibus praeſentibus poſita ſunt, et idio-

idiotiſmo Hebraico, ſatis frequenti, vid. SCHROEDERI *Syntax.* Reg. LIV. p. 270. STORRII *Obſervatt.* p. 157. Tum ſenſus hic erit: dum Babylone celebratur feſtum, et diſponuntur excubiae, Deus excitat Medorum Perſarumque principes ad urbem invadendam, et obruendos ſecuros. Verba hujus verſus poſtrema, *ſurgite principes, ungite clypeum*, ejusdem ſunt perſonae, cujus illa initio carminis: *aſcende Elam, obſide Mede*, ad easdem prolata perſonas. Qui enim hoc in loco dicuntur שָׂרִים *principes*, iidem ſunt illi, de quibus Jeremias in ſua expugnationis Babylonicae urbis deſcriptione LI, 28.: *Sanctificate*, parate vos, *adverſus eam; gentes, reges Mediae, et duces ejus, et omnes antiſtites ejus.* Et quod hic: מִשְׁחוּ מָגֵן *ungite clypeum*, id in oratione ad eosdem verſa, apud illum prophetam: *tergite ſagittas, implete*, i. e. pleno numero adhibete, ſive, inſtruite quam perfectiſſime *ſanta.* Eſt autem *ungere clypeum* hoc in loco ſynecdochice ſumendum, pro: *parate arma*, ut recte hic Chaldaeus: מְרִיקוּ וְצַחְצַחוּ זֵינָא *tergite et expolite arma*, phraſi uſu vetere receptiſſima, quo *ſpicula tergi*, et *clypei ungi* ſolebant, ut illa quidem certius ferirent, hi tanto facilius eluderent ictus. VIRGILIUS *Aeneid.* VII, 626.

Pars laeves clypeos et ſpicula lucida tergunt
Arvina pingui.

Quacunque enim ex materia clypei fuerint confecti, ſive ex aere, ſive ex ligno, cui bovis aut alterius animalis ſuperinductum (unde ἀσπίδας βοείας Homerus vocat *Iliad.* V, 452. XII, 425.), neceſſe erat, ut nonnumquam inungerentur, ne corium inductum ſiccitate rigidius factum fatiſceret, et ictu gladii diſſiliret. Davides in Jeſſo ſuper Saule 2 Sam. I, 21. queritur, *contumelioſe abjectum eſſe clypeum fortium*, מָגֵן שָׁאוּל בְּלִי מָשִׁיחַ בַּשָּׁמֶן *clypeum Saulis non inunctum oleo*, i. e. Saulis cly-

clypeum contumeliose esse habitum, ac si non ad pugnam fuisset adaptatus, ac proinde res nullius pretii. Jarchi: מגיני עור שלוק הן ומושחין אותן בשמן כדי שיחליק את הזיין *scuta e corio elixo erant* facta, *et ungebant ea oleo ut laeve fieret hoc armorum genus.* Saadias verba מִשְׁחוּ מָגֵן vertit: وَمَسَحُوا ٱلْمَلِكَ مِنْهُمْ *et unxerunt regem ex iis.* Sequutus est quorundam suorum contribulium sententiam, quam et Abarbenel suam fecit, dum haec ita exponit: משחו והמליכו מלך שהמלך יקרא מגן לפי שהוא מגין על עמו וה״ר אבן עזרא פירש על דריוש שמשחו למלך *Ungite, regemque facite; nam* rex *vocatur* clypeus, *quod protegit populum suum. R. Aben-Esra exponit de Dario, quem unxerunt regem,* scil. in locum Belsazaris occisi. Qua interpretatione carere possumus, quum verba proprie sumta sensum elegantem exhibeant. Hieronymus vertit: *arripite clypeum*, cui vicinum, quod in Graecae Alexandrinae exemplo Complutensi atque Aldino legitur: ἀνασκευάσατε θυρεοὺς (quum in cod. Vatic. et Alex. sit: ἑτοιμάσατε θυρεούς), unde Dathius conjecit illos interpretes legisse מִשְׁכוּ; quod non solum *trahere*, verum etiam *prehendere* notare constat, ut Arabum مَسَكَ. Praeferre mallet Dathius illud מִשְׁכוּ ei quod in codicibus omnibus legitur מִשְׁחוּ, hac maxime ratione permotus, quod urbe jam capta, hostibusque undique irruentibus non cogitari possit de armis poliendis. Sed vidimus supra, haec verba non esse Babyloniorum oppugnatorum, sed hostium sese ad urbem expugnandam adhortantium. Praeterea non est argutandum in poeta, qui pro consueto: *sumite*, s. *parate arma!* apte dixit: *ungite clypeos oleo!* Ad verba quae praecedunt, צָפֹה הַצָּפִית, observa, ea proprie ita sonare: *speculando* scil. *speculantur speculationem*, i. e. dum in muris disponunt excu-

excubias, quibus fidere se posse existimabant, securi operam daturi hilaritati. Describit vates omnia ita ac si ipse nocte illa Babyloni funesta in urbe praesens adfuisset. Nam illa ipsa nocte, qua Babylon a Cyro capta est, oppidani festum celebrabant, vigilibus tantum negligenter in muro dispositis, et sic inter medias commessationes et compotationes ab hoste irrumpente sunt oppressi. HERODOTUS in narratione expugnatae urbis L. I. c. 191.: Ἀλλὰ (τυχεῖν γάρ σφι ἐοῦσαν ὁρτὴν) χορεύειν τε τοῦτον τὸν χρόνον καὶ ἐν εὐπαθείῃσι εἶναι, ἐς ὃ δὴ καὶ τὸ κάρτα ἐπύθοντο. *Sed (quod forte festum iis esset) et exercendis choreis atque oblectationibus hoc tempore operam darent, captam esse urbem eos aliquamdiu, qui in extremis erant, latuit, usque quo id maxime resciverunt.* XENOPHON adhuc distinctius, in *Cyropaed.* Lib. VII. §. 23. *Cyrus autem cum intellexisset, ejusmodi festum apud Babylonios celebrari,* ἐν ᾗ πάντες Βαβυλώνιοι ὅλην τὴν νύκτα πίνουσι καὶ κωμάζουσι, *quo Babylonii omnes per totam noctem potare et commissationibus sese tradere solebant,* cum statim advesperasset, recludi jussit paludem Nitocris, in quam abducendus erat Euphrates. Mox Cyrus in oratione ad milites: *nunc vero adversus illos imus,* ἐν ᾧ πολλοὶ μὲν αὐτῶν καθεύδουσι, πολλοὶ δ' αὐτῶν μεθύουσι, πάντες δὲ ἀσύντακτοί εἰσιν· *quo tempore multi quidem illorum dormiunt, multi eorum ebrii sunt, omnes vero incompositi.* Rursus in verbis Gobryae et Gadatae, quibus eventus certitudinem confirmat, πᾶσαν τὴν πόλιν ἐν κώμῳ δοκεῖν εἶναι τῇδε τῇ νυκτί, *totam urbem hac nocte indulgere commissationi.* Quibus consentit descriptio Babylonis captae apud Jeremiam LI, 39: *Dum incaluerint, disponam convivia eorum, et inebriabo eos ut exsultent, et obdormiscent somno perpetuo, nec evigilabunt, dicit Jova.* Similia repetit vs. 57. Hieronymus hunc versum ita exponit: „Locus iste dupliciter accipitur: o Medi et Elamitae, quibus

ſupra [vs. 2.] dixi: *aſtende Elam, obſide Mede;* ſumite cibum, futuro vos proelio praeparate, ne, poſtquam dimicationis tempus advenerit, laſſitudo vos retrahat. Quumque comederitis et biberitis, ſurgite, arma corripite, Babylonium debellate. Quodque ait: *contemplare in ſpecula:* hoc ſenſu legitur: diligenter quae futura ſunt proſpice. Poteſt et ſic intelligi: o Babylon, para Balthaſar, filio Evilmerodach, nepoti Nebuchodonoſor, regi tuo, menſam atque convivium, et vide, quid poſt cibum eveniat, in quo ſcortis et concubinis in vaſis Domini propinabit. O principes, qui cum rege accumbitis (Medos autem Perſasque ſignificat) ſurgite, et ad interficiendum regem arma corripite. Hoc plenius in Danielis volumine diſcimus [Cap. V.]."

6. Fingit propheta, Deum juſſiſſe, ut vigilem in loco excelſo ſiſtat, qui annunciet, quid eminus videat.

7. Vidit ſpeculator advenientem exercitum, totumque apparatum bellicum. Tenendum omnino eſt, in hoc commate vocem רֶכֶב denotare non *currum*, ut alias, ſed *equitatum*, ſ. *vecturam*, quocunque modo ea fiat, ſive jumentis, ſive curribus. Quum enim רָכַב ſit *inſidere, vehi*, et frequens de *equis* uſurpetur; utique רֶכֶב est *inſeſſus, vectura*, ſive de *curribus*, ſive de *jumentis*, quae vehiculorum uſum praeſtant, uſurpetur, ut רֹכֵב *inſidens equo.* Sic 2 Reg. VII, 14. שְׁנֵי רֶכֶב סוּסִים *duo equi inſeſſi.* Eandem ſignificationis latitudinem habet Arabicum مَرْكَب (vid. Lorsbach *Archiv der morgenländischen Litteratur*, P. I. pag. 112.) et Gallicum *voiture.* Sunt igitur verba וְרָאָה רֶכֶב צֶמֶד פָּרָשִׁים רֶכֶב חֲמוֹר רֶכֶב גָּמָל cum Maſorethis, qui nos de vero ſenſu hujus loci monuerunt ſignato diſtinctionis majoris nota primo רֶכֶב, hunc in modum; *et vidit* ſpeculator *equitationem*, i. e. equitatum et vecturam plurium jumentorum, ſive hominibus, ſive ſarcinis onuſtorum,

qua-

qualis solet esse magni exercitus; porro *par equitum*, i. e. vel duos duces ducentes equitum turmas, vel duos equitantium ordines. Inde post *equites* vidit *vecturam asinorum et camelorum*, i. e. jumenta plura, homines, sarcinas, commeatum, portantia, aut necessaria armamenta ac belli gerendi instrumenta. Erat igitur id quod vidit speculator, ipse exercitus Medorum et Persarum ad Babylonem obsidendam et expugnandam procedens, quod ille attentissime ita observabat, ut singulos motus harum turmarum oculis suis carperet, nihil se praeterire et fugere passus, quod his verbis exprimitur: וְהִקְשִׁיב קֶשֶׁב רַב־קָשֶׁב *et attendit attentione. summa attentione.* Duplicatio emphasin intendit. J. D. Michaelis et Hensler hoc versu eo respici existimant, quod Cyrum in proelio cum Croeso maxime adjuvasse dicuntur *cameli*, quippe qui equos insolito adspectu consternarunt et plane perturbarunt, referente Xenophonte *Cyrop.* L. VII. C. I. §. 14. 22. *Asinos* autem quum a nullo alio populo antiquo in bellis adhibitos legamus nisi a Caramaniis (Strabo L. XV. §. 14. p. 727. ed. Casaub. *χρῶνται δ᾽ ὄνοις οἱ πολλοὶ καὶ πρὸς πόλεμον*), qui etiam sub ditione Persarum erant, narretque praeterea Herodotus L. IV. c. 129., Dario Hystaspi in bello contra Scythas magno adjumento asinos fuisse, quod horum non minus ad camelorum, adspectu equi hostium perturbati essent; vatem in describendo Persico exercitu nominatim *vecturae asinorum* mentionem fecisse viri docti illi arbitrantur. Sed vidimus supra, *equitatu* s. *vectura camelorum et asinorum* indicari impedimenta, qualia exercitus omnes sequi solent. Plura in illam Michaelis et Hensleri sententiam dixit Eichhorn in *Biblioth. Literat. bibl. univ.* P. II. p. 1041 seqq.

8. Postquam vates historice narrasset, quid speculator ille, divino jussu a se constitutus, vidisset vel ob-

es in terram, i. e. exeisus in terram projectus. Vid. Schroederi *Syntax*. Reg. LXXXVII. a. Glassii *Philol. S.* L. I. Tract. III. *de Verbo* Can. II. p. 185. ed. Dath. Pro שִׁבַּר, *confregit*, Dathius legere mallet שֻׁבַּר *fracta sunt*, quod veteres omnes expresserunt. Quae mutatio minime est necessaria. Nam verbum שִׁבַּר, indefinite enunciatum, referendum est ad subjectum, mente cogitatum, licet non expressum, i. e. hostem, Babylonem expugnantem, valetque hic idem, ac si passive dictum esset, idola confracta, dejecta esse in terram. Cum Babylonis lapsu idolorum ejus ruinam conjungit et Jeremias L, 2. LI, 44. 52. Victores Persae enim, referente Herodoto, L. I. c. 131. ἀγάλματα, καὶ νηοὺς, καὶ βωμοὺς οὐκ ἐν νόμῳ ποιευμένους ἱδρύεσθαι, ἀλλὰ καὶ τοῖσι ποιεῦσι μωρίην ἐπιφέρουσι, *neque imagines deorum, neque templa neque aras exstruere in more habebant, quin imo haec facientes insaniae postulabant.*

10. מְדֻשָׁתִי וּבֶן־גָּרְנִי. *O tritura mea, et fili areae meae!* Quoniam similis phrasis in simili argumento Jer. LI, 33. de Babylone usurpatur (*Filia Babylonis est ut area, tempus est, ut calcetur*), atque etiam in aliis locis, veluti Joel III, 14. Mich. IV. 12. *conterendi et triturandi* metaphora de calamitatibus divinitus immissis usurpatur, plerique interpretes hunc versum ad Babylonios directum esse putant. Mihi tamen sermo ad Israelitas tunc temporis adhuc in exsilio degentes consolandi caussa converti videtur. Potuit hos, graviter hucusque a Babyloniis afflictos, vates apte compellare: *tritura mea, fili areae meae!* Ita LXX. Ἀκούσατε, οἱ καταλελειμμένοι, καὶ οἱ ὀδυνώμενοι ἀκούσατε. Utramque sententiam quodammodo conjungit Dathius. Verbis enim מְדֻשָׁתִי וּבֶן־גָּרְנִי *Babylonios*, reliqua commatis nostri parte autem *Israelitas* appellari existimat. Ceterum בֶּן־גָּרְנִי idem plane est, quod מְדֻשָׁתִי, *id quod in area* tri-

trituratur, ex consueto Orientalium idiotismo, de quo vid. Glassii *Philolog. Sacr.* P. I. Tract. I. *de nomine* Can. XXXVI. pag. 95. Sic Arabibus اِبْنُ سَحَابٍ *filius nubium* est *pluvia*, اِبْنُ غِمْدٍ *filius vaginae* est *ensis*, اِبْنُ ٱلشَّفَةِ *filius labii* est *sermo, loquela.* Hieronymus: „Quod autem dicit: *tritura mea, et fili areae meae*, ad Jerusalem apostropham facit, et ad templum, quod in area Ornae situm est, dicitque ad eam: o Jerusalem, et popule fili templi, non tibi videatur incredulum, quod dixi; non mea enim verba sunt, sed Domini, et per os meum illius verba resonarunt. Quidam putant, sed male, hoc non ad Jerusalem, sed ad Babylonem dici, de qua et supra [vs. 4.]: *Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum*, et esse sensum: quae contrivisti me, eris et ipsa contrita, non meo sermone, sed Domini potestate, quae tibi haec ventura praenuntiat.“ Chaldaeus: מַלְכִין דְּאוּמְנִין לְאַגָּחָא קְרָבָא יֵיתוּן עֲלַהּ לְמִבְזְהָא כְּאִכָּרָא דְּאוּמָן לְמִדָּשׁ יַת אִדְּרָא *Reges qui consueti sunt ad ineundum proelium, venient contra eam, ut eam diripiant, sicut agricola triturare solet aream.* Hemistichio posteriori interpres praemittit verba: אֲמַר נְבִיָּא *dicit propheta.*

CAP. XXI. 1. *Effatum in desertum australe. Ut turbines australes magno impetu irruunt: ita* hostis *ex deserto venit, e terra terribili.*

2. *Severum oraculum mihi indicatum est: — praedo praedatur! vastator vastat! Invade Persa, obside Mede! compescam quos extorsit gemitus.*

3. *Propterea invasit lumbos meos dolor vehemens; doloribus, quales parturientem discruciant, teneor; quin perculsus et perturbatus nec audio nec video.*

4. Palpitat cor, horror me percellit. Nox voluptati meae dicata vertitur in terrorem.

5. Instruitur mensa, speculatur speculator, editur, bibitur. — Surgite principes, ungite clypeos! —

6. Nam jusserat me Deus constituere speculatorem, qui, quidquid viderit, indicet.

7. Videt equitatum, binorum in ordine equitum turmas, vecturam asinorum, vecturam camelorum: — diligentissime attendit:

8. Clamat voce leonina: in specula, o Domine, sto jugiter interdiu, atque in excubiis meis permaneo totis noctibus.

9. Et en! veniunt agmina hominum, venit equitatus: sed extemplo addit: cecidit, cecidit Babylon, et omnia sculptilia Deorum ejus humi allisa, confracta!

10. O tritura mea, et fili areae meae! Quod a Jova omnipotente, Deo Israelis, audivi, id vobis nunciavi!

CAR-

CARMEN SEXTUM DECIMUM.

CAP. XXI. VS. 11. 12.

ARGUMENTUM.

Aenigma propheticum, quo Idumaeis praedicitur calamitas, iis obventura eodem illo tempore, quo Judaeis pulsa afflictionis caligine, lux aurorae sit oritura. Cui effato suo quum praevideret vates Idumaeos parum adhibituros fidei, monet illos, rem esse certam, in quam si diligentius inquirere velint, posse ipsos de ea accuratius edoceri.

Referendum est hoc effatum ad idem illud tempus, quo Carmen, quod proxime praecessit, est consignatum, ad illud videlicet, quo, luce post tenebras communis calamitatis orta Judaeis exsulibus, expugnata Babylone, Idumaeis calamitosi temporis tenebrae ingruebant. Cf. not. ad vs. 12. Seriorem hujus particulae aetatem arguit usus verborum Chaldaeorum אָתָא et בָּעָה vs. 12.

מַשָּׂא דוּמָה] Sunt plures interpretes, qui asserant, Kimchium in Commentar. ad h. l. referre, in Rabbi Meiri codice pro דוּמָה scriptum fuisse אֱדוֹם: et habent quoque Alexandrini: τὸ ὅραμα τῆς Ἰδουμαίας. Praefert hoc Lowthus illi quod nos legimus, דוּמָה., Sed reliqui veteres omnes tuentur lectionem receptam; nec aliter

 legi-

legitur in codicibus a Kennicottio et de Rossio collatis. Cf. de Rossii *Scholia critt.* ad h. l., ubi negat, Kimchium dicere, fuisse in R. Meiri codice אֱרוֹם scriptum. Nam in codicibus nonnullis et vetustissimis editionibus Commentarii Kimchiani haec verba reperiri: ולדברי רז״ל בספרו ר׳ מאיר מצאו כתוב משא דומה משא רומי *Et secundum verba Rabbinorum nostrorum felicis memoriae in libro R. Meir scriptum invenerunt; o n u s D u m a e, o n u s R o m a e*, ut igitur משא רומי mera lectionis receptae explicatio sit. Praeterea vix est credibile, librarios pro אֱרוֹם substituisse minus usitatum דּוּמָה; contra facile fieri potuit, ut unus aut alter, quod nesciret quid sibi velit דּוּמָה, scripserit אֱרוֹם. Sed illi etiam, qui lectionem receptam defendunt, quod plerique faciunt, in ea interpretanda maximopere dissentiunt. Interpretes veteres, Syrus, Chaldaeus, Vulgatus, Saadias דומה pro nomine proprio regionis cujusdam habent. Et quoniam hoc nomen occurrit inter tribus Ismaeliticas in Arabia Genes. XXV, 14.; J. D. Michaelis (in nott. ad version. teuton. et in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* P. II. pag. 420.) huc referendam censet urbem *Dumam* دُومَة, in provincia Arabica *Neged*, نَجْد, apud Abulfedam دُومَةُ ٱلْجَنْدَل, i. e. *Duma saxea*, de qua haec pauca refert: *locus est Syriae et Arabiae limitaneus, a quo Damascum septem, et Medinam tredecim stationes:* conf. Niebuhrii *Descript. Arab.* p. 344. Probant hanc sententiam Doederlein et Hensleruss. Cui tamen obstat, primum, quod, licet Duma inter Ismaelis filios fuerit, nusquam tamen Arabes hoc nomine proponuntur; deinde, quod mox sequitur effatum ab hoc distinctum in Arabes. Sed dubium vix esse potest, nomine דומה hic designari *Idumaeos*. Propheta enim quid sibi velit ipse clarissime indicat, ubi expositurus argumen-

mentum vaticinii, vocem ad se perlatam esse ait ex *Seire*, quae est ipsissima Idumaeorum regio, ut omnes norunt. Hinc factum haud dubie, quod Alexandrinus, ut supra vidimus, Ἰδουμαίαν posuit. Jarchi: דומה היא אדום *Duma est Edom.* Possit דּוּמָה per aphaeresin scriptum esse pro אֱדוֹם, ut רָם 1 Chron. II, 9. (coll. Matth. I, 3.) pro אֲרָם; פַּס־דַּמִּים 1 Chron. XI, 13. pro אֶפֶס־דַּמִּים 1 Sam. XVII, 1., et saepius יֵשׁוּעַ pro יְהוֹשׁוּעַ. Quod autem vates hic pro usitato nomine אֱדוֹם scripserit דּוּמָה, rationem petit Vitringa ex aenigmatica quadam ὑπαινίξει, sive *allusione allegorica* nominis sic formati ad argumentum prophetiae: „quae cum agat de *nocte* gravissimae calamitatis, in illum inducendae populum, qui hic designatur nomine *Dumae;* Propheta idem ex aenigmatica nominis hujus fictione praejudicari voluit. Hebraea enim vox דּוּמָה, sic formata fictaque, explicanda ex voce דָּמַם, *silere*, significat *silentium*, quod *noctis* est, qua strepitus, quos florentis et negotiosi populi occupationes et commercia de die efficiunt, cessat et intermittitur, quod conjunctum cum *tenebris*, quale est *silentium noctis*, oppositum est gaudio, laetitiae et luci, quae conjuncta est cum motu, quomodo usurpatur vox Ps. XCIV, 17. cujusmodi *silentium* Idumaeis faceret judicium illud divinum, de quo in hoc vaticinio.." J. D. Michaelis in *Append. ad Bibl. Orient.* P. XIV. p. 37. refert patrem suum margini sui bibliorum exempli adscripsisse haec: „*gentis exscindendae:* Idumaeam autem intelligi, non Dumam Arabiae Ismaeliticae, colligo ex sequenti מִשֵּׂעִיר, quae regio non ab Ismaelitis, sed ab Edomitis possessa est." Kochenaus in *Vindiciis S. Textus Hebraei Esajae vatis* p. 112.: „Titulus דּוּמָה per paronomasiam irrisionemque pro אֱדוֹם, quasi *silentium*, *exitiumve* dixeris (Ps. XCIV, 17. CXV, 17.), frequente apud Esajam aliosque, sed inprimis apud Micham c. I. figura. *Edomum* dici, ex sequente מִשֵּׂעִיר satis intelligi arbi-

arbitror. LXX., quod paronomasia sermone graeco esset peritura, proprio nomine Idumaeam dicere maluerunt. Atque res ipsa monet, titulum a vate esse additum, quod veteri אֱדוֹם, nemo praeter ipsum דוּמָה scripturus fuisse videatur; quemadmodum et inscriptio praecedentis in Babylonios vaticinii symbolica est." Hieronymus: „Est autem Duma non tota Idumaea provincia, sed quaedam ejus regio, quae ad austrum vergit, et ab urbe Palaestinae, quae hodie dicitur Eleutheropolis, viginti distat millibus, juxta quam sunt montes Seir." Videtur haec ab Hieronymo commemorata Duma haud diversa esse ab illa, quae hodie ad Arabiam pertinet, de qua supra Abulfedae verba attulimus. Ceterum pro דּוּמָה in codice de Rossiano 319 (anno 1425. scripto) legitur רומה per Resch. Duo alii codd. Ross. (512. et 554.) sunt dubii. Et fuisse jam Hieronymi aetate codices, in quibus רומה scriptum fuit, ex his ejus verbis patet: „Propter similitudinem literae, et ex eo quod *Res* et *Daleth* non multum inter se discrepent, quidam Hebraeorum pro *Duma Romam* legunt, volentes prophetiam contra regnum Romanum dirigi, frivola persuasione, qua semper in Idumaeae nomine Romanos existimant demonstrari."

---

11. אֵלַי קֹרֵא מִשֵּׂעִיר *Ad me*, prophetam, *clamans est e Seire*, acclamatur mihi e Seire. קֹרֵא esse collective capiendum, de integro choro aliquo Idumaeorum, liquet e responso prophetae vs. 12., *si quaerere vultis, quaerite* etc. Sub *Seir* hic intelligitur *Idumaea*, vulgatissimo in sacris dictionis genere. *Seir* ἐλλειπτικῶς est הַר שֵׂעִיר, *montanum Seir*, sic dictum Deut. I, 2. Ezech. XXXV, 2. Notum est, ita appellatum fuisse tractum illum montanum, qui est ad Austrum Canaanaeae proxime mare Sodomaeorum; montes enim Seir ab illa parte

ter-

terminabant terram Cananaeam, ei ab Auſtro confines. Conf. Relandi *Palaeſtin.* Lib. I. Cap. XII. p. 68. 69. Chaldaeus pro verbis illis hebraeis haec poſuit: עֲלַי אֲבְלִי מִן־שְׁמַיָּא *ad me clamat e coelis.* Videtur interpres, quum non intelligeret, quomodo ex Idumaea exſpectari poſſet ad prophetam edita vox percunctantium, de ſtatu ſuo, collato loco Deut. XXXIII, 2. (*Jova e Sinai venit,* וְזָרַח מִשֵּׂעִיר לָמוֹ *et exortus eſt iis e Seire*), exiſtimaſſe, *coelum*, Jovae domicilium, e quo apparuit populo ſuo, figurate dici h. l. *Seirem.* שֹׁמֵר מַה־מִּלַּיְלָה שֹׁמֵר מַה־מִּלֵּיל *Cuſtos, quid de nocte? cuſtos, quid de nocte?* Interrogatio eſt una, ſed geminata, cujus ſenſus: quid habes, quod de ſtatu noctis explorati nuncies? quantum ejus praeteriit? nihilne hactenus obſerves aurorae, moleſtas noctis tenebras pulſurae? Eodem modo praefixum מ uſurpatur ſupra II, 3. וְיֹרֵנוּ מִדְּרָכָיו, *ut doceat nos de viis ſuis.* Et Ezech. III, 18. *monere* quem מִדַּרְכּוֹ הָרְשָׁעָה *de via impia.* Bene Saadias:

أخبرنا كم مضى من الليل وكم قد بقي منه

nuntia nobis, quantum praeterierit de nocte, et quantum ex ea ſuperſit? Codex Kennicott. 187. et Syrus, ſemel tantummodo exhibent verba שֹׁמֵר מַה־מִּלַּיְלָה et pro מִלֵּיל legitur מַלֵּל, *loquere*, in Cod. Kennicott. 252. et Chaldaeo, qui utrumque hoc vocabulum hoc ſenſu interpretatur: נְבִיָּא פָּרֵישׁ לְהוֹן יַת נְבוּאָתָא נְבִיָּא פָּרֵישׁ לְהוֹן דַּעֲתִיד לְמֵיתֵי *propheta ediſſere iis prophetiam, ediſſere iis quod venturum eſt.* Congruit unus codex Roſſianus, qui primo habebat מילל. Sed elegantiorem prodire ſenſum, ſi מִלֵּיל legitur (et ſupra XV, 1. לֵיל pro לַיְלָה aderat), ut interrogatio repetatur, quisque facile perſpicit. Siſtuntur enim Idumaei hac interrogationis geminatione morae impatientes, cuſtodem oratione urgentes de ſtatu noctis percontati. שֹׁמֵר *Cuſtos* eſt propheta, quemadmodum prophetae ſaepius צֹפִים *ſpeculatores* vocan-

vocantur, veluti infra LVI, 10. Ezech. III, 17. לַיְלָה, *nox*, *tenebrae*; est imago *angustiae*, *calamitatis*, *afflictionis*, e. c. infra XLVII, 7. Joel. II, 2. Amos. V, 18. Arabibus quoque *nox longa* symbolum tristitiae et calamitatis; veluti in illo *Abu-Nomairi*, Saaditae, adducto ab Abulfeda in *Annall. Moslemm.* T. I. p. 216. ed. Adler.

أَلَا قُلْ لِحَيٍّ أُوطِئُوا بِالسَّنَابِكِ

تَطَاوَلَ هٰذَا اللَّيْلُ مِنْ بَعْدِ مَالِكِ

Dicite tribui equorum ungulis conculcatae:
Sublato Maleco nox haec longa nobis fuit.

Hoc nostro loco *nocte* indicatur tempus aliquod calamitatis publicae, qua Idumaei premebantur.

12. Responsum prophetae custodis, אָתָא בֹקֶר וְגַם־לָיְלָה, *venit mane et etiam nox*, merum est aenigma; si enim matutinum tempus jam adesset, utique censeri debebat praeteriisse nox. Sensus tamen minime dubius erit, modo observes, prophetam loqui de *mane* et *nocte*, quae in idem tempus incidunt, respectu diversarum personarum, de quibus loquitur. Quod vidit Chaldaeus, licet sensum horum verborum nimis generatim expresserit hunc in modum: אִית אֲגַר לְצַדִּיקַיָּא וְאִית פּוּרְעָנוּת לְרַשִׁיעַיָּא *est merces justis*, *et est vindicta impiis*. Accuratius et sane feliciter sensum declaravit his verbis Hieronymus: „venit mane populo meo, et nox genti Idumaeorum: illis praebebo lucem, vos in tenebris derelinquam.“ Quod sequutus Vitringa, recte observat, prophetam, in tempus ad finem sese vergentis exsilii Babylonici abreptum, respondere Idumaeis percontantibus de statu et duratione suae calamitatis, quam cum Judaeis communem haberent: adfulgere quidem libera-

tionis

tionis lucem Judaeis, Idumaeorum vero calamitatem esse duraturam post rempublicam Judaicam restitutam, nec futurum esse unquam post hoc tempus, ut ipsi rempublicam pro voto restauratam videant. Simili ratione aenigma hoc propheticum solvit Doederlein: „Propheta," inquit, „in eadem exstasi adhuc constitutus, in qua Babylonis eversionem viderat, videtur sibi audire clamores ex Seire Idumaeorum sciscitantes, num nox calamitatum suarum praeteriisset. Reminiscitur lati a speculatore responsi (supra vs. 6. 7.), ideoque hunc iterum consultum venit, quaenam fortuna post tot atra fata has regiones maneat, praecipue cum aliqua felicitatis aurora, destructo Babyloniorum imperio, praefulgeat. Sed ille aliis quidem gentibus lucem, his autem nullum miseriae solamen praesagit: negatque jam spei tam augustae locum esse, alii aevo reservatae." Idumaeis cladem prorsus exitialem, ex qua numquam resurgere potuerit, inflictam fuisse ab hostibus, patet ex Malachia (I, 1. 2. 3.); qui floruit inter Artaxerxem Longimanum et Alexandrum; nam illius aetate Idumaei suam rempublicam nondum instauraverant. Quum enim illi, una cum Moabitis atque Arabibus obnoxii facti Chaldaeis, eorum partes sustinerent in bello cum Cyro gesto, ab eo, expeditione in illas partes suscepta, subacti, et ut probabile est, durius sunt habiti. Xenophon inter reges socios, qui erant in foedere Babylonii, Arabum regem recenset Maragdum (*Cyrop.* L. II. c. 1. §. 2.), et in primo conflictu Cyri cum Babylonio tum Arabum regem, tum ex Assyriis et Arabibus plures cecidisse narrat (*Cyrop.* L. IV. c. 5. §. 28.), et Babylone jam potitum magnam suscepisse expeditionem (L. VIII. c. 6. §. 10.), *ἐν ᾗ λέγεται καταστρέψασθαι πάντα τὰ ἔθνη, ὅσα Συρίαν εἰσβάντι οἰκεῖ μέχρι ἐρυθρᾶς θαλάσσης*, *in qua subvertisse dicitur omnes illas gentes, quae inter Syriam et mare rubrum locatae sunt.* Inter eos et Idumaeos fuisse, situs locorum non

non in dubium vocare ſinit. Ceterum quam infenſe Idumaei ſeſe erga Judaeos, cognatum ipſis populum, geſſerint tempore everſi a Chaldaeis regni Judaici, et quam inſigni inde ab eo tempore Judaei odio adverſus Idumaeos flagrarint, teſtes ſunt Obadias (vs. 7.), Ezechiel Cap. XXXV., et poeta quidam anonymus Pſ. CXXXVII, 7. Quod noſtro loco habetur oraculum aenigmaticum adverſus Idumaeos illuſtrat Jeremias, qui Thren. IV, 21, 22. ita canit: *Laetare ſuaviter, o puella Idumaea, in terra Uz degens! ad te quoque perveniet poculum, quo tu inebriata nudaberis. Finita eſt tua culpa o puella Zion! non amplius te relegabit: animadvertet in te tuam culpam, o puella Idumaea, patefactis tuis peccatis.* Verborum hujus verſus poſtremorum, אִם־תִּבְעָיוּן בְּעָיוּ שֻׁבוּ אֵתָיוּ ſenſus juxta interpretes pleroſque hic eſt: ſi vobis, Idumaei, animus ſit, quem prae vobis ferre videmini, ex me, aliiſque prophetis ſciſcitari voluntatem Dei; agite rem *ſerio*, non per *ludibrium*, integro animo ad me alioſque Jovae prophetas accedite, ut voluntatem illius et decreta juſtitiae ſuae de vobis cognoſcatis: ſerio vos ad illum *convertite* (שֻׁבוּ), redeuntes ad communionem gentis Abrahamo ſatae, et *venite* (אֵתָיוּ), ſive accedite, ac vos ad illius populi communionem aggregate. Simili modo Hieronymus hunc locum exponit: „Si meum invocatis auxilium, et eſtis de ſtirpe ſervi mei Abraham; nolite me tantum in neceſſitatibus quaerere, ſed toto ad me animo convertamini. Venite, et ſuſcipiam poenitentes." Chaldaeus: אם תיבין אתון תובו עד דאתון יכלין למתב *ſi convertendi eſtis, convertite vos, dum poteſtis converti.* Clericus in *Sentimens de quelques Theologiens de Hollande* Lettre XV. p. 343. (*Briefe einiger holländischen Gottesgelehrten* P. II. p. 76.) exiſtimat, prophetam hoc vaticinio ſe ipſum quaſi ſpeculatorem indicare, Idumaeoſque ſibi timentes, interrogantes, ut ſibi

cave-

caveant, ecquid a praeterita nocte viderit? Reſpondere prophetam; *venit mane, imo etiam nox*, i. e. a matutinis horis ad veſpertinas nihil vidi; *ſi quaeretis, quaerite*, id eſt, ſi vultis ſcire, an adventent hoſtes, ipſi ſpeculemini. Quibus verbis negare prophetam, ſe eorum cauſa ſpeculari velle. Videri innuere, Idumaeos ad ſe veniſſe et quaeſiviſſe, eſſetne, quod ſibi ab hoſtibus ſuis timerent, ſed ſe reſpondiſſe, nihil ſibi a Deo ea de re revelatum. Verbis ultimis, *revertimini et venite*, Clericus hoc indicari putat: redite in montes veſtros, et venite iterum ad me quaeſituri, ſi quid a Deo, de vobis, accepero. Doederlein, quem Dathius ſequitur, hemiſtichium hujus verſus poſterius ſic reddit, *ſi ſciſcitari vultis, licet, ſed alio tempore redeundum eſt*; quaſi vates Idumaeis ſpem remotam temporum feliciorum faciat, dum alio tempore redire jubet. Fortaſſe Henslerus idem intellexit, cum vertit: *wollt ihr fragen, kommt zum Fragen wieder.* Vogelius ad Grotium: *ſciſcitamini, ſi ſciſcitari vultis: quod ſi autem me non intelligitis, revertimini.* Hubigantius: „Poſt verbum בעיו *ſciſcitamini*, reliquimus in verſione tria puncta continenter, ut ſignificetur, vel a contextu abeſſe, vel a propheta reticeri, quid de Idumaea renuntiet ſpeculator; nam mox additur, *revertimini et haec nuntiate*, quamquam non narretur, quid ſit nuntiandum. Diximus, *vel a propheta reticeri.* Nam potuit Jeſajas omittere, de Idumaeorum regni interitu aperte dicere, poſtquam eandem figuram ſermonis adhibuit, quam uſurparat in ruina Babylonis praenuntianda.“ Sunt vero iſtae non tam interpretationes, quam conjecturae. Verbum בָּעָה, inſolentioris uſus apud Hebraeos, quippe Chaldaeis magis uſitatum, notat *quaerere, ſcrutari*, ἐρευνᾷν, *pervestigare diligenter*, quo ſenſu et Obad. vs. 6. legitur. Jam *perſcrutatio* quum hic reſtringenda ſit ad id argumentum, de quo breve hoc vaticinium agit, id

 eſt,

est, ad Idumaeorum fata, *scrutari* hoc loco erit, e prophetis cognoscere quid Deus de Idumaeis statuerit. Sensus itaque hic erit: si quaerere velitis, quid de vobis Deus decreverit, agite hoc, perscrutamini diligenter; *revertimini*, *venite*, i. e. iterum iterumque interrogate, utique deprehendetis certum ratumque statutum fori divini, etiamsi saepius interrogetis, idem semper reportabitis responsum.

CAP. XXI. vs. 11. *Effatum de Dumah. Clamor e Seire ad aures meas pertingit: „speculator, quid de nocte? — quid de nocte?“ —*

12. *Respondet vigil: „venit mane atque etiam nox: si sciscitari vultis, sciscitamini; revertimini; venite!“*

CARMEN SEPTIMUM DECIMUM.

Cap. XXI. vs. 13—17.

ARGUMENTUM.

Sententiam ſimplicem, „fore ut Arabes brevi ab hoſte quodam extero infeſtentur et debellentur," ita declarat, ut Dedanitas per Arabiam iter facientes ſiſtat; ſed dum in via conſueta pergunt, belli metu turbantur, ideoque in locis latentibus et inviis pernoctari jubentur (vs. 13). Hinc ipſos inducit Arabes, acri perſecutione preſſos, vagos per deſertum ſparſosque, ac ſitibundos, interiora deſerti petentes, et ibidem quaerentes latibulum (vs. 14. 15.). Protinus ſine imaginum ornamentis ſimpliciter praedicit, fore ut brevi ab hoſte aliquo ſtrage inſigni imminuantur et affligantur (vs. 16. 17.).

Hoc vaticinium haud dubie ad idem illud tempus eſt referendum, quo oraculum in Arabes, quod Jerem. XLIX, 28. ſeqq. legimus, eſt editum, id vero eſt, ad id tempus, quo Nebucadnezar Nebuſaradanem cum parte copiarum ablegavit ad Ammonitas, Moabitas, Philiſthaeos, Idumaeos, Arabes, aliosque circumiacentes populos, qui ab eo defecerant, et Zedekiam in ſocietatem traxerant, debellandos: conf. *Narrationem rerum Judaicarr. etc. ex* Frankii *Chronol. S.*, Volumini primo praefixam, p. XLI.

Inſcriptio carminis.

Suſpecta eſt Lowthio inſcriptio מַשָּׂא בַּעְרָב, quod in codicibus graecis rariſſime legatur, neque in tali loquutione מַשָּׂא per ב conſtructum reperiatur; quare ex proxime ſequenti בַּעְרָב confictam illam videri, ceterum neque iſtud בַּעְרָב poſterius pro nomine proprio Graecum Alexandrinum interpretem Chaldaeumque (adde Vulgatum, Syrum, Arabem) habere, ſed ut appellativum per *veſperam* reddere. Verum enimvero verba tamen cum praecedentibus non cohaerere, nec titulo plerumque in talibus addi ſolito facile carere videntur: ſed et apud eosdem illos veteres, ipſumque adeo Graecam Alexandrinam verſionem fideliter reddentem Arabem interpretem, perinde ac apud Aquilam, Symmachum et Theodotionem, inſcriptum *Arabiae* nomen legitur. Praeterea notum eſt, עֲרָב Arabiam dici, et quae brevi hoc carmine leguntur, דְּדָן, תֵּימָא et קֵדָר Arabicarum, ut origine ex Abraamo, ita ſedibus conjunctiorum tribuum non obſcura nomina eſſe conſtat; vid. Genes. XXV, 3. 13. 15. Jerem. XXV, 23. XLIX, 8. Job. VI, 19. Ceterum vocem מַשָּׂא, cum *effatum*, *prophetiam* notat, conſtructionem per particulam ב, objectum denotantem, non reſpuere, evincit locus Zachar. IX, 1. מַשָּׂא דְבַר־יְהוָה בְּאֶרֶץ חַדְרָךְ *effatum verbi Jovae in ſ. contra terram Chadrach.* Videtur autem is, qui praefixit titulum huic de Arabia vaticinio, ſive vates ipſe fuerit, ſive is, qui hanc vaticiniorum ſyllogen collegit, maluiſſe ſcribere בַּעְרָב quam עֲרָב ſive עַל עֲרָב, ut alluderet ad exordium prophetiae, בַּיַּעַר בַּעְרַב, atque adeo partem argumenti prophetiae ipſo involveret titulo. Hieronymus: „Quaerenti mihi et diu cum deliberatione tractanti, quae eſſet Arabia, ad quam propheticus ſermo dirigitur, utrum Moabitae, an Ammonitae et Idumaei, cunctaeque aliae regiones, quae nunc Arabia nuncupantur,

tur, occasionem tribuit in hac eadem visione quod sequitur [vs. 16. 17.]: *Auferetur omnis gloria Cedar, et reliquiae numeri sagittariorum fortium de filiis Cedar imminuentur*, Ismaelitas debere intelligi. Liber Geneseos [XXV, 13.] docet, ex Ismaele Cedar et Agarenos, qui perverso nomine Saraceni vocantur, esse genitos. Hi per totam habitant solitudinem; de quibus puto et Poetam [*Aeneid.* IV, 43.] dicere: *Lateque vagantes Barcaei*, et supradictum volumen [Genes. XVI, 12.], *contra faciem omnium fratrum suorum habitabit*, eo quod latissima eremus ab India ab Mauritaniam usque tendatur, et Atlanticum oceanum, quod puto Jeremiae [XLIX, 28.] titulum sonare: *ad Cedar et ad regna Asor, quae percussit Nebuchodonosor, rex Babylonis.*"

---

13. בַּיַּעַר בַּעְרַב תָּלִינוּ אֹרְחוֹת דְּדָנִים *In saltu in Arabia pernoctabitis vos, catervae viatorum Dedanitarum.* Ita sonant verba prouti nunc in codicibus Hebraeis, quotquot novimus, tantum non omnibus leguntur. Sed interpretes veteres in illis interpretandis plane in diversa abeunt, Graeci Alexandrini verba in codice Romano ita leguntur: ἐν τῷ δρυμῷ ἑσπέρας κοιμηθῇς, ἢ ἐν τῇ ὁδῷ Δαιδάν, *in saltu vespere dormias, aut in via Dedan.* Sed Cyrillus, cui Marchali codex favet: ἐν τῷ δρυμῷ ἑσπέρας κοιμηθήσῃ, ἐν τῇ ὁδῷ Δαιδάν. Recte sane abesse ἢ videtur, quod nec Hieronymus expressit, qui verba Graeca sic reddit: *in saltu ad vesperam dormietis in via Dedan.* Arabicus in Polyglottis interpres Graeca hoc modo expressit: وَعِنْدِي أَسْكُنْ فِي ٱلْغَابِ تَضْطَجِعُ مَسَاءً فِي طَرِيقِ دَادَانَ *et habita apud me in sylva, cubabis vespere in via Dadan.* Versus duodecimi verba

 post-

postrema, שְׁבוּ אֲחָיו, quae Graecus interpres *καὶ παρ' ἐμοὶ οἴκει* vertit, Arabicus ad hunc versum traxit, etsi titulum, qui in paucissimis Graecis codicibus exstat, praemiserit, اَلنُّبُوَّةُ فِي اَلْعَرَبِ وَبَنِي قِيدَارَ *prophetia in Arabes et filios Cedar.* Syrus: ܒܚܘܪܫܐ ܒܪܡܫܐ ܬܒܘܬܘܢ ܒܐܘܪܚܐ ܕܕܪܘܢܝܡ *vespere in sylva pernoctabitis in via Derunim.* Chaldaeus: בְּחוּרְשָׁא בְּרַמְשָׁא יְבִיתוּן שַׁיְרַת בְּנֵי דְדָן *in sylva vespere pernoctabunt catervae (peregrinantium) filiorum Dedan.* Saadiae verba a S. V. Paulo ita exhibentur: أَحْسَنَ أَنْ يَكُونَ فِي اَلشَّعْرَآءِ تُبِيتُونَ ايضا فَكُمْ يَا بَنِي ددن, quae sanum sensum haud admittunt, nec dubium quin in mendo cubet locus. Paulus in Emendationibus ad calcem Fasciculi II. conjicit, pro ايضا فكم sive, ut in codice hebraicis literis scripto, exstat, איצא פכם, legendum esse أوضافكم a radice وضف *properavit;* respondere enim nomini ארחות in textu hebraico. Nos quidem non dubitemus, Arabica sic esse legenda et interpretanda: أَحْسَنَ أَنْ يَكُونَ فِي اَلشَّعْرَآءِ تُبِيتُونَ أَضْيَافَكُمْ يَا بَنِي ددن *gratius ut sit, inter arbores pernoctare faciatis hospites vestros, o Dedanitae!* Hebraicum אֹרְחוֹת Saadias recte cepit pro catervis viatorum ad Dedanitas divertentium et in eorum hospitio commorantium; בַּעְרָב vero adverbialiter intellexit, *grate, suaviter,* quum et verbum עָרֵב haud raro *gratum, suave esse* significare constet, et adjectivum עָרֵב de rebus gratis legatur Proverb. XX, 17. Cant. II, 14. Sed interpretes ceteri omnes ita verterunt, ac si vel בָּעֶרֶב legissent, vel certe בַּעְרָב significatu ab eo haud diver-

diversum putassent. Ita Hieronymus: „Verbum *Arab* et *vesper*, et *Arabia*, et *corvus*, et *planities* et *Occidens* appellatur." Hinc interpretem Graecum sequutus hunc locum sic vertit: *in saltu ad vesperam dormietis, in semitis Dodanim.* Quae ita exponit: „Praedicitur nunc Judaeis, qui obsidionem Babyloniam effugere potuerint, et de totius provinciae vastitate ad eremum transire vicinam, quod habitaturi sint in solitudine Arabiae in itinere quod ducit ad fratres." Quod בערב *vespere* reddatur commendat quidem illud, quod תָּלִינוּ *pernoctabitis* proxime sequitur, ut Ps. XXX, 6. בָּעֶרֶב יָלִין בֶּבִי *vesperi pernoctat fletus.* Est quoque penes de Rossium codex, numero 4. ab ipso signatus, seculo XV. exeunte scriptus, in quo בָּעֶרֶב legitur, et alius quidam, numero 304. ab eo notatus, hispanicus accuratissime exaratus anno 1278. nostrae aerae, in quo בָּעֶרֶב a manu secunda exstat. Sed difficilius et minus commodum, primo saltem adspectu, בַּעְרָב, quod hodie in codicibus ceteris omnibus legitur, nonnisi antiquissimorum et correctissimorum codicum fide receptum credibile est. בַּיַּעַר בַּעְרָב autem nil habet, quod ab hebraico loquendi more abhorreat; nam eodem plane modo infra XXVIII, 21. dicitur כְּעֵמֶק בְּגִבְעוֹן *sicut in valle in Gibeon*, pro כְּעֵמֶק גִּבְעוֹן *sicut in valle Gibeonis.* Et Amos. III, 9. *Divulgate* עַל אַרְמְנוֹת בְּאַשְׁדּוֹד *per palatia in Aschdod*, pro עַל־אַרְמְנוֹת אַשְׁדּוֹד *per palatia Aschdodi.* Cf. not. supra IX, 2. ad verba כְּשִׂמְחַת בַּקָּצִיר. Sed est alia difficultas in his verbis: quum enim vasta illa Arabiae Petraeae et Desertae solitudo habeat quidem *dumeta, senticeta, rubos,* careat vero prorsus *sylvis* et *saltibus,* haud facile est intellectu, quomodo *sylvae Arabiae* mentionem facere hic possit. Clericus cogitat de sylvis palmarum, quae jucundissimae sint, praesertim ubi copia est aquae, quemadmodum apud hosce Arabas fuisse, quae vs. 14. sequuntur, ostendant. Nos tamen mallemus

יַעַר h. l. sensu latiori sumi de *vepretis*, *asperis*, *incultis* et *inaccessis* locis, quo hostis non penetrat, quae forsan propria illius nominis significatio fuerit, collato arabico وعر *difficilis*, *salebrosus locus*. Cf. J. D. Michaelis *Supplemm.* p. 1131. ארחות hic non sunt *viae*, sed *catervae simul peregrinantium*, συνοδίαι (Luc. II, 44.), quales nos vocabulo arabico قروان *Carwanas* vocamus, quo significatu vox nostra legitur et Genes. XXXVII, 25. et occurrit etiam Job. VI, 19. Solebant enim jam antiquissimis temporibus, ut hodie solent, qui negotiationi studebant, ire cum comitatu, ne a praedonibus occuparentur et spoliarentur. דְּדָנִים *Dedanitae*, Abrahami ex Ketura posteri, Genes. XXV, 3. mercatores, pecudum et camelorum inprimis magnos greges habebant, Cap. LX, 7. cum Tyriis quoque commercia exercentes. Ezech. XXVII, 21. conf. Michaelis *Spicileg. Geogr. Hebr. Ext.* T. I. pag. 201 — 208. Hi Dedanitae, sinui Persico haud dubie adiacentes (nam دادن hodienum nomen est insulae in sinu Persico ab Arabibus Catarensibus habitatae, Syris dictae ܕܝܪܝܢ *Dirin*, vid. Büschingii *Geograph. Asiae* pag. 561. 562. edit. tert.) a vate nostro per Arabiam petraeam ac Palaestinam Tyrum petentes inferuntur. Hieronymus *Dodanim* (ita enim דודנים legit) *propinquos* et *cognatos* verti posse dicit. In quo sequutus haud dubie est magistrum suum Hebraeum, neque tamen quo spectet illa nominis hebraici interpretatio addidit. Id vero discimus a Jarchio, qui tam ad h. l. quam ad Genes. XXI, 17. notat, דְּדָנִים hic significare בְּנֵי דוֹדְכֶם *patrueles vestros*, fuisse enim Arabes ex Ismaele Hebraeis cognatos. Cum autem Hebraei a Chaldaeis captivi abducebantur, obsecrasse illos victores, ut se per ditionem Arabum, populi ipsis cognati, ducerent, qui forsitan misericordia tacti necessaria

saria ipsis in itinere suppeditarent. Merum hoc commentum esse nemo non videt. Plures interpretes, Hieronymum sequuti (cujus verba supra p. attulimus), hoc versu sermonem ad Judaeos excidium Hierosolymorum effugientes converti, quibus propheta praedicat, fore, ut quotquot eorum effugerent calamitatem Chaldaicam et salvi evaderent, cogerentur se recipere in deserta Arabum, et ibi pernoctare; quibus proinde Judaeis profugis propheta ab Arabibus, ad quos mox vertit orationem, offerri velit ad victum necessaria. Quae explicatio tamen prorsus abhorret a scopo hujus oraculi, qui est, Arabibus tristia nunciare, non Judaeis (vid. vs. 16, 17.). Recte Kimchi observat, orationem converti ad Dedanitarum negotiatorum catervas, iter per Arabiam facientes: אמר עתה בחרבן ערב תלינו ביער כי לא תמצא אהָלים לנוּן שם כִּי חרבו אהלי קדר *Hoc dixit: nunc in deserto Arabiae pernoctabitis in sylva, quia non invenietis tentoria, in quibus pernoctare possitis, quippe vastatis Kedarenorum tentoriis.* Sed quum moris sit, ut qui iter faciunt per Arabiam sua ipsi secum portent tentoria, hoc potius vates velle videtur, fore, ut Dedanitae, qui adhuc secure solebant Arabiam permeare, metu hostium cogantur recedere in interiores Arabiae secessus, relictis tentoriis et utensilibus suis, et in locis inhospitis pernoctare. Quocum convenit Jeremias XLIX, 8. in vaticinio parallelo: נֻסוּ הָפְנוּ הֶעְמִיקוּ לָשֶׁבֶת יֹשְׁבֵי דְּדָן, *fugite, vertite vos retrorsum, profundas facite mansiones, Dedanitae.* Eadem phrasis repetitur ibid. vs. 30. de Arabibus Petrae incolis, ubi plura adduntur de tentoriis, camelis et utensilibus Cedarenorum diripiendis, quibuscum comparari possunt haec verba Diodori, Arabum horum morem describentis L. XIX. p. 722.: Καὶ ὅταν πολεμίων δύναμις ἁδρὰ προσίῃ, φεύγουσιν εἰς τὴν ἔρημον, ταύτῃ χρώμενοι ὀχυρώματι· *et quando validae hostium copiae accedunt, in solitudinem, quae*

 pro-

propugnaculi uſum iis praeſtat fuga ſe ſubducunt. Idem, hic eſt ἔρημοι, quod vati noſtri יַעַר *ſaltus*, i. e. interiores deſerti receſſus, in quibus incommodum et moleſtum ſit morari.

14. לִקְרַאת צָמֵא הֵתָיוּ מָיִם *Obviam ſitienti apportant aquam.* Videt poeta Arabes Dedanitas, ingenti metu correptos, absque impedimentis fugientes cauſſa Chaldaeorum, ſtrictis gladiis eos perſequentium. Quibus ſitibundis et famelicis obviam eunt incolae terrae *Themae*, cognati eorum, ad eos refocillandos. הֵתָיוּ plurimis eſt Imperativus, pro הֵתָיוּ idque pro אֱתָיוּ; verum is הַאֲתָיוּ eſſe deberet. Eſt potius Praeteritum Hiphil *adducunt*, verbi אָתָה, venit contracte ſcriptum pro הֶאֱתָיוּ (Segol et praecedente Chateph contractis in Zere tum Aleph abjecto), ſicuti Jerem. XII. 9. הֵתָה exſtat pro הֶאֱתָה, vid. SCHROEDERI *Inſtitt*, reg. LXXVI. d. p. 76. Ad verba יֹשְׁבֵי אֶרֶץ תֵּימָא haec KOCHERUS *Vindicc.* p. 115.: „V. Lowthus appellative: *vos, terrae auſtralis incolae*, nam Alexandrinos Θαιμάν, Vulgatum *auſtri* habere, itaque תֵּימָן legiſſe (quod ipſum exprimunt etiam Syrus et Chaldaeus), quod recte ſe habere videatur. Eſt operae pretium, rem accuratius, collatisque locis cognoſcere. תֵּימָא Ismaelis filius nonus Geneſ. XXV, 15., ita Chaldaei duo, Samarita uterque, Syrus, Vulgatus et Arabs; at LXX. ſoli, nulla licet erroris confuſionisque anſa appareat, Θαιμάν exhibent, tanquam ſi תֵּימָן legerint. Tum Jerem. XXV, 23. perinde atque hic apud Eſajam noſtrum דְּדָן et תֵּימָא junguntur, LXX. utrobique ſuum Θαιμάν repetentibus; quod de Graeco Arabs ثامان exprimit. Chaldaeus, Vulgatus, et Syrus non uno modo, illic ut proprium nomen, hic apud Eſajam appellative reddunt. Adde Jobi VI, 19. אָרְחוֹת תֵּמָא, *catervae Themaeae;* ſic Chaldaeus et Vulgatus, at LXX. Θαιμανῶν, aliusque Graecus Θαιμάν,

Syrus

Syrus cum suo hic Arabe appellative. Est diversum תֵּימָן ab יָמַן, appellativo usu, *auster;* proprio est locus in Idumaea ab Eliphasi filio Themano Genes. XXXVI, 11. qui Graecis Θαιμὰν, alia lectione Θεμὰν, Syro ܬܝܡܢ, alibi ܬܐܡܢ dicitur. En locos, Amosi I, 12. Obad. I, 9. Jerem. XLIX, 7. 20. Ezech. XXV, 13., ubi LXX. suum Θαιμὰν, ceteri propriam significationem servant, nisi quod Arabs appellative semel, Vulgatus bis, Chaldaeus ubique transtulit. Ex his ego colligo: primum quidem, Θαιμὰν apud LXX. hodie utrique proprio nomini תֵּימָא et תֵּימָן peraeque respondere, vel in ipsa Genesi Cap. XXV, 15. ubi de terminatione nominis hebraici in א satis constat; sive scientes eodem nomine diversas gentes appellaverint, sive per imprudentiam eas confuderint; itaque non bene LXX. a Lowtho in suam sententiam citari. Dein Arabem non ex vero, nec ex antiquarum gentis originum notitia, sed de graeco nomen expressisse; nisi quod diversus eadem arabica lingua Pentateuchi interpres sapuit, prudenterque inter תֵּימָא et תֵּימָן distinxit; excepto Jobi VI, de quo superius. Praeterea Syrum in תֵּימָן proprium nomen agnoscere, at תֵּימָא exceptis Genes. XXV. et Jerem. XXV., pro appellativo putare, atque Chaldaeum in תֵּימָא eundem semel errorem, in תֵּימָן solemniter errare; Vulgatum denique et rarius et excusatius peccare. Igitur ad nostrum Esajae תֵּימָא ut revertar, lectionem, autoritate codicum, locisque Jerem. XXV, 23. Jobique VI, 19. satis confirmatam, temere sollicitatam esse arbitror." Quod mihi etiam videtur, qui lectionem masorethicam eo magis retinendam censeam, quod تَيْمَا, *Taima*, nomen loci in Arabia deserta est circa hanc ipsam regionem, quae vaticinii nostri scena est, vid. ABULFEDAE *Syriae Descript.* p. 14. not. 65. ed. Koehler, et Ejusdem *Arabiae Descript.* ed. Gagnier, p. 33. 34. Verba בְּלַחְמוֹ קִדְּמוּ נֹדֵד inter-

interpretes plerique ita reddunt: *pane suo antevertite profugum*, quasi קִדְּמוּ anomale scriptum sit pro קַדְּמוּ; et Doederlein atque Henslerus ita rescribendum putant, nixi etiam autoritate Alexandrini interpretis, Vulgati et Syri; לַחְמוֹ autem, *panem ejus*, scil. fugientis, interpretantur demensum illud cibi, quod ad illum nutriendum requiritur. Sed quum קִדְּמוּ manifeste sit Praeteritum, verba potius ita sunt reddenda: *occurrunt* (scil. Themaitae) *fugientibus pane suo*, quod Chaldaeus sic expressit: לַחְמָא דְאַתּוּן אָכְלִין זַמִּינוּ לִמְעַרְקַיָּא *panem quem vos comeditis, praeparate fugientibus.* קִדֵּם hic est *occurrere*, ut Deut. XXIII, 5. in eadem phrasi. Hieronymus, et plures eum sequuti interpretes, haec intelligunt de Judaeis, post expugnatam a Chaldaeis urbem Hierosolymitanam fugientibus in vicinas solitudines Arabiae; prophetam vero exhortari incolas terrae Themae, ut Judaeis istis profugis atque misere vagantibus officia exhibeant humanitatis. Cui sententiae aperte adversantur versus 16. 17., quibus Cedarenis, i. e. Arabibus diserte mala denunciantur. Neque hoc agit vates, ut exhortetur Themaeos ad officium humanitatis et miserationis erga contribules; verum ut depingat gravitatem calamitatis Arabum, quae tanta esset, ut ipsi sedibus suis expulsi, rebus omnibus ad victum necessariis spoliati, per vastam solitudinem siti ac fame confecti oberrarent, ut a contribulibus praeveniendi sint necessariis vitae subsidiis, si ab extremo servandi essent exitio.

15. Observa gradationem in hoc versu, quae non sine emphasi est. Cum enim prius solummodo dixisset, *fugisse illos propter gladios*, כִּי מִפְּנֵי חֲרָבוֹת נָדָדוּ, ac si minus dixisset, quam res erat; addit, מִפְּנֵי חֶרֶב נְטוּשָׁה, *propter gladium vibratum*, seu potius *emissum* et effrenem, נָטַשׁ enim quum *missum facere* significet, indicatur gladius non tantum vagina eductus et vibratus,

verum

verum et ſibi veluti ſumma cum libertate permiſſus, qui late per terram graſſetur. Sed ne quis cogitet, ſolos gladios eſſe, qui miſeros hos terreant et in fugam concitent, docet adeſſe etiam *arcus*, qui fugientes *eminus* feriant, verbis: וּמִפְּנֵי קֶשֶׁת דְּרוּכָה *et propter arcum calcatum*, i. e. tenſum; vid. not. ſupra ad V, 28. וּמִפְּנֵי כֹּבֶד מִלְחָמָה *Et propter gravitatem belli*, cf. 1 Sam. XXXI, 3. וַתִּכְבַּד הַמִּלְחָמָה *ingraveſcebat bellum*.

16. Adhuc figurate loquutus fuerat propheta, nunc vertit orationem in propriam, ſimulque brevi haec eventura eſſe denuntiat. בְּעוֹד שָׁנָה כִּשְׁנֵי שָׂכִיר *Intra annum inſtar annorum mercenarii*. Eundem tempus definiendi modum legimus ſupra XVI, 14. Non proprie ſed de *tempore indefinito brevi elapſuro*, accipienda videtur haec phraſis, quod jam vidit Hieronymus: *quomodo enim*, inquit, *velox mercenarii annus eſt*, *et omnem laborem brevem putat*, *dum ad deſideratam mercedem perveniat: ſic univerſa gloria filiorum Kedar auferetur etc.* De aliis tempus definiendi modis, vatibus Hebraeis uſitatis (*allgemeine prophetiſche Zeitmaaſse* vernacule dixerim) vid. ſupra XX, 3. Pro כִּשְׁנֵי codex unus de Roſſi primo habet כִּשְׁנַת, in ſingulari, quem etiam exprimunt Alexandrinus et Vulgatus. וְכָלָה כָּל־כְּבוֹד קֵדָר *Et abſumta erit omnis gloria Cedarenorum*. קֵדָר (de quo vid. ad Geneſ. XXV, 13. et Ezech. XXVII, 21.) ponitur pro *Iſmaelitis* ſive Arabibus univerſis. כָּבוֹד eſt quicquid *eximii* habent Arabes: opes, divitiae, greges, tentoria, et praecipue viri ſtrenui, natalibus et auctoritate eminentes, vid. ſupra Cap. VIII, 7. X, 3. 16. Hoſ. IX, 11.

17. וּשְׁאָר מִסְפַּר־קֶשֶׁת גִּבּוֹרֵי בְנֵי־קֵדָר יִמְעָטוּ *Et reliquum numeri arcus* ſ. *arcuum fortium Cedarenorum* quod attinet *imminuentur*, i. e. reliqui viri ſtrenui Cedarenorum, qui arcus bene tractandi peritia excellebant, in

in proeliis cadent, ut pauci eorum superstites maneant. Quum Hieronymus verba קֶשֶׁת גִּבּוֹרֵי reddiderit *sagittariorum fortium*, Lowthus illum transpositis vocibus legisse conjicit גִּבּוֹרֵי קֶשֶׁת, et ita esse legendum, Hubigantius quoque censet. At in eandem sententiam nonnulli recentiorum, quos eodem atque nos ordine verba legisse liquet, interpretati sunt, *arcum* per metonymiam, aeque ac Vulgatus sive Hieronymus, atque Syrus, *sagittarium* dici rati. Michaelis, quem sequitur Henslerus, pro קֶשֶׁת legere mallet קַשָּׁת, *sagittarius*, Genes. XXI, 20. Verum Michaelis ipse fatetur in nott. ad vers. germ., adeo necessariam hanc mutationem non esse, posse enim *arcum* poetice pro *sagittario* positum esse.

CAP. XXI. 13. *Effatum in Arabiam. In saltu Arabiae pernoctetis, synodiae Dedanitarum!*

14. *Sitienti obviam apportant aquam incolae terrae Themae, occurrunt pane suo profugis.*

15. *Nam vagantur, ut fugiant gladios, gladios emissos, arcus tensos, et grave proelium! — —*

16. *Sic mihi fatus est Dominus: intra annum, qualis est annus mercenarii, peribit omnis gloria Cedarenorum.*

17. *Quod supererit e numero sagittariorum fortium e filiis Cedar, ad paucos redigetur. Sic fatus est Jova, Deus Israelitarum.*

CAP.

CARMEN OCTAVUM DECIMUM.

CAP. XXII. vs. 1—14.

ARGUMENTUM.

Adventat hoſtis ad obſidendam urbem (vs. 1.). Praeſagit vates perturbationes et miſeriam multifariam qua urbes obſeſſae ſolent premi, exprimitque angorem et pavorem quo ipſe calamitate hac corripitur (vs. 2—8). Rex cum praefectis militaribus quaecunque ad defenſionem neceſſaria ſunt, ſummo ſtudio ordinat (vs. 9—11.); populus autem, his rebus fretus, gulae atque luxui incurius indulget, quo Jova valde offenditur, tum quia ſuis ſe viribus defendere conantur, tum quia eo ipſo tempore quo poena irrogatur, dolorem de peccatis ſuis patriaeque periculis epulis mitigant (vs. 12. 13. 14.).

Patet ex dictis, priorem capitis noſtri partem ex noſtra ſententia ſejungendam eſſe a reliqua illius parte, ut carmen ſingulare efficientem. Praeiverunt *Hezelius* et *Henslerus*. Qui vero interpretes hoc capite unum tantummodo carmen comprehendi putant, ii poſteriorem capitis partem, quae agit de lapſu Sebnae, magiſtri palatii, ita cohaerere dicunt cum parte priore, ut vates doceat, hominem iſtum, inter malos aulae proceres illius temporis, adverſus quos in ſuperiore ſectione declamaverat, primatium facile et inſignem fuiſſe, qui primam

rei-

reipublicae et palatii dignitatem post regem obtinens, familiam duxerit, et plures corruperit, pessimae turbae se ducem praestans et auctorem. Sed cum absque ratione firma, certeque probante sumatur, Sebnae lapsum conjunctum fuisse cum obsidione urbis, vs. 1 — 14. descripta, et vs. 14. apta carminis clausula sit, duo diversa carmina hoc caput continere persuasum mihi est.

De tempore, ad quod hoc carmen sit referendum, dissentiunt interpretes. Alii ultimam urbis destructionem a Nebucadnezare illatam describi arbitrantur. Alii contendunt, prophetam loqui de oppugnatione urbis, a Senacheribo tentata. Equidem cum *Dathio* horum sententiae accedo, quoniam vs. 8 — 11. describitur apparatus ad urbis defensionem instructus, qui est idem ille, quem Hiskiam legimus 2 Chron. XXXII, 2. seqq. esse molitum. Non dubitamus, effudisse vatem hoc carmen eo ipso tempore, quo Senacheribi exercitus contra urbem adventavit, quum animus ejus angore et pavore ob strepitum et apparatum ad defendendam urbem perculsus esset. Quae et Eichhornii est sententia, *die hebräischen Propheten* p. 286. seqq. Objecerunt quidem nonnulli, obstare versus septem priores, in quibus mala graviora depinguntur, quam illa erant, quibus Hierosolyma oppressa erant a Senacheribo, qui obsidionem mox mittere cogebatur. Et movit hoc Vitringam, ut *geminam* in hoc vaticinio Hierosolymorum calamitatem describi putet, *posteriorem*, eamque gravissimam, per Babylonios, vs. 1 — 5., *priorem*, tanquam posterioris praenunciam, in Judaeam adductam per Assyrios, vs. 6 — 14. Placuit idem Vogelio (in nott. ad Grotium); qui descriptionem prioris calamitatis ideo subjectam existimat a poeta, ut is popularibus caussam miseriae per Nebucadnezarem inductae, notam faceret, quae haec fuerit, quod auxilium humanum, apud exteros ab iis

quae-

quaesitum, divino auxilio praetulissent; ut igitur exhiberet imaginem auxilii humani visibilis, in oppositionem auxilii divini invisibilis, adjunxisse poetam descriptionem operum Hiskiae, quae ad muniendam Hierosolymam ante Senacheribi adventum peregisset, ut ostenderet, haec Hiskiae facta non nisi conatus humanos fuisse. Quae quidem expositio arguta magis, quam facilis et vera videtur. Hieronymus: „Referebat mihi Hebraeus [qui scilicet Hieronymum in lingua Hebraica erudiebat], praesentem visionem non pertinere ad illud tempus, quo Nabuchodonosor Jerusalem cepit, et Sedechiam vinctum oculisque privatum duxit in Babylonem, sed ad Senacherib tempora, quando Sobna Pontifex magnam partem prodidit civitatis, et tantum Sion, id est, arx et templum, ac nobiles remanserunt, in exemplum Romanae urbis, quae irruentibus Gallis patricios et florem juventutis in arce servavit."

Inscriptio carminis.

Inscriptionem מַשָּׂא גֵּיא חִזָּיוֹן desumtam esse patet e vs. 5., ubi Hierosolymorum urbs hoc nomine insignitur; quare infra demum, ubi ad vs. 5. devenerimus, de hujus appellationis ratione dicendum erit. Alexandrini vertunt haec verba: τὸ ῥῆμα τῆς Φάραγγος Σιών, perinde ut vs. 5., unde colligas, illos pro גֵּיא חִזָּיוֹן vel legisse גֵּיא צִיּוֹן, aut a dictante excepisse גֵּיא הַצִּיּוֹן. Koppius putat, illos ex conjectura ita legisse. Pro גֵּיא codex unus Kennicotti גַּי habet, ut legitur vs. 5. Referendus et huc haud dubie unus de Rossii codex, qui גֵּוי exhibet: invenit fortasse is, qui illum codicem scripsit, in suo exemplo, quod descripsit, גַּי, sed cum ex incuria aut negligentia otiosum ו insereret, גוי exstitit.

---

1. In medias rapit res Noster lectorem. Sistit commotionem et perturbationem civium Hierosolymitanorum ad famam appropinquantis exercitus hostilis. מַה־לָּךְ אֵפוֹא כִּי־עָלִית כֻּלָּךְ לַגַּגּוֹת *Quid tibi tandem, quod ascendisti universa in tecta?* Pro אֵפוֹא legitur פֹּה, *hic*, in cod. uno Rossiano a prima manu, et, ut videtur, in alio quodam. Legit fortasse quoque ita Chaldaeus, habet enim כְּדֵין. Nostro loco particula illa commode potest reddi *tandem: quid tibi tandem, ut etc.* quam vim aliis etiam locis obtinet. vid. Coccejum in Lex. sub פֹּה. *Tecta conscendebant* incolae Hierosolymorum, partim ut inde prospectarent exercitum hostilem, ejusque motum, partim ut securitati et incolumitati suae consulerent, aut vero etiam se ex iis, si copia daretur, defenderent. Moris fuisse apud Orientales, quorum plana et cancellis munita sunt tecta (vid. Deut. XXII, 8. 2 Sam. XI, 2.), tempore irruptionis hostilis in ea securitatis et defensionis caussa ascendere, apparet ex 2 Macc. V, 12. ubi de Antiocho, inopinato invadente Hierosolyma, dicitur: καὶ ἐκέλευσε τοῖς στρατιώταις κόπτειν ἀφειδῶς τοὺς ἐμπίπτοντας, καὶ τοὺς εἰς τὰς οἰκίας ἀναβαίνοντας κατασφάζειν. *Jussit milites obvios quosque impune caedere, et qui domos conscenderant, interficere.*

2. תְּשֻׁאוֹת מְלֵאָה *O tumultuationibus plena urbs!* Vocem תְּשֻׁאוֹת Kimchius recte exponit קול המון מרוב האדם אשר בתוכה העיר, *vox sive strepitus, multitudinis urbis, caussa magnae frequentiae hominum, quae in ea est;* et eadem significatione vox nostra occurrit apud Zachariam IV, 7. Eodem redit עִיר הוֹמִיָּה, *urbs tumultuosa*, 1 Regg. I, 41. Prov. I, 21., et קִרְיָה עַלִּיזָה, *urbs exultabunda, hilaris, laeta*, conf. Zephan. II, 15. de Ninive, זֹאת הָעִיר הָעַלִּיזָה הַיּוֹשֶׁבֶת לָבֶטַח, *haec est urbs illa exultabunda, sedens secure.* Apte poeta hoc et reliquis epithetis utitur ad describendam urbem, quae re-

ferta, incolis et peregrinis, florente ejus statu in magno est motu, et ad quam Sacrorum et aulae caussa magnus concursus est incolarum regionum circumjacientium; quaeque dissonis vocibus, clamoribus, cantu, saltu ut fit in magnis et florentibus urbibus, perstrepit. חֲלָלַיִךְ לֹא חַלְלֵי־חֶרֶב וְלֹא מֵתֵי מִלְחָמָה *Confossi*, s. exanimati *tui non sunt confossi gladio, nec mortui bello*, sed, durante urbis obsidione, cibariorum et commeatus penuria, fame enecti. Sic Jeremias Thren. IV, 9. *melior*, inquit, *fuit sors* חַלְלֵי חֶרֶב *confessorum gladio*, מֵחַלְלֵי רָעָב *quam confossorum fame.* Hieronymus ex sententia Hebraeorum (supra ad finem Argumenti allata): „Si ad Senacherib tempora referas, quando ex parte capta est civitas, recte dicuntur non fuisse victi gladio, nec occisi in bello, sed proditione, aliis ex urbe fugientibus, aliis, quos hostis oppressit, vinculis alligatis" Haud multo aliter Doederlein: „In gente bellicosa nihil magis honorificum habetur, quam pro patria mori, et proelio confici, nec facile mater condoluit fato filii, qui in pugna obiit. Sed non ea felicitate fruuntur Judaei, verum aut in fuga pereunt, aut captivi (quod longe videtur funestius) abducuntur, vs. 3." J. A. Tingstadius in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* p. 64. חֲלָלַיִךְ h. l. *milites tui* vertendum censet. „Quum enim, inquit, „e sequenti versu 3. pateat, et duces, et alios quoscunque in Judaea repertos viros aut captivos ab hoste abductos, aut in fugam conjectos fuisse; dubium non est, quin propheta per חֲלָלִים heic *confodientes*, i. e. milites potius, quam *confossos* intellexerit. Unde planus emergit sensus: milites Judaici non quidem in proelio occisi sunt ab hostibus, sed capti, vel fugati. Mira sane foret explicatio, si, secundum vulgarem Lexicographorum interpretationem τῦ חָלָל, aut verba וַיָּחֵלּוּ לְהַכּוֹת מֵהָעָם חֲלָלִים Jud. XX, 31. *et coeperunt percutere de populo caesos*, aut quae 2 Sam. XXIII, 18.

 legun-

leguntur, *ille incurrere fecit hastam suam* עַל שְׁלשׁ מֵאוֹת חָלָל *in trecentos caesos* verteremus. Quare attentione dignissima sunt, quae in *Dissertat. super ratione textus Hebr. V. T.* p. 89. monuit Kennicott, cum vocem חֲלָלִים 2 Sam. XXIII, 18. obviam in editione Vaticana versionis LXX. στρατιώτας verti, tum verbum حَلَّ *castrametari, grassari*, et derivatum nomen حُلَاحِل *virum validum* et *audacem* [imo *principem populi* aut *tribus*] in Arabum lingua significare. Hinc passivam vocis חָלָל significationem *confossi, vulnerati*, in dubium licet non vocemus; clarissime tamen patere existimamus, hoc nomen tam Pihelicum *occidentis* et pugnantis militis, quam Pyhalicum *occisi* significatum sustinuisse, unde elegantissimus elucet in dicto Esajano - חֲלָלַיִךְ לֹא חַלְלֵי חֶרֶב lusus verborum. Neque mira haec videbitur norma dicendi Hebraeorum ad נָשָׁה *mutuo dare* et *mutuo accipere*, ad שׁוּב *reverti* et *reducere*, ac similia, attendenti." Verum etsi facile demus locis Jud. XX, 31. et 2 Sam. XXIII, 18. חֲלָלִים *militum* significatum obtinere, hoc tamen loco, retenta usitatiore *confossorum*, sive *enectorum* notione, sensum prodire elegantiorem et fortiorem putamus, si modo verba ut nos supra exponas.

3. קְצִינַיִךְ נָדְדוּ יַחַד *Duces tui vagantur una*, nescii quo se vertant, quidve consilii capiant. קְצִינִים, quod I, 10. *judices*, *magistratus* notat, h. l. tam *principes civitatis*, quam *duces belli*, significat, ut Jos. X, 24. קְצִינֵי אַנְשֵׁי הַמִּלְחָמָה *duces militum*. Vid. et Judic. XI, 6. 11. In phrasi obscuriore מִקֶּשֶׁת אֻסָּרוּ explicanda veteres et recentiores variant. Graecus Alexandrinus: καὶ οἱ ἁλόντες σκληρῶς δεδεμένοι εἰσί, *et capti dure ligati sunt*, ac si pro מִקֶּשֶׁת legisset בְּקָשָׁה. Idem sequutus est Hieronymus, qui *dureque ligati sunt* vertit. Arabicus in Polyglottis interpres Graeca ita expressit:

pressit: وَيَكُونُ ٱلسَّاقِطُونَ مَرْبُوطِينَ بِصُعُوبَةٍ *et qui cadunt aspere vinciuntur.* Saadias: حَتَّى إِنَّهُمْ مِنْ قَوْسٍ وَاحِدَةٍ أُوسِرُوا *ita ut illi ab arcu uno vincirentur.* Sensum videtur hoc modo concepisse, duces ita consternatos fuisse, ut ab unico sagittario omnes se vincire sint passi. Syrus Hebraea presse reddidit: ܡܢ ܩܫܬܐ ܐܬܐܣܪܘ *ab arcu vinciuntur*; pro quo Latinus in Polyglottis interpres, Gabriel Sionita, suam ipsius interpretationem substituit: *ab arripiendo arcu retardantur.* Chaldaeus: מִן קֳדָם מְתַח קַשְׁתָּא גְלוֹ *ab extensione arcus captivi migrarunt.* Jarchi: אשר מאימת המורים חצים בקשת היו נאסרים להסגר בתוך העיר *qui prae metu sagittariorum fuerunt ligati ut se urbi includerent,* Kimchi: כלומר רובי קשת שרדפו אחריהם השיגום ואסרו אותם *quasi dicat: jaculatores arcus qui eos persequuti sunt, apprehenderunt eos et ligarunt.* Coccejus verbum אֻסַּר *vinciri* hic capit pro *consternari, animo et consilio destitui.* Vertit hebraea: *prae arcu,* sive, *ab arcu,* i. e. ne traherent arcum, *ligati sunt,* sensumque eorum ita exponit: ostendens, principibus animos non fuisse ad congrediendum cum hostibus, sed fugisse, et quidem eminus, et quasi vinctos constrictis manibus constitisse. Vitringa verba מִקֶּשֶׁת אֻסָּרוּ elliptice posita existimat vel pro אֻסְּרוּ מִדְּרוֹךְ הַקֶּשֶׁת *ligati sunt, ita ut non possint calcare,* i. e. adducere et tractare arcum; vel pro אֻסְּרוּ מִדּוֹרְכֵי קֶשֶׁת *vincti sunt ab iis qui arcum tractant,* a sagittariis. Posteriorem loquutionem esse metonymicam, in qua nil sit difficultatis; priorem aliquanto duriorem, affinem tamen esse illam Mich. III, 6. לַיְלָה לָכֶם מֵחָזוֹן *nox vobis a visione,* s. *prae visione,* i. e. a defectu visionis, propterea quod visio vobis deficiat. A Schultens in *Animadverss. Philologg.*

lologg. ad h. l. verbum אָסַר *ligare*, poni observat pro *captivum ducere*, ut Arabicum أسر. Sic apud Abulpharagium legitur: منهم من قتل ومنهم من أسر, *partim interfecti sunt*, *partim capti.* Integrum versum ita vertit: *cuncti principes tui fugerunt*, *partim* (ita יַחַד vertit) *a sagittariis capti sunt: omnes qui inventi sunt in te*, *captivi partim sunt abducti*, *aut procul aufugerunt.* Doederlein vertit totum comma ita: *duces tui gregatim tela refugiunt: sed deprehenduntur in fuga*, *et*, *si vel longius aufugerint*, *catenis tenentur*: et in nota subjecta addit: „facilis est sensus, si מִקֶּשֶׁת jungatur voci נָדְדוּ, *fugiunt ab arcu*, i. e. telo, vid. Cap. praec. vs. 14. Praefecti provinciarum, adventantibus Assyriis, fuga sibi consulebant, sed correpti ab exercitu hostili detinebantur.“ Hubigantius ad verba מִקֶּשֶׁת אֻסָּרוּ haec scribit: „male punctum *Athnach* sub אֻסָּרוּ; nam prius membrum finitur in vocabulo מִקֶּשֶׁת; quod quidem non latuit Grotium. Sed idem Grotius non recte אֻסָּרוּ, *ligati sunt*, interpretatur: conjurarunt inter se, ut fugam caperent. Nam talis significatus sine exemplo est non modo in hebraica lingua, sed in ceteris veteribus linguis. Quod si vertas, *ligati sunt*, tanquam *in vincula conjecti*, quomodo stabit *longe fugerunt*, quod mox sequitur? Ergo non recusandum, quin legatur הֻסְּרוּ, tanquam הוּסְרוּ, *retro acti sunt*, vel pedem retro retulere, ut id concordet cum בָּרְחוּ, *fugerunt.*“ Consentit cum Hubigantio per omnia Lowthus, qui praeterea Chaldaeum ut sententiae suae patrocinantem adducit, qui habet גְּלוֹ, quod verbum cum interprete latino in Polyglottis vertit *transmigraverunt.* Cui sententiae Kocherus scite haec opponit: „מִקֶּשֶׁת אֻסָּרוּ, *procul ab arcu*, h. e. inermes imbellesque ac sine proelio, *vincti sunt*, fugitivi, dumque fugiunt deprehensi. [Quem sensum Eichhornius ita ex-

expressit: *ohne einen Bogen abzudrücken, liessen sie sich fesseln*]. מִן, *e*, *ex*, *a*, *ab*; nec raro negative, *procul*, *a*, *sine*. Hubigantii somnium, מִקֶּשֶׁת הֻסָּרוּ, *ab arcu rempti sunt*, fugerunt, recens placuerit, vix placiturum posteris. Nec erat, cur appellaretur Chaldaeus, apud quem priori אֻסְּרוּ respondet גְּלוֹ, *captivi iverunt*, alteri אִתְקְטָלוּ, *interfecti sunt*; illa figura, quam dicunt *ab antecedente id quod sequitur*, itaque suum hunc sensum dare, vocem reddere voluisse vides." Nos quidem sensum a Kochero indicatum haud dubitamus esse genuinum, quippe qui contextui optime conveniat. כָּל־נִמְצָאַיִךְ אֻסְּרוּ יַחְדָּו מֵרָחוֹק בָּרָחוּ *Omnes inventi tui*, i. e. qui in te (urbem alloquitur) ab hoste deprehenduntur (eodem sensu נִמְצָא dictum supra XIII, 15.) *ligantur pariter*, una, velut in societate, *e longinquo fugiunt*. Significantur cives et milites Hierosolymitani, qui omnes quotquot praesto adessent, aut in urbe praesentes deprehenderentur, vel conjicerentur in vincula, vel propera fuga, si liceret, per avia et devia saluti suae consulerent. Kimchi: פירוש כל הנמצאים בתוך העיר אוסרו וכן אשר מרחוק ברחו שחשבו להמלט אוסרו גם כן *Sensus est: omnes qui inventi sunt in civitate, vincti fuerunt; item qui fugerunt e longinquo* (scilicet qui quum procul abessent ab urbe, adhuc tamen fugiebunt), *opinantes se servatum iri, vincti sunt ipsi quoque*. Ceterum non tam quae vere evenerunt tum cum Senacheribus urbem obsidebat, quam quae timuit vates hisce versibus expressa sunt.

4. Verba sunt prophetae, qui a se aliorum deflecti vult oculos, ut dolori pro magnitudine ejus et affectu animi libere indulgere possit, et amare flere absque interpellante consolatore, quum ingruens urbi calamitas major sit, quam ut consolationem admittat. שְׁעוּ מִנִּי *Avertite vos a me*, vani consolatores, Ps. XXXIX, 14. Job.

Job. VII, 19. אֲמָרֵר בַּבֶּכִי *Amarus ero in fletu*, i. e. acerbe flebo. Significatur hominis acerbe flentis dolor, cui vult indulgere. אַל־תָּאִיצוּ לְנַחֲמֵנִי *Ne urgeatis*, aut *instetis* (Genes. XIX, 15.), *me consolari.* עַל־שֹׁד בַּת עַמִּי *Propter vastationem filiae populi mei*, quae nimis eheu! luctuosa et gravis erit. Per *filiam populi sui* poeta haud dubie intelligit *Hierosolymorum* urbem, quam Jeremias promiscue appellat, *filiam Judae*, *filiam Zionis*, *filiam populi sui*, Thren. II, 2. 10. 13. III, 48. Ad vocem שֹׁד de Rossi haec habet: „pro שֹׁד legunt שֶׁבֶר, *contritione*, cod. Kennicott. 225., LXX., Syr. Chald. Codex meus 319. ad marginem: *alii libri* שבר." Addo apud Jeremiam Thren. IV. 10. legi שֶׁבֶר בַּת־עַמִּי, unde haud dubie huc translatum est.

5. כִּי יוֹם מְהוּמָה *Nam est dies tumultus*, ταραχῆς, perturbationis, qua omnia inter se confunduntur ac permiscentur, ut tempore calamitatis desperatae. וּמְבוּסָה *Et conculcationis*, qua sacra et profana omnia inter se permixta exponuntur injuriae et libidini victoris, in victos, nulla aetatis aut dignitatis habita ratione, et in eorum sacraria, palatia, domos, agros, promiscue saevientis. Eodem sensu *conculcandi* verbum usurpatur Ps. XLIV, 6. Luc. XXI, 24. וּמְבוּכָה *Et perplexitatis*, Hieronymus vertit *fletus*; retulit nomen ad בָּכָה *flevit*, quum tamen a בּוּךְ, Niphal נָבוֹךְ *perplexus*, *turbatus est* derivetur, ut notet ἀπορίαν, qua quis quid faciat quove se vertat nescit, ut Mich. VII, 4. לַאדֹנָי יֱהוִה *Domini Jovae*, i. e. quia omnia sunt divinae justitiae, poenas a populo Judaico repetentis, effectus. בְּגֵי חִזָּיוֹן *In valle visionis*, qua appellatione urbem Hierosolymitanam indicari dubium non est; de ratione vero nominis sententiae sunt diversae. Major interpretum pars, quum nomen חִזָּיוֹן de *visionibus propheticis* dici constet, appellationis illius rationem repetunt inde, quod urbs Hie-

Hierosolymitana praecipua sedes prophetiae esset. Ita Hieronymus: „Haec enim civitas seminarium prophetarum est, in qua exstructum Templum, et visiones Domini multiplicatae sunt.“ Chaldaeus: קַרְתָּא דְיָתְבָא בְּחֵילְתָא דְאִתְנַבִּיאוּ עֲלַהּ נְבִיַּיָא *urbs quae in valle considet de qua vaticinati sunt prophetae.* Jarchi: גיא חזיון היא ירושלם גיא שנתנבאו עליה רוב נבואות *Vallis visionis, haec est Hierosolyma, vallis illa, in quam plurima edita sunt vaticinia.* Cur vero in montibus exstructa urbs *vallis* nomine, hic veniat, Kimchi rationem reddit hanc, לכנותה לרעה לפי שהשפילוה יושביה לרעתם והשיבוה מהר אל בקעה ואינה ראויה שתקרא עתה הר אלא גיא *ut cognomen ei daret infaustum, quoniam humiliarunt eam cives ejus improbitate sua, effeceruntque, ut e monte in vallem converteretur. Quare non jam dignam, quae mons appelletur, vallem appellat.* Vitringa urbem Hierosolymitanam aenigmatico illo nomine ideo appellatam existimat, quod prophetae Hierosolymitani scholas suas in illa *valle* habuerint, quae proxime subjecta fuit Templo, et ibidem quae ipsis divinitus patefacta fuerint, vulgarint. A. G. Waehner in Progr. *de valle spectaculorum Es. XXII,* 1. Gotting. 1747. 4., non ipsam Hierosolymorum urbem, sed *vallem Hinnom*, moeniis ejus contiguam, גֵּיא חִזָּיוֹן, i. e. ex ejus interpretatione, *vallem spectaculorum*, vel *theatrorum*, ubi profanis spectaculis turba teneretur, appellatam putat, quod in illa valle complura fana et altaria idolis consecrata exstructa essent (1 Reg. XI, 7. XV, 13. 2 Reg. XXIII, 10. 13. Jerem. VII, 29. 34. XIX, 1. 6.), et prope illa theatra erecta, ex quibus multitudo festivitates in honorem idolorum institutas intueri illisque applaudere posset. Quae quidem sententia nemini nisi auctori verisimilis fuerit. J. D. Michaelis in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* P. III. p. 704. חִזָּיוֹן pro interpretatione nominis proprii מוֹרִיָּה habet,

 monti

monti *Moriae*, subjectisque vallibus ideo inditi, quod Deus ibi olim Abrahamo et Davidi adparuit, vid. Genes. XXII, 14. et 2 Paral. III, 1. ubi אֲשֶׁר נִרְאָה לְדָוִיד אָבִיהוּ, *quo in loco adparuit Davidis patri ejus*, illustrando nomini addi videatur. „Certe Samaritani," addit Michaelis, „terram Moria Genes. XXII, 1. ארעה חזיתה vocant, nostro loco convenientissime, ut recte dixeris, vallem Moriae monti subjectam non Judaico Jesajam sed Samaritano nomine vocare. Samaritanum si est, aliquid opprobrii habere videbitur, ut plura alia, מִכְחָשׁ pro מִקְדָּשׁ etc. atque a propheta in ignominiam poni. Nempe חִזָּיוֹן ambiguum: *visionem* Dei significare potest, a חָזָה, *vidit*, sed et *pudorem*, i. e. idola turpia illa in valle, humanis adeo sacrificiis, culta, a خزى *pudore, ignominia affecit, dedecoravit*." Nos quidem nulli dubitamus, nomen גֵּי חִזָּיוֹן, Hierosolymis hic inditum, situm urbis respicere, cujus magna pars esset *vallis*. En locum Jeremiae XXI, 13. Hierosolymam appellantem, nomen heic usurpatum illustrantem: *ecce ego ad te*, יֹשֶׁבֶת הָעֵמֶק צוּר הַמִּישֹׁר *quae inhabitas vallem, petra planitiei*; habebat enim se Hierosolyma montibus undique cincta (Ps. CXXV, 2.) instar vallis, sed eadem urbs respectu habito ad regiam arcem in monte Zion, et templum in Moria colle situm, unde prospectus in valles *et planities* subjectas patuit, *petra planitiei* dicitur, ut Jerem. XVII, 3. *mons Jovae in agro s. planitie* (הֲרָרִי בַּשָּׂדֶה). Pertinent huc Phocae verba, quae adducit Relandus *Palaest.* p. 839. Ἡ δὲ ἁγία πόλις κεῖται μέσον διαφόρων φαράγγων καὶ βουνῶν, καὶ ἔστι τὸ ἐν αὐτῇ θεωρούμενον θαυμαστόν· ἐν ταύτῃ γὰρ ὑπερανεστηκυῖα ὁρᾶται ἡ πόλις καὶ χθαμαλή· πρὸς γὰρ τὴν τῆς Ἰουδαίας χώραν ἐστὶν ὑπερκειμένη, πρὸς δὲ τὰ ἐχόμενα ταύτης γηολόφα χθαμαλίζεται. *Urbs sancta sita est media inter valles et montes, et hoc in ea mirabile est, quod eadem et excelsa*

et

et depressa appareat; respectu enim Judaeae supereminet, respectu vero collium circa eam est depressa. Haud male nomen גֵּיא חִזָּיוֹן Lutherus vertit *das Schauthal,* i. e. vallis in quam e montibus vicinis prospectus patet. In explicando altero versus hemistichio, מְקַרְקַר קִר וְשׁוֹעַ אֶל־הָהָר, interpretes et veteres et recentiores in diversa abeunt. A verbis hebraeis plane recessit Graecus Alexandrinus, qui ita vertit: πλανῶνται ἀπὸ μικρῦ ἕως μεγάλυ, πλανῶνται ἐπὶ τὰ ὄρη. Hieronymus: *scrutans murum, et magnificus super montem.* Ad quae in Commentario: „Describitur Babylonis exercitus, intrans urbem, templum occupans, et quadrigis per plateas superbe incedens.“ Vocem מְקַרְקַר *scrutandi* significatu cepit, quemadmodum Symmachus Num. XXIV, 17. קַרְקַר ἐρευνῆσαι reddidit. Ita et Syrus: ܒܨܐ ܫܘܪܐ *scrutatus est moenia.* Eandem notionem verbo hebraico tribuit Chaldaeus, qui מְקַרְקַר קִר sic exposuit: מְבַלְשִׁין בָּתַּיָּא *scrutantur domos.* Petierunt illi interpretes hanc significationem vocis a themate קוּר *fodere*, sicuti חָפַר *fodere* et *pervestigare* notat. Verum ea haud quadrat Num. XXIV, 17., ubi *destruendi, perdendi* notionem flagitat contextus, in qua et hoc loco Hebraei interpretes consentiunt. Observant Aben-Esra et Kimchi, vocem קַרְקַר deduci a קִיר *muro*, et secundum anologiam linguae contrariam sortiri significationem, aeque ac a שֹׁרֶשׁ *radix* est Piel שֵׁרֵשׁ *eradicare.* Bene Kimchi: ענינו הריסת הקיר ואמר קיר לתוספת ביאור כי די היה לו במקרקר כמו לצבוא צבא ותשרש שרשיה ויקסמו קסמים *Significatur destructio muri. Nomen* קִיר *additum explicandi causa, nam satis erat dixisse* מְקַרְקַר. *Similis loquendi modus Num. XIV,* 23. ad militandum militiam; *Ps. LXXX,* 10. radicare fecisti radices ejus; *et 2 Reg. XVII,* 17. divinaverunt divinationes. Ante מְקַרְקַר repetendum est יוֹם a versus initio, ut ad verbum sit

fit vertendum: *dies adest suffossoris s. destructoris muri*, i. e. dies, qua hostes moenia diruentes irruunt. Jarchi: יום קירקור קיר החומה *dies destructionis parietis muri.* Duobus postremis verbis indicare voluit, קִר *murum urbis* significare, ut Jos. II, 15. קִיר הַחוֹמָה. Et Num. XXXV, 4. קִיר הָעִיר est *murus urbis.* Non igitur erat cur dubitaret Henslerus, קִר h. l. urbis moenia significare. Ipse vero hanc vocem *parietem* reddit, et קַרְקַר confert cum Arabico قرقر *sonum cum murmure edidit, perstrepuit nubes tonitru et murmure* (vid. Castelli *Lexic. Heptagl.* p. 3429. 31. No. 40. 47.); מְקַרְקַר Participium Piel, ubi verbum significationem transitivam accipit, ad יום refert, ut haec versio prodeat: *dies ille* calamitatis et perturbationis *resonare facit parietes*, i. e. parietes domuum urbis obsessae incolarum clamoribus; quod convenit sequenti וְשׁוֹעַ אֶל־הָהָר. Sic Doederlein quoque: *murus tumultu resonat; clamor it ad montem:* confert Virgilii similem imaginem, Aeneid. IV, 668. *Resonat magnis plangoribus aether.* Sed minime necesse est, קַרְקַר heic alio significatu capere, quam quem Num. XXIV, 17. obtinere vidimus. Verba hujus versus ultima, שׁוֹעַ אֶל־הָהָר, Jarchi recte ita exponit: קול שועה לכנס אל ההרים להמלט *sonus clamoris ut fugiatur ad montes*, *quo* periculo *se eripiant.* Nam de Hierosolyma ab hostibus pressa, nulla obsessis, qui fugam meditarentur, evadendi via patuit, nisi per *montana*, quae inter Hierosolymam et Hierichuntem ad orientem urbis interjacebat; quum in omnibus fere quas sustinuit obsidionibus ab occidente et septentrione hostes urbem aggredi solerent. Quare in urbe consternationis plena clamantium et quiritantium lamentabilis vox audita est: אֶל־הָהָר *montem versus!* i. e. qui pedibus celer saluti studet, proripiat se versus montana, ut, si possit, se hostium manibus eripiat.

Fu-

Fugientibus cavernae et rupes excavatae vel natura, vel arte et induſtria hominum factae in montibus Judaeae latibulum praebere poſſe videbantur. Hinc in montanas ſpeluncas ſe Judaei tempore belli recipere ſolebant ibidemque vim hoſtium effugere. Sic Iſraelitae tempore Gideonis metu Midianitarum perculſi ſibi feciſſe leguntur ſpeluncas in montibus Judic. VI, 2. Salvator quoque Judaeis, obſidione ultima preſſis, hoc conſilium dabat, *ut in montes fugerent*, Matth. XXIV, 16. Marc. XIII, 14. Luc. XXI, 21. Eodem fere conſilio inſtruxerat Rahab exploratores Iſraeliticos Joſ. II, 16. Genuinum hujus loci ſenſum pervertiſſe plane videtur A. Schultens, dum in *Animadverſſ. philoll.* verbo קַרְקַר collato Arabico قَرَّ *quievit*, in Conjugat. II. et IV. *ſtabilivit*, *firmavit*, *firmiter exſtruxit*, tribuit *reparandi*, *inſtaurandi* ſignificatum, unde hemiſtichium hoc poſterius ſic vertit: *eſt, qui reparat murum; eſt, qui clamat: montes petite*, ut ſenſus ſit, in tanta ex hoſtis adventu perturbatione alios ad fugam ſe parare, alios ad defenſionem, exclamando, murum eſſe reſarciendum; quod conveniat cum eo quod vs. 10. *domos* dicuntur *dejeciſſe ad murum muniendum*. Schultenſianam interpretationem ex parte ſuam fecit C. L. Hohrisel, qui in *Obſervatt. philologico-exegeticis in nonnulla Eſajae loca* p. 149. hunc locum ita vertit: *eſt qui reparat murum; aſt nobilium quisque ad montes* ſcil. ſe recipit. Videlicet vocem שׁוֹעַ hic ut Job. XXXIV, 19. *opulentum*, hinc *nobilem* valere putavit; in qua ſententia praeeuntem habet Hieronymum, qui, ut ſupra vidimus, שׁוֹעַ *magnificum* reddidit. Quid ſibi voluerit Chaldaeus, qui pro verbis וְשׁוֹעַ אֶל־הָהָר haec poſuit: מַקְפִין מַגְדְלַיָא בְּרֵישֵׁי טוּרַיָא *circumdant turres in cacumine montium*, non aſſequor. Cogitavit forſan de clamoribus eorum, qui ex urbe obſeſſa profugi in turres munitas in montibus Hieroſolymae vicinis ſe recipere cupiebant.

6. De-

6. Describit copias hostiles e gentibus barbaris et ferocibus collectas, quae adversus Hierosolymam castra movent. וְעֵילָם נָשָׂא אַשְׁפָּה *Et Elamita gestat pharetram* sagittis gravem. De עֵילָם vid. not. ad XXI, 2. Elamitae, sive Elymaei, tum aut parebant Assyriis, aut certe socii eorum erant, unde etiam factum, ut cum postea Assyrii Babylone regnarent, Elymaeorum copias in castris suis habuerint, quod constat ex eo, quod Panthea, Abradatae, regis Susorum (quae fuit Elymaïdis metropolis) uxor, in eorum castris a Cyro capta sit, absente Abradata, ut narrat Xenophon Cyropaediae L. V. ab initio. Erant vero Elamitae arcus tractandi peritia prae ceteris praestantes, qui illo tempore *terrore suo replebant orbem*, ut de iis Ezechiel dicit XXXII, 24., et Jeremias de iisdem XLIX, 35. *Ecce ego confringam arcum Elymaeorum, praecipuum roboris eorum.* Verbis בְּרֶכֶב אָדָם פָּרָשִׁים haec adscripsit Hubigantius: „וְרֹכֵב אֲרָם פָּרָשִׁים, *et Aramaeus conscendit equos.* Assumimus וְרֹכֵב, ex graecis interpretibus, qui, *καὶ ἀναβάται, et ascensores;* אֲרָם vero, pro אָדָם, ex propheta Amos, Cap. IX, 7. ubi legitur וַאֲרָם מִקִּיר, *et Aramaeum e Kiro*, ut Jesajas jungat similiter *Aramaeos* cum Cyrenensibus, de quibus mox. אָדָם, *homo*, nomen commune, locum habere vix potest inter duo nomina propria *Aelamitam* et *Cyraeum.*“ Lowthus, cui רֶכֶב אָדָם *currus hominum* sensum aptum admittere non videtur, legere mavult בְּרֶכֶב אֲרָם וּפָרָשׁ *curribus Syrorum et equitibus.* Sed bene Kocherus: „רֶכֶב אָדָם non absurde dicitur *currus hominis*, quo homo vehatur; quamquam *vecturam* hominum dicere malo, sive *invectos* curribus seu equis homines velis. Atque lectio unamini testium, in quibus etiam Aquila et Theodotio inveniuntur, consensu probata, consimili insuper locutione רֶכֶב איש Cap. XXI, 9. confirmatur.“ Michaelis pro אדם legens אֹדֹם, *ruber, fuscus*, vertit: *vectura equorum rubrorum*, i. e.

terri-

terribilium, *equites adveniunt.* Sine necessitate, ut vidimus. Dicit propheta, exercitum illum hostilem, qui terrorem incuterat Judaeae, non constare tantum peditibus, verum et *equitibus* et *curribus*, quibus vecti milites, qui et sagittas mittebant, et gladiis, hastis, sarissis pugnabant. In quinque codd. Kennicottianis, totidemque Rossianis, nec non nonnullis libris impressis, ante פָּרָשִׁים particula ו invenitur. Verum saepe omitti hanc particulam, ubi eam exspectares, praesertim in stylo poetico, jam saepius observatum. In verbis וְקִיר עֵרָה מָגֵן explicandis in duas potissimum partes discedunt interpretes, קִיר aliis pro nomine proprio habentibus, aliis pro appellativo. Illi verba ita reddunt: *Kir denudat clypeum*, i. e. depromit, extrahit clypeum suis ex involucris, parans se ad bellum. Scuta erant coriis tecta, ut splendentia servarentur, quae coriacea integumenta detrahebantur, cum pugnandum erat. CAESAR *de bello Gall.* L. II. c. 21. *Temporis tanta fuit exiguitas, hostiumque tam paratus ad dimicandum animus, ut non modo ad insignia adcommodanda, sed etiam ad galeas inducendas scutisque tegimenta detrahenda tempus defuerit.* Ad quem locum Davisius notat, tegimenta fuisse e corio facta, ne formae et colores scutis additi pulvere aut aëris injuria corrumperentur. Hinc apud Ciceronem *de Nat. Deor.* II, 14. *clypeorum involucra* memorantur. קִיר autem est gens aliqua *Mediae* vel *Assyriae*, Elymaeis proxima, ut clarissime patet ex Amos. I, 5. coll. cum 2 Regg. XVI, 9. ubi Syri a Tiglath-Pulassare dicuntur *abducti esse* קִירָה *Kiram versus.* Non improbabilis est J. D. MICHAELIS *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* p. 2191. sententia, קִיר esse regionem ad fluvium *Kur*, Graecis *Κύρος*, qui in mare Caspium effunditur, i. e. Iberiam. Cf. not. ad Amos I, 5. Doederlein vertit: *Kir fert in clypeos*, ad quae in nota: „עֵרָה a rad. עוּר sive עָרַר,

fer-

fervere, derivandum videtur. Eadem metaphora Virgilius: Julus *ardet* in arma." Ludov. de Dieu עָרָה illustrandum putat ex lingua Aethiopica, ubi verbum hoc usurpatur pro *planum*, *laeve*, *glabrum*, *aequale facere*, unde vertit: *et Kir laevigavit*, polivit *clypeum*, et confert similem dictionem supra XXI, 5. מִשְׁחוּ מָגֵן. Sed non est arcessendum e longinquo auxilium, ubi indigena sufficiunt. Mirum tamen, veterum interpretum nullum קִיר h. l. pro nomine proprio accepisse. Graecus quidem Alexandrinus parum accurate hebraica reddens *καὶ συναγωγὴ παρατάξεως*, quae Arabicus interpres وَمُجْتَمِعُ أَلْقِتَالِ *et turba bellatorum* vertit, nomen קִיר plane non expressit. Ceteri vero omnes pro nomine appellativo *parietem*, *murum* significante, ut supra vs. 5. habuerunt. Syrus: ܘܫܘܪܐ ܓܠܐ ܬܪ̈ܣܐ *et murus retexit clypeos.* Chaldaeus: וְעַל שׁוּר דְּבַקוּ תְּרֵיסִין *et muro adhaeserunt clypei.* Cujus interpretationis rationem reddit Kimchi: ויש לפרש ערה ענין דבוק וכן בדברי רבותינו ז״ל מעורה בטרפשין פירוש דבוקה ופירוש הפסוק עילם נשא אשפה לירות החצים אל ירושלים וכן דבק המגינים אל החומה לחתור החומה תחתיה להפילה וכן תרגם יונתן *licet etiam vocem* עָרָה *significatu* conjunctionis *capere, ut in verbis Magistrorum nostrorum, piae memoriae* [in Tractatu Talmudico Cholin fol. 46. col. 1.]: מעורה בטרפשין cohaeret (hepar) reticulo; *unde integri versus sensus prodit hic: Elam tulit pharetram, ut projiceret sagittas contra Hierosolymam, et admovit ad murum scuta, ut effoderet murum subter ad diruendum eum. Atque sic interpretatus est Jonathan.* Hieronymus sic vertit: *et parietem nudavit clypeus*, quod in Commentario hoc modo exponit: „Quodque auratos postes, et marmorum crustis vestitos parietes clypeus, qui alia solet tegere, nudaverit, eleganter in Hebraeo reso-

resonat, sensusque pulcherrimus est, quod scutum non protexerit quempiam, sed nudaverit, eo quod per robur militum omnes opes erutae sunt." Qui sensus tamen argutus magis quam elegans videtur. Saadias: وعلى حيطانهم اظهر تراسهم *et super pariete eorum manifestus est clypeus eorum.* Possint hebraea ita verti: *nudabat*, sive collective, *nudabant* scil. hostes Elamitae antea memorati *murum protectore*, protectores urbis de muro depellebant. Quam quidem interpretationem commendare videtur quod voces קִיר עֵרָה per accentus conjunctae sunt, עֵרָה מָגֵן autem per accentum regium separantur. מָגֵן Participium Hiphil verbi גָּנַן *protexit*, proprie *protegentem* notare, nemo facile dubitavit, et apte sic vertitur Genes. XV, 1. Ps. III, 4. XLVII, 10.

7. Quae jam sequuntur usque ad versum 14. mere sunt historica, describuntque poëtice quae infra XXXVI, 1. seqq. et 2 Chron. XXXII, 1. seqq. narrantur de exercitu Assyriaco Hierosolymam versus castra movente, atque de apparatu ad urbem defendendam ab Hiskia facto. וַיְהִי מִבְחַר־עֲמָקַיִךְ מָלְאוּ רֶכֶב *Et factum est*, quod attinet ad *electum vallium tuarum*, ut *repletae sint curru* s. *vectura* scil. hostium; valles tuae electae repletae sunt hostibus, et curribus et equis vectis. Affixum foemininum vocis עֲמָקַיִךְ, docet, sermonem converti ad urbem Hierosolymorum. *Valles* huic urbi subjectas *delectas*, i. e. fertiles, amoenas, hominum cultura, laudat. Hae vero nunc ab hostibus occupantur et vastantur. וְהַפָּרָשִׁים שֹׁת שָׁתוּ הַשָּׁעְרָה *Et equites ponendo ponunt portam versus*, obsident portas. Hubigantius: „Verba שׁת שׁתו male in hod. codd. dissociantur, cum שׁת non significet *sedem*, vel *stationem*. Chaldaeus et Syrus conjuncte legunt שׁתשׁתו, duplicatis verbi שׁות litteris, *stationem habent*, vel, *castra ponunt*, in ipsis portis Jerusalem."

 Verum

Verum שָׁתוּ שֹׁת eſt notiſſimus Hebraismus, *ponendo poſuerunt* ſcil. נְצִיב, *praeſidium* (cf. eandem ellipſin, 2 Chron. XVIII, 6. 13.), hoſtes intellige, urbem obſidentes, *ad portam;* arctiſſime cingunt urbem.

8. וַיְגַל אֵת מָסַךְ יְהוּדָה *Et retegit* ſcil. retegens *velum Judae*, i. e. velum Judae retectum eſt. A. Schultensius in libello de *Defect. hod. ling. Hebr.*, adnexo *Origg. Hebrr.* p. 427. §. 258. „Aqua haeret doctis interpretibus in figura hac declaranda. Plurimi retulerunt ad *propugnacula* et *munimenta* Judaeae *expugnanda.* Alii de *theſauris expromendis* et *erogandis* cogitarunt, illuc etiam inclinante Vitringa. Non feciſſet, ſi ampliorem habuiſſet conſpectum *veli remoti* aut *ſciſſi* in ſtylo figurato Arabum, quo ſignatur *miſeria* et *ignominia extrema.* Sed loquantur exempla. *Achm. Arabſiadis* Hiſtor. Timuri, p. 129. ed. Golii [T. I. p. 446. ed. Manger]: *miſimus ad vos hanc epiſtolam; vos ei quantocius reſpondete,* قبل ان ينكشف الغطاء ولم يبق لكم باقية, *antequam retegatur velum, et ne tenuiſſimae quidem reliquiae vobis ſuperſint.* Agitur de litteris *Tamerlanis* ad *Sultanum Aegypti* miſſis, quibus ſe ſuaque omnia dedere monebatur, antequam modis omnibus *violaretur* et *victoris exercitus* furori exponeretur. Similiter Hulacu Tatarus, ad Halebi Dominum in Abulfaragii *Hiſt. Dynaſt.* p. 529. *Aliorum exemplo docti, qui male perierunt reſiſtendo, res veſtras dedite nobis,* قبل ان ينكشف الغطا, *antequam retegatur velum, et recidat in vos peccatum veſtrum; nos enim non miſeremur conquerentis, nec tenero affectu commovemur erga plorantem.* Additur pro commentario illius *veli retegendi*, quod hic neutiquam praetereundum, *jam regiones vaſtavimus, homines perdidimus, liberos orphanos fecimus, et deſolata omnia reli-*

reliquimus." Et postquam Schultensius locutionis hujus ortum et progressum plurimis exemplis illustrasset, ita pergit: „apparet hinc, imaginem *veli remoti*, aut *scissi* desumtam esse a *virginibus* et *matronis pudicis*, quum *vexantur*, *violantur*, et *omni ludibrio adficiuntur*, ac proinde *cumulum miseriae* atque *ignominiae* ab Esaja intendi, quum Judaeae, *velum retegendum* esse comminatur." וַתַּבֵּט בַּיּוֹם הַהוּא אֶל־נֶשֶׁק בֵּית־הַיָּעַר *Respicies illo tempore armaturam domus saltus.* *Domus sylvae* hic est eadem, quae in historia Salomnis 1 Regg. VII, 2. בֵּית יַעַר הַלְּבָנוֹן *domus saltus Libani* vocatur, in qua rex, in omnibus rebus splendidus, reposuisse dicitur armaturam pretiosissimam, quam parari jusserat 1 Regg. X, 17., videturque domus illa hunc usum deinceps etiam retinuisse. In historia urbis apud Nehemiam Cap. III, 19. simpliciter dicitur נֶשֶׁק, elliptice pro בֵּית נֶשֶׁק, *armamentarium*; patetque ex illo loco, domum hanc exstructam fuisse in orientali climate sive in clivo montis Zionis, qui *Ophel* dicebatur, juxta *angulum* muri urbis *orientalem* et *australem*. Nomen *domus saltus Libani* illi inditum erat ideo quod ex *lignis cedrinis* de Libani saltu advectis exstructa erat tota, et quidem supra *quatuor ordines quindenarum crassarum columnarum cedrinarum.* Hoc armamentarium respiciebant Hierosolymitani ad famam irruentis exercitus Assyriaci, ut ex eo arma ad urbem defendendam depromerent.

9. וְאֵת בְּקִיעֵי עִיר־דָּוִד רְאִיתֶם כִּי־רָבּוּ *Et fissuras urbis Davidis inspicitis, quia multae sunt.* Elliptica locutio pro *fissuras* muri *urbis Davidis*; per quam constat, phrasi recepta historiae sacrae, intelligi montem Sionis cum clivo orientali ei subjecto, quem David, Jebusaeis extortum, proprio muro circumdedit totum (2 Sam. V, 9.), cui Josephus, *Bell. Jud.* Lib. VI.

Cap. VI., *sexaginta* turres dat: faciebat autem *partem australem* urbis Hierosolymae. Has *fissuras* poeta vult Hierosolymitanos *videre*, h. e. diligenter inspicere, considerare, quatenus urbi nocivae esse possent, et qua optima ratione refici ac profiteri. וַתְּקַבְּצוּ אֶת־מֵי הַבְּרֵכָה הַתַּחְתּוֹנָה *Et congregatis aquas piscinae inferioris.* Obturabant cives Hierosolymitani omnes meatus et aquae ductus, per quos *piscina inferior* ad varios usus extra urbem late se effundebat; conf. omnino not. ad Cap. VII, 3.

10. וְאֶת־בָּתֵּי יְרוּשָׁלַםִ סְפַרְתֶּם *Et domos Hierosolymae numeratis*, i. e. recensetis et recensendo diligenter inspectatis (quo sensu verbum סָפַר et Ps. CXIX, 26. sumitur) domos Hierosolymitanas, ut videatis, quae eorum cum minimo urbis detrimento et in usum commodissimum dirui possint ad murum reparandum, muniendumque turribus. Conf. 2 Chron. XXXII, 2. seqq. ubi ratio, qua Hiskias urbem contra hostes munivit, enarratur, plane cum nostro vate consentiens.

11. וּמִקְוָה עֲשִׂיתֶם בֵּין הַחֹמֹתַיִם לְמֵי הַבְּרֵכָה הַיְשָׁנָה *Et congregationem* aquarum *fecistis inter duos muros pro aquis piscinae veteris.* Sensus est, recte observante Vitringa, Hiskiam regem fontem *Gihonis* sive *Siloami*, qui erat extra urbem proxime occiduum tractum montis Zionis, ex cujus radicibus scaturiebat, circumdedisse muro, qui utrinque muro Zionis jungeretur, et inter duos muros fecisse magnam scrobem, in quam derivaret aquas *piscinae veteris*, h. e. regiae, ne hostibus Assyriis in usum prodesset, et, ut haberet fons, quo se exoneraret, obturatis ejus profluviis versus *veterem* illam *piscinam*: vel, regem per canales subterraneos aquas fontis Siloae duxisse in ipsam *urbem superiorem*, excisa ibi piscina in usum harum aquarum, quae tegeretur a duobus muris, exteriore et interiore. Dubitatur, num

num הַבְּרֵכָה הַיְשָׁנָה *piſcina vetus* ſit eadem, quae antea (vs. 9.) הַבְּרֵכָה הַתַּחְתּוֹנָה *piſcina inferior* vocatur, an potius *regia*, Salomonis, in plaga auſtrali, quae ſupra VII, 3. הָעֶלְיוֹנָה, *ſuperior* vocatur. Poſterius omnino eſt probabilius, non tantum ideo, quia ſi propheta hic de eadem loqueretur piſcina, non credibile eſt, nomine diverſo eam appellaſſe, verum et quod ratio manifeſta illud poſtulat. Quum enim extra urbem duae fuerint piſcinae majores, quae hoſtibus uſui eſſe poſſent, quasque prudentiae erat intercipere, ne in eorum venirent poteſtatem; ordo narrationis exigebat, ut poſtquam dixiſſet propheta, quomodo cives interverterint uſum piſcinae *inferioris*, moneret etiam, quomodo curarint *ſuperiorem*, ſive *regiam*. Ceterum hic locus multum lucis capit e narratione 2 Chron. XXXII, 2. ſeqq., quam hic adſcribere longum foret. In altero verſus hemiſtichio vates acriter reprehendit Hieroſolymorum incolas, qui non tam Jovae auxilio, quam ſuorum ipſorum prudentiae confiderent, et, quum in hac communi calamitate jejuniis et luctu publico Jovae iram placare debuiſſent (vid. vs. 13. 14.), ſecuritati ſe dantes, commiſſationibus et potationibus indulgerent. וְלֹא הִבַּטְתֶּם אֶל־ עֹשֶׂיהָ *Non reſpicitis ad eum, qui facit illud*, cujus decreto et juſſu eveniunt haec omnia, quae tantum vobis metum incutiunt. וְיֹצְרָהּ מֵרָחוֹק לֹא רְאִיתֶם *Et eum qui id formavit e longinquo non videtis*, non conſideratis, non curatis. Male nonnulli interpretes, Kimchium ſequuti, ſuffixum femininum ad voces עֹשֶׂיהָ et יֹצְרָהּ ad Hieroſolymitanam urbem referunt, quum potius neutraliter ſit ſumendum, atque ad ea omnia reſpiciat, quae illo tempore evenerunt, quae a Deo longe antea decreta et ordinata fuiſſe vates dicit. Id quod clariſſime patet e loco parallelo infra XXXVII, 26., ubi propheta noſter declamans adverſus Aſſyrium in eadem, de qua hic agitur, expeditione, eadem utitur phraſi: *Annon audiviſti,*

לְמֵרָחוֹק אוֹתָהּ עָשִׂיתִי מִימֵי קֶדֶם וִיצַרְתִּיהָ *a longinquo me illud feciſſe*, i. e. decreto meo conſtituiſſe ut fieret, *et a diebus antiquis praeformaſſe illud? nunc adduco illud*, praeſto eſſe jubeo.

12. Poſtulat hoc tempus lacrymas planctumque et crinium divulſionem veſtitumque lugubrem. קָרְחָה *Calvities*, in luctu funebri erat vetita, non in publico malo, vid. Mich. I, 16. חֲגוֹר שָׂק *Cinctura ſacci*, luctus publici indicium, vid. Joel I, 8. 13.

13. וְהִנֵּה שָׂשׂוֹן וְשִׂמְחָה *Sed contra gaudium et hilaritas* inter vos agitatur. הָרֹג בָּקָר וְשָׁחֹט צֹאן *Occidere boves, jugulare oves*, quae verba Hebraei interpretes ita accipiunt, quaſi contineant ſermonem hominum levium, hoc modo: *ſed ecce! gaudium et laetitia* dicentium: *mactemus boves, jugulemus oves.* Ita Chaldaeus: אָמְרִין נִקְטוֹל תּוֹרִין וְנִכְּסַם עָאן *dicunt: occitamus boves, mactemus oves.* Sed videntur potius Infinitivi poſiti eſſe pro verbis finitis, ut proprie ita ſint capienda: *mactando* mactant etc. i. e. mactant, ad quod proxime accedit verſio Graeca: σφάζοντες μόσχους καὶ θύοντες πρόβατα, idque dum agunt dicunt: אָכוֹל וְשָׁתוֹ *edendo* edamus *et bibendo* bibamus, genio indulgeamus. כִּי מָחָר נָמוּת *Nam cras moriemur*, fruamur bonis praeſentibus, quum incerta vitae uſura ſit, et mors omnem ſit exſtinctura ſenſum; quod ſanius judicant, quam ſe jejuniis, fletu, planctibus macerare, quod propheta ſuadebat. Chaldaeus pro hebraeis כִּי מָחָר נָמוּת haec poſuit: מִיתְנַמוּת לָא נֵחֵי *quia morituri ſumus, non vivamus*, vel: *ex quo mortui fuerimus, non reviviſcemus.*

14. וְנִגְלָה בְאָזְנָי יְהוָה צְבָאוֹת *Revelatus eſt in auribus meis Jova*, i. e. revelavit ſe Jova mihi; נִגְלָה eſt ſumendum ſenſu reciproco, ut 1 Sam. II, 27. III, 21. eadem locutione. Inutilis igitur eſt Lowthi conjectura,

בְּאָזְנַי

בְּאָזְנָי inter et יְהוָה vocem קוֹל deesse. Alexandrinus et Syrus non extulerunt בְּאָזְנָי, sed בְּאָזְנֵי, ut sensus sit: *revelatum est in auribus Jovae*, scil. quod Israelitae turpi securitati sese tradunt, Jovae, Dei sui, obliti. Id Michaeli quoque, Koppio, Dathio, et Doederleinio placet. Accenset Eichhorn *Einleit. in das alte Testam.* P. I. §. 218. hanc varietatem iis locis, quae in textu Hebraico ad Paraphrasin Chaldaeam punctata sunt. Ea h. l. talis est: אֲמַר נְבִיָּא בְּאוּדְנַי הֲוֵיתִי שָׁמַע כַּד אִתְגְּזַר דָא מִן קֳדָם יְיָ צְבָאוֹת *Dicit propheta: in auribus meis auditum est quando decretum est hoc a Jova exercituum Deo.* אִם־יְכֻפַּר הֶעָוֹן הַזֶּה לָכֶם עַד־תְּמֻתוּן *Si vobis expietur haec iniquitas, usque quo moriamini,* scil. non vivam! quae verba in jurisjurandi formulis omitti solent. Sensus est: nullo piaculo veniam vestrae proterviae impetrabitis; per reliquam vitam poenas mihi luetis. Chaldaeus verba עַד תְּמֻתוּן vertit: עַד דִּי תְמוּתוּן מוֹתָא תִנְיָנָא *usque quo moriamini morte secunda*, i. e. morte gravissima, quae est interitus animae in futura vita.

CAP. XXII. 1. *Effatum in vallem prospectus. Quid tibi nunc est, ut universa in tecta ascenderis?*

2. *Vociferationibus plena, civitas strepera, urbs laeta? Occisi tui non sunt confossi gladio, neque in acie mortui.*

3. *Omnes principes tui una fugerunt: sine arcu sunt capti: omnes tui qui praesto adsunt, pariter vincti sunt; procul aufugerunt.*

4. *Propterea dixi: avertite vos a me, amaro fletui meo indulgebo, ne instate mihi consolando ob vastationem filiae populi mei.*

5. *Etenim dies perturbationis, vastationis et trepidationis adest a Domino Jova Omnipotente in valle prospectus. Diruitur murus, clamor it ad montem!*

6. *Elamita gestat pharetram; cum curribus adsunt homines et equites; murum protectore nudant.*

7. *Delectissimae tuae valles refertae sunt curribus, equites obsident portas.*

8. *Retectum est velum Judae, et vos eo tempore respicitis ad arma domus sylvae.*

9. *Videtis multas esse rupturas urbis Davidicae, aquas piscinae inferioris colligitis.*

10. *Numeratis domos Hierosolymorum, diruitis eas ad sarcienda moenia.*

11. *Lacum facitis inter duos muros recipiendis aquis piscinae veteris. Sed non respicitis ad eum, qui illud paravit, neque attenditis ad eum, qui haec inde a tempore longinquo formavit.*

12. *Vocavit vos Dominus Jova, summus imperator, ad planctum, ad calvitiem, atque ad induendum saccum.*

13. *Sed en! gaudium et laetitia! Mactantur boves, jugulantur oves, editur, bibitur! Edamus et bibamus, nam cras moriemur!*

14. *Sed revelavit se in auribus meis Jova, exercituum dominus: profecto non ignoscetur vobis hoc scelus, donec moriamini! Sic fatus est Jova, summus imperator.*

CAR-

CARMEN NONUM DECIMUM.

Cap. XXII. vs. 15. usque ad fin.

ARGUMENTUM.

Fuit Hiskiae praefectus palatio, Sebna nomine, inter malos et impios illius temporis proceres haud dubie primarius. Huic propheta hoc carmine praenunciat, eum cum turba eorum, qui ipsi adhaererent, a praesenti dignitatis statu iri deturbatum et ex terra Cananaea depulsum in oras externas; frustra igitur esse, quod sibi et familiae suae sepulchrum tam splendidum Hierosolymis exstrueret (vs. 15—19.). In ejus locum substitutum iri Eliakimum, qui genti suae magno praesidio sit futurus (vs. 20—24.). Epilogus, quo propheta sententiam in Sebnam confirmat, oraculum hoc concludit (vs. 25.).

Quodsi in quem hoc oraculum directum est Sebna idem fuerit cum eo, qui infra XXXVI, 3. una cum Eliakimo in Assyriorum castra missus dicitur, sed סֹפֵר *scriba* ibi appellatur; hoc oraculum editum esse oportet, antequam Senacheribus Hierosolyma obsideret; nam infra XXXVI, 3. 22. XXXVII, 2. Eliakimum ea dignitate, quam Sebna tum obtinuit, cum hoc effatum editum est, ornatum ad Senacheribum missum legimus. Sed cf. not. ad vs. 15. Hanc particulam vernacule translatam et illu-

 stratam

ſtratam ab Eichhornio reperies in *den hebräiſchen Propheten* T. I. p. 276 ſeqq.

---

15. Ut praedictioni ſuae auctoritatem conciliaret vates, mandatum ad ſe delatum eſſe ait a Jova, ne proprio affectu ductus illam vulgaſſe videretur. Sebnam docet propheta fuiſſe עַל־הַבַּיִת *praefectum palatio*, et hoc nomine eum vocat הַסֹּכֵן, in quo vertendo tamen in diverſa abeunt interpretes, quum nec de ſignificatu dictionis עַל־הַבַּיִת inter ſe conſentiant. Veteres interpretes ea *praefectum templo* indicari exiſtimarunt, et finxerunt, Sebnam fuiſſe Pontificem, ἀρχιερέα, theſauris templi, et aerario ſacro praefectum. Ita Hieronymus, Euſebium ſequutus, qui in hanc opinionem incidit verſione Graeca Alexandrina motus, in qua pro verbis hebraicis לֶךְ־בֹּא אֶל־הַסֹּכֵן ponitur πορεύου εἰς τὸ παστοφόριον, ſive, ut eſt apud Procopium, εἰς τὸ παστοφορεῖον, quod Olympiodorus per γαζοφυλάκιον interpretatur, conclave Templi, Hebraice לִשְׁכָּה dictum, de quo vid. not. ad Ezech. XL, 17., cf. 1 Maccab. IV, 38. 57. Cepit interpres Graecus הַבַּיִת elliptice poſitum pro בֵּית יְהוָֹה ſive בֵּית אֱלֹהִים *domo Dei*, i. e. templo, et hinc אֲשֶׁר עַל־הַבַּיִת (pro אֲשֶׁר מְמֻנֶּה עַל־הַבַּיִת pro *praefecto domui Dei*. Erat quidem inter praefecturas ſacerdotales in templo aliquis τῶν θησαυρῶν φύλαξ, *theſaurorum* ſacrorum *cuſtos*, qualem Josephus *Antiqq.* L. XIV. Cap. VII. §. 1. Eleazarem quendam ſacerdotem appellat, et fuit etiam recentiore tempore inter ſacerdotes aliquis στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ, qualis dicitur Lucae in Actis IV, 1. V, 26., excubiis militum Judaeorum in templo praepoſitus, Talmudicis איש הר הבית *vir montis Templi* dictus (vid. Tractat. *Middoth.* Cap. I. §. 2., cf. Lightfooti *Horr. Hebrr.* ad Luc. XXII, 4.); ſed Pontifex nunquam dictus eſt Judaeis אֲשֶׁר עַל־הַבַּיִת *praefectus domui*,

mui, et si hic designaretur, titulo sibi proprio esset insignitus. Unico loco 2 Chron. XXXI, 13. dicitur נְגִיד בֵּית הָאֱלֹהִים *princeps domus Dei*; sed appellatio est insolentior, et χαρακτηρίζεται per בֵּית הָאֱלֹהִים. Sed ex aliis V. T. locis constat, unum e praecipuis ministris in aulis regum illis temporibus fuisse, qui diceretur עַל־הַבַּיִת *praefectus domui*. Certe Genes. XLI, 40. Josephus a Pharaone constituitur עַל־בֵּיתִי *super domum ejus*, et 1 Reg. IV, 6., ubi recensentur ministeria regiae Salomonis, Achisar nominatur עַל־הַבָּיִת *praefectus palatio*; vid. et 1 Reg. XVIII, 3. Tota haec pericopa arguit, munus aulicum fuisse, quo Sebna est functus, praesertim versus 21. 22. 23., ubi Eljakimo, Sebnae substituendo, committenda dicitur *clavis* בֵּית דָּוִד *domus Davidis*, i. e. palatii regii. In altero, quo Sebna hic insignitur, nomine, סֹכֵן, interpretando veteres interpretes fluctuant. Aquila vertit τὸν σκηνοῦντα, quod sequutus Hieronymus reddidit: *ad eum, qui habitat in tabernaculo*, ad quae in Commentario: *praecipitur prophetae, ut ingrediatur ad eum, qui habitat in tabernaculo, quod Hebraice dicitur Socken. Tabernaculi* nomine, ut ex his quae sequuntur, colligere est, *thalamum* (conclave aliquod) *templi* intelligit, *in quo habitabat praepositus templi*; male ille quidem, quum versus 21. 22. doceat, *domum*, cui Sebna praefectus, non templum fuisse, sed domum *Davidis*, palatium. Proximus illi Symmachus, qui σκηνοποιοῦντα, *tuguria facientem*, vertit obscurum, quo sensu. פַּרְנְסָא Chaldaeus vertit, i. e. *distributorem alimentorem, dispensatorem alimentorum, thesauris praefectum*, a פַּרְנֵס *alere* ita Chaldaeis dictum. Quod sequuti Aben-Esra et Kimchi exponunt per מקיר על חממון, vel על האוצר *praefectum thesauro* repetuntque ejus significatum e voce מִסְכְּנוֹת *promtuaria, apothecae*, Exod. I, 11. 2 Chron. XXXII, 28. Hinc et Vitringa *promum condum*

dum vertit. Quae quidem interpretatio reliquis veriſimilior; eſt enim *praefecti domui*, toti familiae praepoſiti, τοῦ διδόναι ἐν καιρῷ τὸ σιτομέτριον, *tempore ſuo cuique dimenſum ſuum distribuere*, ut οἰκονόμος Luc. XII, 42. deſcribitur. Bene Saadias ad hebraeum סֹכֵן exprimendum uſus eſt arabico وكيل *procurator, adminiſtrator*. J. D. Michaelis in *Supplementt. ad Lexx. Hebrr.* P. V. p. 1756., duo proponit derivatione diverſa, re eadem: „סֹכֵן, inquit, ſi hebraeum verbum ſignificavit, ut Arabicum سكن, *familiaris fuit*, *familiarem regis* intellexerim, i. e. *amicum*, cum quo converſari ſolet, non tam conſiliarium, quam aulicum, ſed qui bona ſuadere aut mala multa poteſt, populi et pater eſſe, et hoſtis. Haec ſignificatio verbi ſi dubia, poſſis mutatis vocalibus סֻכָּן ad סוּכָה referre, non jam, *tugurium*, ſed ex octava ſignificatione p. 1747. *adytum*, *receſſus* intimior regis, *cubiculum*, ut nos diſcimus. Sic eadem manente ſententia erit *cubicularius*, noſtri ſeculi vocabulis, *Cammerherr*, *Chambellan*.“ Doederlein hunc verſum ſic vertit: *mandavit mihi Jova, ut adirem artificem quendam, qui operas exercebat, pro Sebna etc.* „Vates," addit in nota ſubjecta, „non adit Sebnam, ut vulgo ſtatuitur, ſed סֹכֵן, *artificem*, quem in ſtruendo mauſoleo Sebnae occupatum videbat. De voce סֹכֵן conf. Eccleſ. IX, 15, 16. ubi ſine dubio hominem laboris ſtudioſum ſignificat.“ Sed eo loco non סֹכֵן, verum מִסְכֵּן exſtat, quod *pauperem* ſignificare non eſt dubium. Praeterea illi interpretationi obſtat et hoc, quod in iis, quae proxime ſequuntur, non ad artificem, ſed ad Sebnam ipſum manifeſte oratio convertitur. Quod diverſis praepoſitionibus אֶל et עַל utitur vates in brevi hac ſententia, לֶךְ־בֹּא אֶל־הַסֹּכֵן הַזֶּה עַל־שֶׁבְנָא, nulla quaerenda eſt emphaſis, quaſi dicere voluerit, ſibi mandatum fuiſſe non ſolum ut Sebnam adiret, verum etiam, ut vaticinium ad-

adversus eum pronunciaret. Sed עַל simpliciter pro אֶל ponitur, ut recte observat Kimchi, adducto loco 1 Sam. I, 10. יִתְפַּלֵּל עַל־יְהוָה *orabit ad Jovam.* Sunt, qui *Sebnam*, cujus hic mentio fit, eundem existiment virum esse, qui in historia Hiskiae sd *Tarthanem* et *Rabsacen*, et deinceps ad Jesajam cum *Eliakimo* jam tum palatii praefecto, delegatus fuisse dicitur, et appellatur שֶׁבְנָא הַסֹּפֵר, *Sebna Scriba*, infra XXXVI, 3. 22. 2 Reg. XVIII, 18. XIX, 2; verum id rem rite expendenti parum videri queat probabile. Nec enim videtur, salva dignitate sua, ex superiore praefectura in inferiorem detrudi potuisse; nec Hiskias rex in caussa tam difficili et dubia, maxime in legatione ad Jesajam, uti voluisse opera viri, cujus probitas, religio et in prophetam affectus, ipsi explorata non essent. Putem igitur omnino cum Vitringa, hunc alium fuisse, a priore diversum, licet cognominem. Sub finem commatis codd. Kennicott. duo habent וְאָמַרְתָּ אֵלָיו; concinunt Alexandrini, καὶ εἶπον αὐτῷ, et reliqui veteres interpretes, praeter Saadiam. Nec tamen necessarium est, haec verba textui inserere, quod Lowthus vult, cum horum vocabulorum omissione nil frequentius fit in libris Hebraicis, vid. e. c. Ps. II, 3. supra XIV, 8. et vel ipso hoc cap. XXII, 13.

16. Reprehendit propheta fastum et superbiam hujus hominis, qui de status fortunarumque suarum stabilitate tantam animo conceperat fiduciam, ut sepulchrum splendidum et magnificum sibi condere statueret. Probabile est, Sebnam, cum propheta eum adiret, fuisse in ipso illo loco, ubi sepulchrum sibi condere statuerat, idque splendidum et magnificum, in vicinia, uti videtur, sepulchrorum regiorum, quare vates eum his verbis alloquitur: מַה־לְּךָ פֹה וּמִי־לְךָ פֹה *quid tibi hic? et quis tibi hic?* i. e. quid tibi negotii est in hoc

hoc loco, regiis sepulchris honestato, monumentum condere? aut quem tuorum hic repositum demonstres, ut tibi id juris esse evincas? Ita Jarchi ad verba, quae mox sequuntur, חֹצְבִי מָרוֹם קִבְרוֹ, *excidens in alto sepulchrum suum:* שחקב לו קבר בקברי בית דוד ליקבר בין המלכים לכך הוא אומר לו מה ירושה לך בקברות הללו ומי ממשפחתך קבור כאן *qui caedit sibi sepulchrum inter sepulchra domus Davidicae, ut inter reges sepeliretur; unde ei dicit* vates: *quaenam tibi possessio est in istis sepulchris? et quisnam ex familia tua hic sepultus est?* Tradunt praeterea Hebraei, Sebnam non fuisse ortu Hierosolymitanum, sed exterum, humili loco natum, cui sors vivendi faverit in re dignitateque sua longe supra natalium merita amplificanda. Sic Jarchi et Kimchi. Grotius quoque, videri hominem fuisse externum, ut Doëg. Unde quod dicitur: *quis tibi hic?* interpretatur: quis tibi hic cognatus est? fere ut Aben Esra: quis tibi hic est e familia, a quo opem exspectes? Minime haec sunt improbabilia; et si sumantur vim addunt verbis prophetae; et posset etiam obscurorum natalium argumentum esse, quod Sebna non adjecto patris nomine memoratur, ut Eljakimus infra vs. 20. Arrogantiam igitur Sebnae isti vates exprobrat his verbis: quid tibi in mentem venit, כִּי־חָצַבְתָּ לְּךָ פֹּה קָבֶר *quod excideris tibi hic sepulchrum?* Non sine emphasi repetit פה *heic*, hoc ipso in loco, qui tibi minime competit, quippe qui regiis destinatus est, sepulchris. Reliqua hujus versus addita sunt per parenthesin, continentque non verba prophetae ad Sebnam, sed enarrantis sunt, et describentis locum, quo Sebna sepulchrum sibi paraverit, ut lectores superiorum verborum vim magis sentiant. חֹצְבִי מָרוֹם קִבְרוֹ *Excidens* enim erat *in alto sepulchrum suum.* חֹצְבִי *Excidens*, i. e. *excidi sibi curavit* regale monumentum, pro חֹצֵב. Jod est paragogicum ut Genes. XLIX, 11. אֹסְרִי pro אֹסֵר *ligans.*

מרום

מָרוֹם pro בַּמָּרוֹם *in altitudine*, i. e. in alta petra, conf. Hab. II, 9. חֹקְקִי בַסֶּלַע מִשְׁכָּן לוֹ *Designabat in rupe habitationem sibi.* חֹקְקִי *Incidens* designans, ut infra XLIX, 16. Ezech. IV, 1. Ad typum propositum insigni opera efformari sibi curabat sepulchrum in *rupe* quod absque magna opera et sumtu fieri non potuit. מִשְׁכָּן *Habitatio* hic esse *sepulchrum*, et prorsus respondere τῷ קֶבֶר, multis exemplis ex scriptoribus Arabicis probavit A. Schultensius in *Animadverss. Philologg.* ad h. l. Sic e. c. in Historia MSta *Taudadae*, virginis eruditae, quod prius قبر dictum erat mox nomine مسكن insignitur; nam Arabicum سكن tam *habitare*, quam *decumbere in sepulchro*, *sepeliri* denotat. Nec minus voces بيت, أم, منزل, *mansionem* simul et *sepulchrum* denotant; exempla satis multa praebet Schultensius l. c. Similiter apud Latinos *domus* de sepulchro usurpatur. Ut apud Tibullum Eleg. III, 2. *marmorea domus*, et *domus aeterna* in Inscriptionibus. Hebraeorum autem sepulchra, saltem honestiora, quaeque familiis principibus patria erant et gentilitia, speluncae erant amplae, ex nativa rupe, arte manuque excavatae, laqueari testudinato, quaedam tam spatiosae, ut columnis suffulcirentur. Multa hujusmodi conditoria etiamnum in Judaea visuntur; duo prae ceteris magnifica, quae regum habentur sepulchra, alterum in ipsis Hierosolymis cellas habens viginti quatuor; alterum bis totidem continens, in urbis pomoerio. Conf. Maundrell *Itiner.* p. 76. Arvieux *Memoires* T. II. passim.

17. Verba מְטַלְטֶלְךָ טַלְטֵלָה גָּבֶר quae proprie sonant: *projicit te projectu viri*, i. e. virili, vehementi, Hieronymus sic interpretatur: *ecce Dominus asportari te faciet sicut asportatur gallus gallinaceus*, docetque in

in Commentario allegorico, quod vocem גֶּבֶר *gallum gallinaceum* verterit, se debere Hebraeo illi, *qui ipsum in Veteris Instrumenti lectione erudivit.* Idem interpretamentum legitur etiamnum apud Jarchium, qui verbis hisce adscripsit: כתרין תרנגולא דמטלטל מאתר לאתר *sicut gallus gallinaceus, qui de uno loco in alium transfertur.* Hausit ex allegoricis expositionibus, quarum Hebraeus ille magister Hieronymi non fuit imperitus, estque interpretatio inde profecta, quod vox גֶּבֶר Talmudicis usurpatur significatione *galli gallinacei*, sed cujus nullum in veteri Hebraismo exemplum est. Piscator haec verba una cum iis quae proxime sequuntur, וְעֹטְךָ עָטֹה sic vertit: *ecce Jova contegit te integumento*, integumento *viri*, *et amicit te splendide.* Sic referenda essent verba ad dignitatem eam quam tunc gestabat Sebna, et plane contrarium ejus significarent, quod vulgo recepta interpretatio exhibet. Retulit Piscator dictionis מְטַלְטֶלְךָ טַלְטֵלָה ad radicem טָלַל, quae significatum *tegendi* obtinet. Sed parum probabile est, in vaticinio, quod in eo versatur, ut Sebnae arrogantiae poenam denunciet, prophetam inducere Jovam tanquam qui Sebnam dignitate praefecturae palatii ornaverit, neo quorsum id commemoraverit apparet, ut taceamus, verba *tegere* quem et *operire* admodum incommode usurpari de *toga honorifica*, qua quis dignitatis causa induitur. Non dubium, voces illas referendas esse ad radicem obsoletam טול, quae in formis Hiphil et Hophal significatu *jaciendi*, *projiciendi*, *prosternendi* usurpatur, ut hic forma Piel sive Pilel, מְטַלְטֵל. Interpretationi receptae, *projiciam te projectione viri*, opposuit quidem Bochartus *Hieroz.* P. II. L. I. Cap. XVI. §. XII. T. II. p. 686. edit. Lips., primo quidem, posse nullo alio exemplo probari, *projectionem viri* esse violentam, nam cum alias legimus *viam viri*, *tristitiam viri*, et similia, neminem esse, qui de *vehementia* cogitet.

Dein-

Deinde vero, obſtare rationem grammaticam, quod טַלְטֵלָה in ſtatu abſoluto poſitum cum גָּבֶר commode conſtrui non poſſit; debere ſecundum analogiam eſſe טַלְטֵלַת גָּבֶר. Quae quum ita ſint, haec verba ſic potius interpretanda cenſet: *Jova deportabit te deportatione, o vir*, ut גָּבֶר ſit caſu quinto, pro הַגָּבֶר, vel אַתָּה הַגָּבֶר, i. e. etiamſi vir ſis, magna dignitate et poteſtate ſpectabilis, Deus te tamen proſternet vel deportabit. Ita jam Syrus: ܗܐ ܡܪܝܐ ܡܫܕܐ ܫܕܐ ܠܟ ܓܒܪܐ *en! Dominus projiciendo projicit te, o vir!* Aben-Esra quoque et Kimchi notant, טלה גבר היא קריאה *vocem* גֶּבֶר *eſſe Vocativum.* Pater Davidis Kimchii, Joſephus, qui ex noſtra ſententia, טַלְטֵלָה גָּבֶר explicuit טלטול גדול וכבד *projectionem magnam et gravem*, ut ſe expediret difficultate illa Grammatica; vocem גֶּבֶר ſumſit pro voce adjectiva ſignificatione *fortis, validi*, et ה finale in voce טַלְטֵלָה pro *paragogico*, non pro *terminatione generis feminini.* Cui ſententiae tamen obſtat, quod טַלְטֵלָה accentum (Tiphcha) appoſitum habet ſyllabae ultimae, quod argumento eſt, ה eſſe feminini notam; ſi paragogicum eſſet, vox deberet eſſe *penacuta.* Nihil tamen difficultatis in conſtitutione verborum טַלְטֵלָה גֶּבֶר erit, ſi locutio ſtatuatur eſſe elliptica, omiſſo טַלְטֵלַת, ut ſententia integra ſit haec: מְטַלְטֶלְךָ טַלְטֵלָה טַלְטֵלַת גָּבֶר *projiciet te projectione, projectione* inquam, *viri* Ellipſis haec frequentis eſt uſus, et Kimchi ipſe in Grammatica ſua expedivit plura loca, in quibus Grammatici obſervant enallagen ſtatus *abſoluti* pro *conſtructo*, ut Buxtorfius jam monuit in *Theſauro Grammatico* L. II. Cap. IV. p. 365., et exemplis ex illo adductis illuſtravit. Sunt inter ea Ezech. XXII, 18. סִיגִים כֶּסֶף *ſcoriae argenti*, pro סִיגִים סִיגֵי כֶּסֶף; et Prov. XXII, 21. אֲמָרִים אֱמֶת *dicta veritatis*, pro אֲמָרִים אִמְרֵי אֱמֶת. Propheta autem ellipticum hunc loquendi modum emphaſeos cauſa elegit

cujus aliud etiam argumentum est in formis geminatis מְטַלְטֵל et טַלְטֵלָה. Dicit igitur propheta, Deum prostraturum esse hominem illum superbum *projectu virili*, i. e. valido, vehementi, cui non posset resistere. Cui interpretationi non obstat, quod Bochartus l. c. obvertit, desiderari exemplum loquutionis טַלְטֵלָה גָּבֶר. Neque omnium loquutionum exempla dari possunt. Sufficit omnino, interpretationem φράσεως fundatam esse in genuina significatione vocum, ex quibus constructa est, quod hic obtinet. Vox גֶּבֶר in emphasi sumta notat *virum validum*, *robustum*, ut Job. XXXVIII, 3. אֱזָר־נָא כְגֶבֶר *accinge*, *age*, *ut vir*, *lumbos tuos*. Apud Latinos haec emphasis nominis *vir* recepti est usus in phrasibus: *si vir es; praesta te virum*. Verba hujus versus postrema, וְעֹטְךָ עָטֹה, verbo עָטָה usitato suo significatu sumto, proprie sonant: *operit te operiendo*. Quod tamen quid sibi velit quum non clare pateat, interpretes in diversas sententias distraxit. Hieronymus: *et quasi amictum sic sublevabit te*. Ad quae in Commentario: „quomodo singuli hominum levant in scapula pallium suum, sic tua facilis erit in captivitatem translatio.“ Sed *sublevandi* notio verbo עָטָה falso tribuitur. Chaldaeus: וִיחַפֵּנָךְ בַּהֲתָא *et obteget confusione*, s. pudore. Petiisse hanc interpretationem videtur e Ps. CIX, 29. *Vestiantur calumniatores mei ignominia*, וְיַעֲטוּ כַמְעִיל בָּשְׁתָּם *et operiantur tanquam pallio pudore suo*. Cf. Ps. XXXV, 26. Ad quam interpretationem proxime accedit Vitringa, qui sensum horum verborum ita exponit: cum tu, Sebna, hoc tempore summa claritate floreas, et cum maxime nitaris structura splendidi monumenti memoriam tui nominis transferre ad posteros, efficiet Dominus, ut nomen tuum obscuretur et vilescat, et probro ac ignominia obtegatur. Similiter Syrus: ܡܛܥܝܐ ܢܛܥܐ ܠܟ *oblivifcendo obliviscetur tui*.

tui; nisi interpres scripserit ܡܛܠܠܘ ܢܛܠܟ ܠܟ *delendo delebit te* [s. potius *obtegendo obteget te*, nam utitur eo verbo Syrus interpres Jac. V, 20. pro Graeco καλύψει, ab operiendo, ut amplius non appareat, ducta *delendi* notio], uti suspicatur J. D. Michaelis in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* p. 1883., qui tamen ipse, uti Storrius in *Observatt. ad Anal. et Syntax. Hebr.* p. 317., collato Arabico عطّ *prehendit* vertit: *prehendit te prehendendo*, i. e. valide, quod aptissimum sit ad imaginem *pilae* projectae, vs. sequ. Fatetur tamen Michaelis, posse hic et *tegendi*, *operiendi* significationem locum habere, qua adscita J. H. Michaelis vertit: *operiet te*, i. e. faciet ut nomen tuum sit ignotum. Sane nullo facile exemplo probari poterit, hebraeum עָטָה significatum arabici عطّ obtinere. Nam 1 Sam. XV, 19. XXV, 14. quae loca pro *prehendendi* notione adduci solent, וַתַּעַט et וַיָּעַט sunt referenda ad עִיט s. עוּט, quod ab עַיִט *volucris rapax* notat *involare*, *irruere* in aliquid, unde illis locis cum אֶל et ב construuntur. Quem ipsum significatum et huic loco accommodat Jarchi, qui verbis וְעֹטְךָ עָטֹה adscripsit: כמו ויעט בהם לשון עיט ופריח בגלות כעוף, i. e. עָטָה *hic capiendum est ut* 1 *Sam. XXV*, 14. וַיָּעַט בָּהֶם *involavit in eos*, *ab* עַיִט volucris, *ut sensus sit: avolare te faciet in exilium.* Quae tamen interpretatio vel ideo admitti nequit, quod verba hebraica formae sunt *Kal* adeoque significationis *intransitivae*. Simplicissimum est vertere: *operiet te operiendo*, i. e. plane ignobilem te reddet, ut Vitringa exposuit. Ceterum hic illa linguae Hebraicae proprietas locum habet, qua pro adverbio *intendendi* verbo finito seu Participio ejusdem verbi infinitivus *conjugatus* ita additur, ut vim gerundii in *do* obtineat, v. c. Esaj. LXVI, 10. *laetamini cum ea laetando*, מָשׂוֹשׂ, i. e. vehementer gaudete; Jerem. XLVI, 5. מָנוֹס נָסוּ *fugiendo*

 fugi-

fugiunt, i. e. concitate fugiunt. Et quamquam hujusmodi dictionis vis uſu ſaepe ita minuitur, ut infinitivus adjunctus nihil ad verbi poteſtatem addat; noſtro tamen loco infinitivum non omni vi deſtitutum eſſe et antecedentia, vs. 17., et conſequentia, vs. 18., quae certe emphatica ſunt, docent.

18. צָנוֹף יִצְנָפְךָ צְנֵפָה כַּדּוּר *Convolvendo convolvet te convolutione inſtar pilae.* Male interpretes nonnulli verbum צָנַף vertunt *volutare*, cum tamen nihil ſignificet praeter *obvolvere*, ut patet ex Levit. XVI, 4. et derivatis צָנִיף et מִצְנֶפֶת, *cidaris*, tegumentum capitis per plures gyros ei circumvolutum, a *circumvolvendo* dictum. Itaque potius vertendum: *convolvendo convolvet te convolutione* (conjungitur hic infinitivus generis *maſculini* et *feminini*) *tanquam pilam*, h. e. in figuram quaſi globatam te colliget, quo facilius te loco deturbare ac per regiones dispergere poſſit. דּוּר, coll. Arab. دور, *circumegit, in gyrum egit, in orbem egit*, *pilam* ſignificat a *rotunditate*, vel quod *circumagatur*, ut גַּלְגַּל a גָּלַל, conf. A. Schultensium in *Animadverſſ. Phil.* ad h. l. Jova ſaepe dicitur *impios* habere tanquam *pilas*, veluti Pſ. LXXXIII, 14. Quod autem ſequitur, אֶל־אֶרֶץ רַחֲבַת יָדַיִם *ad terram latam ſpatii*, i. e. ſpatioſam (cf. phraſin Geneſ. XXXIV, 21. Pſ. CIV, 25.), ita eſt intelligendum: ut *pila*, in aequum et latum campum a valida manu projecta longe excurrit, dum impetu lata, nullum offendit repagulum; ſic projectum a manu Jovae Sebnam in longe diſſitas delapſurum oras. Atque ut omnem in patriam redeundi ſpem ei praecidat, addit, in exteris terris illum occubiturum (שָׁמָּה תָמוּת *ibi morieris*), atque adeo nullum unquam uſum percepturum ex ſepulchro ſplendido, quod memoriae ſuae Hieroſolymis exſtruebat. Quae ſequuntur, וְשָׁמָּה מַרְכְּבוֹת כְּבוֹדֶךָ קְלוֹן בֵּית אֲדֹנֶיךָ plures ſic interpretantur: *et ibi currus glo-*

gloriae tuae, ſplendida, magnifica, quibus ſuperbiebas, erunt *ignominia domus domini tui*, i. e. currus, quibus tanto cum faſtu Hieroſolymis vehebaris, dedecori erunt familiae regiae, quae tam malum virum ſic ornaverat, poſtquam juſtas poenas dederat. Chaldaeus: ותמן רתיכי יקרך יהובון בקלן על דלא נטרתא יקר בית רבונך *et ibi quadrigae gloriae tuae convertentur in ignominiam propterea quod non conſervaſti gloriam domus domini tui.* Sed quum accentus distinctivus major Sakeph-katon voci כבודך impoſitus, verba קלון בית אדניך ab iis, quae praecedunt, dirimat; equidem iis accedo interpretibus, qui verba tria poſteriora pro Vocativo capiunt, hoc modo; *et ibi carpenta gloriae tuae* erunt, *o probrum domus domini tui*, i. e. o tu, qui aulae regis pii dedecori es, ſplendido tuo curru extorris et ignobilis in peregrina veheris. Hieronymus haec verba quidem ita vertit, quaſi poſtrema verba pro Vocativo ceperit: *et ibi erunt currus gloriae tuae, ignominia domus domini tui;* ſed in Commentario iis haec adſcripſit; „Sicut enim pila ſi mittatur in proclive, ſtare non poteſt, ſed veloci curſu volvitur; ita et tu ad terram latiſſimam deduceris, quam aut Aegyptum, aut Babyloniae campos intelligamus, ibique morieris, et ibi erunt currus gloriae tuae, omnes potentiae et opes, quibus nunc fultus incedis: ibi ſenties ignominiam domus Domini tui, quia propter opera mala et violatum templum Dei tui iſta patieris." Quum Sebnam Pontificis munere functum exiſtimaret Hieronymus (vid. ſupra ad vs. 15.); in promtu eſt, cur *domo domini ſui* templum intellexerit.

19. Quae hoc verſu continentur partem faciunt poenae ſuperiore verſu deſcriptae, et ad eam distinctius explicandam pertinent. Quum enim intelligi non poſſet, quo modo Praefectus Praetorio Regio ejiciendus eſſet in oras exteras ſalva dignitate, quam illo adhuc tempore

in domo regia ſuſtinebat; docet propheta, futurum eſſe, ut de ſtatu et dignitate ſua detruderetur, et remotus ab officio incideret in eam calamitatem, quam ei praenunciaverat. Etiamſi autem hoc vere *antecedens* eſſet prioris ut *conſequentis*; vates tamen id poſteriore loco memorat, ut orationem de imminutione Sebnae aptius cum ſequente pericopa, quae exaltationem Eljakimi deſcribit, conjungeretur. וַהֲדַפְתִּיךָ מִמַּצָּבֶךָ וּמִמַּעֲמָדְךָ יֶהֶרְסֶךָ *Et propulſabo te de ſtatione tua evertet te.* Nomen מַעֲמָד Hieronymus vertit *miniſterium*, ut 1 Reg. X, 5. de Salomonis miniſtris dicitur. Sed hoc in loco plane ut מַצָּב conditionem ſtabilem, *ſtatum firmum*, in quo quis ſubſiſtit et confirmatus ita videtur, ut non facile lapſurus videatur, deſignat. Ceterum quum hucusque Deum ipſum loquentem induxiſſet vates, in fine verſus mutat perſonam, et de Deo loquitur in perſona tertia. Qua perſonarum mutatione nil familiarius eſt prophetis. Sic infra XXXIV, 16. *Os meum praecepit, et ſpiritus ejus* (וְרוּחוֹ) *ipſe congregabit.* Non erat igitur, cur Lowthus pro יֶהֶרְסֶךָ primam perſonam אֶהֶרְסֶךָ reponendam cenſeret, ad Syrum atque Vulgatum provocans, qui ambo primam perſonam poſuerunt. Quod tamen minime arguit, illos in textu hebraeo ita legiſſe; ſolent enim hi interpretes, non minus quam noſtri, permutationes illas ſibi inſolitas vitare. Sic Alexandrino verbum utrumque perſona ſecunda paſſiva reddere placuit. Praeterea in verbis מִמַּעֲמָדְךָ יֶהֶרְסֶךָ conſtructio eſt quae dicitur praegnans: *de ſtatione tua* dejectum *evertet te* ac perdet.

20. In Sebnae locum *Eljakimum*, Hilkiae filium, ſucceſſurum praedicit vates. De illo nil habemus certi, praeter id, quod ex hoc loco colligitur, et ex hiſtoria temporis Hiskiae, ſive expeditionis Aſſyriacae, Sanheribo duce, quae in hoc ipſo libro C. XXXVI. percenſetur, ubi

ubi ipſe jam tum cum Aſſyrius Hieroſolymam tentaret, poſitus in gradu Praefecturae Palatii, tanquam primariae dignitatis vir, delegatus dicitur (vs. 11.) fuiſſe ab Hiskia, una cum Sebna, ſcriba, et Joaho, a commentariis regiis, ad colloquium cum Rabſace aliisque Aſſyrii legatis inſtituendum ſuper iniquis Aſſyrii poſtulatis; et rurſus circa idem tempus ad Jeſajam miſſus narratur, XXXVII, 2. Virum probum notaeque et expertae fidei illum fuiſſe, patet et inde, quod hic עֶבֶד יְהוָה, *ſervus Jovae*, ſtudioſus et obſequioſus Dei cultor vocatur, et verſu proximo patris inſtar Hieroſolymitanis futurus dicitur. Pro וְקָרָאתִי *vocabo* Chaldaeus אֲרַבֵּי *magnificabo* vertit, quemadmodum Onkelos, obſervante Kimchio, quod legitur Exod. XXXI, 2. *Ecce vocavi de nomine Bezalelem* vertit רַבֵּיתִי בְּשֵׁם בְּצַלְאֵל *amplificavi*, extuli, *de nomine Bezalelem*, et Num. I, 16. קְרִיאֵי הָעֵדָה *vocati coetus* ſunt *eximii* illius. *Vocari* ex uſu linguae dicuntur, qui ex inferiore gradu in ſuperiorem vocantur, et ad ſplendidiorem dignitatem evehuntur.

21. וְהִלְבַּשְׁתִּיו כֻּתָּנְתֶּךָ וְאַבְנֵטְךָ אֲחַזְּקֶנּוּ *Et induam eum tunica tua, et balteo tuo firmabo eum.* Haec verba eo haud dubie ſpectant, quod ſummae dignitati praefecti praetorio propriae et privae veſtes ſingularis ornatus fuerunt, pro more veterum, et Orientalium hodiernorum, vid. Paulsen *von der Regierung der Morgenländer*, p. 450. ſeqq. Caſaubonus ad Locum Athenaei Lib. I. Cap. XXIII, in quo Perſarum rex Themiſtocli inter alia dona dediſſe fertur ϛολὴν γάμβριον, haec adſcripſit: *lege et moribus diſtincta erant apud Perſas veſtimenta; alia fuit regi propria veſtis, alia regis cognatis conveniens, alia ejus generis et affinibus, alia amicis et proceribus. Is mos eſt in aulam Imperatorum Orientis poſtea translatus — — — ut apud Latinos Ornamenta conſularia, praetoria etc.* Ejus-

 modi

modi vestis, qua quis honoris causa a rege ornatur, Arabibus dicitur خلعة, praesertim *chlamys*, qua imperatores, Chalifae dicti, inaugurabantur, unde id ipsum nomen de investitura principis usurpatur, veluti in *Vita Timuri* T. I. p. 136. ed. Manger. In *balteis*[s] (אַבְנֵט) praecipuum decus fuisse constat, quos Orientis populi etiamnum auratos et saepe etiam gemmatos, inter praecipua habent vestimentorum suorum ornamenta. Dicit igitur vates, Deum vestiturum Eljakimum dignitate Sebnae, eumque in ea *confortaturum* (quomodo potestatem verbi אֲחַזְּקֶנּוּ recte expressit Hieronymus), quod propheta hic ornate ait, Deum lumbos Eljakimi *cingulo* Sebnae *confirmaturum*, fulturum. Quod additur, וּמֶמְשַׁלְתְּךָ אֶתֵּן בְּיָדוֹ *et dominationem tuam tradam in manum ejus*, ostendit amplissimam dignitatem praefecturae palatii, quae procul dubio conjuncta fuit cum aliqua potestate aut magistratu civili, et verba quae subjunguntur, וְהָיָה לְאָב לְיוֹשֵׁב יְרוּשָׁלַםִ וּלְבֵית יְהוּדָה *eritque in patrem incolis Hierosolymae et domui Judae*, docent, magnum emolumentum percepturos esse cives e praefectura Eljakimi. Ceterum vix monitu opus, יוֹשֵׁב collective esse sumendum. Quatuor codd. Kennicottiani, duoque Rossiani לְיוֹשְׁבֵי, in Plurali, habent. Inde vero quod Alexandrinus cum ceteris interpretibus veteribus in plurali vertit, nil certi potest colligi.

22. וְנָתַתִּי מַפְתֵּחַ בֵּית דָּוִד עַל שִׁכְמוֹ *Et imponam clavem domus Davidis humero ejus.* *Clavis* signum est curae et administrationis, nec non potestatis in ordinado gubernandoque statu totius familiae. Poterat quoque esse symbolum *praefecturae palatii*, et fortasse palatii praefecti vel *clavem* gestarunt, vel acceperunt solenni aliquo ritu, ubi muneri suo inaugurabantur. Certe non abludit a moribus gentium etiam antiquarum; et

et praefectos praetorio apud celebriores populos insignes fuisse quibusdam exterioribus sive symbolis sive ornamentis dignitatis, res nota est. Ne vero quisquam offendatur in eo, quod Noster *clavem humeris* Eljakimi imponendam dicit, observandum est, veterum claves ita fuisse formatas, ut *epomidi* adjunctae, sive per balteum ornatioris artificii ab humeris penderent, fere ad eundem modum, ut gladii apud veteres. Est apud Callimachum (Hymno in Cererem vs. 45.) locus, ex quo patet, sacerdotes Cereris hoc ornatu insignes fuisse, ubi ipse de Cerere, sacerdotis sui ordinis habitum mentita, ait: *κατωμαδίαν δ' ἔχε κλεῖδα· clavem autem habuit ab humeris pendentem;* ad quem locum de sacerdotibus Aedituis κλειδούχοις Spanhemius plura congessit. Cf. Jo. Meursii *Miscellanea Laconica* L. II. Cap. 17. Casp. Sagittarii libr. *de januis Veter.* c. 15. et Dan. Huetii *Pensées diverses* p. 253. וּפָתַח וְאֵין סֹגֵר וְסָגַר וְאֵין פֹּתֵחַ *Et aperiet et nemo claudet, et claudet, et nemo aperiet*, loquutio adagialis, qua significatur, administrationem et gubernationem rerum palatii regii ita committendam esse Eljakimo, ut inferiores ministros omnes sibi habiturus sit obnoxios et audientes dicto, statumque suum omnem ab ipso censerent dependere. Similiter apud Romanos *Praefecti palatio*, et apud Francos *Majores Domus* omnem fere rerum gerendarum curam in se susceperunt, et pro arbitrio omnia dispensarunt. Loquutio hic usurpata desumta est a vulgatis aedium minorum oeconomis, qui cellas et promtuaria recludunt et reclusa aperiunt ad dispensanda famulitio toti ad victum et curam corporis necessaria, cum qua cura conjuncta erat potestas in familiam, sua cuique munia, officia, statumque ordinandi, operas cujusque inspiciendi, dirigendi, et in eos, qui officio desunt, modica coercitione animadvertendi. E nostro loco phrasis petita est Apocal. III, 7.

23. וּתְקַעְתִּיו יָתֵד בְּמָקוֹם נֶאֱמָן *Et figam eum clavum in loco firmo.* Quum *clavorum* sive *paxillorum* geminus sit usus, vel, ut supellectilia, quae ad ornatum aut usum domus pertinent, ab iis suspendantur, vel ut tabulis, asseribus, trabibus compingendis inserviant; uterque metaphorice transfertur ad principes, et primariae dignitatis viros, qui certo loco positi alios inferiores sustinent, aut rempublicam sua prudentia muniunt firmantque. Posteriore sensu sumitur apud Zachariam X, 4., qui praedicit, futurum esse, ut e populo Judaico sumatur *angulus*, יָתֵד *clavus*, *arcus belli*, i. e. duces omnes civiles et militares. Prioris usus est Esr. IX, 8., ubi inter beneficia plura Deo praestita recensetur et hoc, quod Judaeis dederit יָתֵד בִּמְקוֹם קָדְשׁוֹ *clavum* s. paxillum *in loco suo sancto*, i. e. republica tandem rite constituta statum ejus firmarit. Sensus itaque nostri loci est hic, Jovam confirmaturum et stabiliturum esse Eljakimum in statu suo, haud aliter ac clavus in pariete non doloso fixus, certus immotusque persistit, quique praeterea aptus est ad sustinenda suppellectilia, quae ad usum et ornatum domus ab eo suspenduntur. Quod in iis quae sequuntur vs. 25. scite declarat, docetque, facturum esse plurimum ad firmitatem status Eljakimi, quod *tota domus paterna* per ipsum promoveretur ad dignitates praecipuas reipublicae et palatii, quos ut ipse sustineret tanquam clavus, supellectilia ab ipso suspensa ferens, sic ipsi vicissim statum Eljakimi plurimum firmarent et sustinerent. Huc pertinet, quod propheta hic addit, וְהָיָה לְכִסֵּא כָבוֹד לְבֵית אָבִיו *eum fore in sedem gloriae domui patris sui*, quorum verborum sensus vix alius esse potest nisi hic, omnes consanguineos, et affines Eljakimi ejus auctoritate et favore apud regem consequuturos esse splendida munia praecipuarum dignitatum reipublicae, urbis et aulae, easque dignitates secure et tranquille possessuros esse. Vox כִּסֵּא hic usurpatur

patur cum respectu ad *senatus civiles* aut *forenses*, qui in honoratioribus sedibus officio fungebantur, ut Ps. CXXII, 5. in encomio urbis Hierosolymitanae: *ibi locata sunt* כִּסְאוֹת *solia judicii*, *solia domus Davidis*. Inde *sedes* judicis injusti Amoso VI, 3. שֶׁבֶת חָמָס *sedes in qua vis exercetur*. Minime igitur vox כִּסֵּא arguit, Eljakimum e prole regia fuisse, ac proinde, quum summo honore frueretur in aula Hiskiae, quodammodo in majorum solio sedisse, uti Clericus opinatur.

24. וְתָלוּ עָלָיו כֹּל כְּבוֹד בֵּית־אָבִיו, *Et suspendent ab eo omnem gloriam domus patris ejus*, qua non est *domus Judae*, ut nonnulli volunt, intelligenda, sed domus Eljakimi paterna, seu ejus familia. Bene Chaldaeus: וְיִסְתַּמְּכוּן עֲלוֹהִי כָּל יַקִּירֵי בֵּית אֲבוּהִי *et innitentur super eum omnes nobiles domus patris ejus*. Sensus prophetae est, omnes, qui ex domo patris ejus promoverentur ad dignitates ipsi acceptum laturos esse hunc honorem. Addit: הַצֶּאֱצָאִים וְהַצְּפִעוֹת, quae verba Chaldaeus vertit בְּנַיָּא וּבְנֵי בְנַיָּא *filios et nepotes*. Aben-Esra et Kimchi intelligunt הַבָּנִים וְהַבָּנוֹת *filios et filias*. Prius ferri potest; posterius non est probabile, quia filiarum non est promoveri ad dignitates et honores. צֶאֱצָאִים non dubium est poni pro eo quod plene est infra XLVIII, 19. צֶאֱצָאֵי מֵעִים, propr. *egressiones viscerum*, vel 2 Chron. XXXII, 21. יְצִיאֵי מֵעִים *egressi viscerum* et phrasis יָצָא מִמְּעֵי פְלוֹנִי, Genes. XV, 4. 2 Sam. XVI, 11., *egressus est e visceribus alicujus*, idem valet quod alias est יָצָא מֵחַלְצֵי פְלוֹנִי, vel יָצָא מִיֶּרֶךְ e *lumbis alicujus egressus est*. Cf. Ebr. VII, 5. ἐξεληλυθότας ἐκ τῆς ὀσφύος Ἀβραάμ, et vs. 10. adhuc in lumbis patris ejus, i. e. nondum natus erat. Vocis צְפִיעָה, quum alias non occurrat, significatio definienda est ex affini צְפִיעִים, quod apud Ezechielem IV, 15. notat *excrementa* (cf. Schultensium ad Proverb. XXIII, 32. p. 305.): sed hoc nostro

noſtro loco contextus docet, vocem eſſe ſumendam ſignificatione *prolis*, *poſteritatis*, *quaſi e ſtirpe ſua protruſae.* Non improbabilis eſt Vitringae ſententia, ineſſe huic voci notionem ſimul ignobilioris et vilioris, ita ut illa deſignentur *conſanguinei* et *affines* Eljakimi *tenuioris conditionis*, ſed nunc per conſanguineum, maxima dignitate et auctoritate ornatum, evehendos et honorandos. Ceterum vates ipſe ſe interpretatur, dum addit: כֹּל כְּלִי הַקָּטָן מִכְּלֵי הָאַגָּנוֹת וְעַד כָּל־כְּלֵי הַנְּבָלִים *omne vas parvum, a vaſis craterum usque ad vaſa lagenarum*, h. e. tenuiores fortunae homines et obſcuri ad aulae et reipublicae ornamentum per affinem admovebuntur. כְּלֵי הַקָּטָן *Vaſa parvi* Kimchi interpretatur כלי השמיש הקטן *vaſa uſus minoris*, ſ. vilioris. Chaldaeus vertit: מֵרַבְרְבַיָּא וְעַד זְעֵירַיָּא *a magnis usque ad parvos*, quae autem ſequuntur, מִכְּלֵי הָאַגָּנוֹת וְעַד כָּל־כְּלֵי הַנְּבָלִים ita expoſuit: מִכַּהֲנַיָּא לְבִשֵׁי אֵפוֹדָא וְעַד בְּנֵי לֵוִי אָחֲדֵי נִבְלַיָּא *a ſacerdotibus indutis Ephodo usque ad filios Levi tenentes nablia.* Quam interpretationem Jarchi his verbis illuſtrat: הוה אגנות לשון כלי שרת שמשרתין בהם הכהנים בבית המקדש הנבלים שאומרים בני לוי בהן השיר *Vox* אַגָּנוֹת *ſignificat inſtrumenta miniſterii, quibus utebantur ſacerdotes in templo* [inter quae erant crateres ſ. pelves, quibus ſanguis victimarum excipiebatur, Exod. XXIV, 6.]; נְבָלִים *vero inſtrumenta ſunt muſica, quibus Levitae ad cantum utebantur.* Similiter Hieronymus: *a vaſis craterum usque ad omne vas muſicorum.* Ad quae in Commentario: „Quomodo paxillus ſi figatur in pariete Templi, et in loco firmiſſimo collocetur, omnia vaſa ſacerdotum et Levitarum, tam quae in ſacrificiis neceſſaria ſunt, quam omnis generis muſicorum ſuſpenduntur in eo; ſic omnis populus ex Eljacim ſervi mei poteſtate pendebit.“ Saadias hunc locum ſic eſt interpretatus: الي حلي الآنية ذوي

ذُوِي ٱلْإِجَانِينَ وَحُلِيِّ ٱللِّيوَانِيَّةِ ذَوِي تَسْبِيحٍ
usque ad ornatum sacerdotum, qui crateres tractant, et ad ornatum Levitarum, qui in laudibus Dei *versantur.* Quibus interpretibus omnibus inhaesit opinio de Pontificatu Eljakimi (quam recte vidimus supra ad vs. 15.); et quum נְבָלִים et *lagenas* notet, et instrumenti cujusdam musici nomen sit; heic posterius elegerunt; ac sane 1 Chron. XVI, 5. inter musica instrumenta memorantur כְּלֵי נְבָלִים, et XV, 16. בִּכְלֵי־שִׁיר נְבָלִים וְכִנֹּרוֹת *cum instrumentis musicis, nabliis et citharis.* Cf. et Ps. LXXI, 22. כְּלִי נֶבֶל *instrumentum nablii.* Syrus et אַגָּנוֹת pro *instrumento musico* habuit, vertit enim: ܡܢ ܡܐܢܐ ܕܙܡܪܐ ܘܥܕܡܐ ܠܡܐܢܐ ܕܟܢܪܐ *ab instrumento psalterii usque ad instrumentum citharae.* Sed אַגָּן duobus reliquis quibus in V. T. legitur locis, Exod. XXIV, 6. Cant. VII, 3. manifeste *craterem* notat, ut Arabicum أَجَّانَةٌ *lagena, phiala, crater, hydria,* ab أَجَنَ *lavare, eluere,* et Syris ܐܓܢܐ est *hydria,* et pro hac ipsa voce Graeca ponitur Joh. II, 6. 7. Tali jam vasi quum hic נְבָלִים jungantur, multo verisimilius est *lagenas,* s. *urceos,* ut infra XXX, 14. Thren. IV, 2., quam musica instrumenta intelligi. Quare nos Kimchio adstipulamur, qui eo quod utriusque generis vasa hic conjunctim memorantur, significari observat כלים שונים לתשמישים משונים *vasa varia ad varios usus.*

25. Hic versus epilogum continet, quo propheta confirmat sententiam in Sebnam pronunciatam, illustrans contrarium e contrario. Nam quum Eljakimi sors futura sit, ut in loco stabili fixus diu persistat, geratque decus et honorem omnem summae dignitatis; huic contrariam experturus sit Sebna, omni praerogativa dignitatis suae spoliandus et gravi casurus lapsu cum omnibus,

bus, qui favore ejus atque auctoritate hactenus nixi et ad dignitates aulae et reipublicae admoti fuerant. תָּמוּשׁ הַיָּתֵד הַתְּקוּעָה בְּמָקוֹם נֶאֱמָן *Recedet*, loco movebitur, *clavus ille fixus in loco fido.* Quae verba de Eljacimo intellexisse videtur Chaldaeus; ita enim illa interpretatus est: יִעְדֵי אֲמַרְכָּל מְהֵימָן דִּי מְשַׁמֵּשׁ בַּאֲתַר קַיָּם *auferetur praefectus fidelis qui ministrat in loco firmo.* Et Hieronymus haec scribit: „Quod autem sit: *in die illa auferetur paxillus, qui fixus fuerat in loco fideli*, et quae sequuntur, multi ad Sobnam referunt, quod Eljacim infixo paxillo, prior paxillus, qui infixus fuerat, corruat. Sed quia sequitur: *et peribit quod pependerat in eo*, quod dejecto Sobna nequaquam factum est, intelligimus hoc dici, quod deposito Sobna Pontificatum acceperit Eljacim, cujus sacerdotii dignitatem subvertit extrema captivitas." Cui sententiae totius hujus prophetiae argumentum et scopus adversatur. Recte Jarchi verbis תָּמוּשׁ הַיָּתֵד adscripsit: גדולתו של שבנא *magnitudo* s. dignitas *Sebnae* scil. recedet. Et Kimchi: זה משל על שבנא שהיה סבור שיהיה קים בכבודו עד יום מותו כמו שאמר חוצבי מרום קברו *Hoc figurate dicitur de Sebna, qui putabat, se in dignitate sua permansurum esse usque ad diem mortis suae, quemadmodum supra* [vs. 16.] *ait: qui exscidit in alto sepulchrum suum.* Clavus, inquit propheta ad Sebnam rediens, qui hactenus visus fuerat optime firmatus, luxabitur et de loco movebitur. Addit: וְנִגְדְּעָה וְנָפְלָה וְנִכְרַת הַמַּשָּׂא אֲשֶׁר־עָלֶיהָ *et exscindetur et cadet et abscindetur onus quod super eo*, quae Jarchi sic exposuit: בני משפחתו וסיעתו הנסמכין עליו והתולים בו כלי תפארת ולפי שדימהו ליתד דימה המתפארים בו תשענים עליו למשא שמטעינים על היתד i. e. (exscindentur) *qui sunt ejus familiae, ejusque sequaces, qui ei innituntur, et qui in eo suspendunt vasa gloriae suae; nam quoniam comparavit illum paxillo, ideo eos, qui illo glo-*

gloriantur eique innituntur, assimilat oneri, quod paxillo incumbit. Kimchi: כמו היתד הנופלת ונשברת שיפלו עמה הכלים התלוים בה ושברו כשבר נבל יוצרים כן יפול שבנא ממרום גדולת תפארתו ועמו אבדו הנלוים אליו וכל הבוטחים בו *Sicut paxillo elapso et fracto cum eo cadunt vasa in eo appensa, et franguntur ut vasa testacea, sic cadet Sebno de altitudine magnitudinis et dignitatis suae; et cum eo pessum ibunt qui se ipsi adhaeserant, et in eo fiduciam posuerant.*

CAP. XXII. 15. *Ita dixit mihi Jova, agminum Deus; ito, adi hunc dispensatorem, Sebnam, praefectum palatio.*

16. *Quid tibi hic? aut quis tibi hic? quod sepulchrum tibi hic struas? (Nam alto sepulchrum sibi excidebat, et in rupe excavabat sibi habitationem).*

17. *En vero Jova magna vi te projiciet, prorsus te cooperiet.*

18. *Convolutum instar pilae gyrabit te in regionem spatiosam: ibi morieris, et ibi erunt currus tui superbi. O probrum domus domini tui!*

19. *Propulsabo te de sede tua, et de statione tua dejectum evertet te.*

20. *Illo vero tempore vocabo servum meum Eljakimum, filium Hiskiae:*

21. *Eumque induam tunica tua, et balteo tuo cingam, et provinciam tuam ei tradam: is patris instar erit Hierosolymis et domui Judae.*

22. *Imponam humero ejus clavem domus Davidis, adeo ut ipse aperturus sit et nemo clausurus; ipse clausurus, et nemo aperturus.*

23. Pan-

23. *Pangam illum ut clavum in loco solido, eritque in solium gloriosum domui patris sui.*

24. *Pendebuntque ab ipso omnis gloria domus patris ejus; germina et propagines ignobiliores, omnia vasa parva a suppellectili craterum usque ad omnem suppellectilem uterum.*

25. *Illo die, inquit Jova, agminum Deus, loco suo movebitur clavus ille fixus in loco fido, et excidetur, cadetque et rescindetur sarcina, ei appensa. Sic fatus est Jova!*

CAR-

CARMEN VICESIMUM.

Cap. XXIII.

ARGUMENTUM.

Describit vates in hoc carmine atque ad vivum depingit ingentem quae Tyro accidit calamitatem, figurate magis, quam proprie, oratione concinnata ex variis Apostrophis, partim ad ipsos Tyrios directis, partim ad gentes, cum illis commercia exercentes, quae Tyriorum cladem tum mirantur, tum deflent. Hoc ita exequitur vates, ut Tyriorum calamitatem comparet cum divitiis et rebus secundis, quibus olim fruebantur; tum enim florentissimus reipublicae status oculos omnium gentium illius temporis ad se trahebat (vs. 1—11.). Hinc sistit illos, quibus Jova ad Tyrios puniendos utitur, Chaldaeos, qui, cum olim populus ignobilis et nullo imperio fuissent, ita ut Tyriis vix nomine noti fuerint, nunc ipsorum rempublicam exitio tradunt (vs. 13.). Sed mitigat noster, fere pro more vatum Hebraeorum, tristes hasce imagines prospectu temporis futuri laetioris, dum promittit, post septuaginta annorum spatium rempublicam in pristinum statum florentem restauratum iri, et tunc Tyrios quoque Jovam pro summo et potentissimo numine agnituros et culturos (vs. 18. usque ad fin.).

 Se-

Scenam vaticinii fixam esse in illo ipso tempore, quo Chaldaei sub Nebucadnezare Tyrum expugnarunt, quisque qui in carmen inspexerit, facile observabit. Videt vates urbem illam superbam et lascivam, per plures annos arcta obsidione pressam a Chaldaeis, et tandem ab iisdem expugnatam; sed ob longiorem obsidionem maxima parte civium orbatam et opibus destitutam. Ut autem strepera et velox fama est; sic casus hujus novitas et magnitudo facit, ut terra marique fama captae Tyri velocissime diffundatur per omnes illas regiones orbis terrarum, quae cum Tyriis antea colerent commercium, et praesertim per colonias, quae hanc urbem venerarentur ut matrem suam. Quod dum prophetae obversatur, vertit ad hasce urbes et colonias, aeque ac ad ipsam Tyrum, orationem easque veluti praesens exhortatur ad planctum et ejulatum.

Patet autem ex his omnibus, carmen nostrum a vate quodam Jesaja multo seriore, Jeremiae, coaevo, esse concinnatum. Vidit hoc jam EICHHORN *Einleit. in das alte Testam.* P. III. pag. 72. 83. edit. tert. et probavit hanc sententiam argumentis internis. Occurrunt enim in hoc carmine tales dictiones, quae nonnisi in vatibus serioribus inveniuntur, veluti שִׁיחוֹר de Nilo fluvio usurpatum, invenitur tantummodo in libris recentioribus, vid. Jerem. II, 18. 1 Chron. XIII, 5. Porro tempus definiendi modus uterque, per מֶלֶךְ אֶחָד, vs. 15. et *septuaginta annos*, aetatem seriorem arguit: prior enim praeter hunc locum occurrit tantum Dan. VIII, 21. coll. VII, 4.; alter Jeremiae est privus et proprius, in recentem scriptionem Chaldaicam in לַשְׁמִיד et מָעוּזְנֶיהָ, vs. 11. GROTIUS quidem quae hoc Capite leguntur Tyro vult accidisse Jesajae aevo, cum Salmanassar, rex Assyrius, expeditionem contra Tyrum susciperet. „Nihil hic," inquit, „de Nebuchodonosore, multoque minus de Alexandro

Magno

Magno cogitandum. Omnia enim haec vaticinia inter se cohaerent, et ad tempora proxima pertinent. Quod praecessit vaticinium pronunciatum est Salmanassare Urbem [Hierosolymitanam] obsidente continetque res istas, et quae sequutae sunt sub Sennacheribo. Eodem tempore et revelatum est a Deo et a propheta praedicatum conscriptumque est quod de Tyro nunc sequitur, impletumque non multum post. Nam ut ex Menandro Ephesio discimus, et ex Josepho, Libro nono Historiae antiquae [Cap. XIV. §. 2. edit. Haverc.], rex Assyriorum, Salmanassar, subacta Samaria, quam sub Phoenices nomine comprehendit Menander, Tyriis bellum intulit, certavit classe, fecit ut pretia rerum apud Tyrios multum incenderentur, tandem ipse decedens reliquit custodes apud flumina et aquae ductus, qui Tyrios ab aqua omni, haud dubie et a commercio arcerent, idque toleratum Tyriis per annos quinque. His quinque annis si duos addas, per quos Rex in illis locis mansit, habebis septem annos, quem numerum tribus hujus Capitis locis restituendum censeo [nimirum ut vs. 15. bis et vs. 17. pro שִׁבְעִים legatur שִׁבְעָה]." Ad Salmanassaris adversus Tyrum expeditionem quae hoc Capite exstant referenda esse contendit et nuper Volney in *Recherches nouvelles sur l'histoire ancienne* (Paris 1814, 3 Voll. 8.) P. III. pag. 110. Verum enimvero multo sunt graviora quae hoc Capite Tyro accidisse legimus, quam quae passa est illa civitas a Salmanassare; describitur enim hic ut plane vastata incolisque nudata (vs. 4. 12. 13. 14.). Quantilla autem res fuit, Tyrios bello sibi illato ab Assyrio nihil gravius esse passos, quam quod per quinquennii spatium in Continente aquatum ire prohiberentur, et forte commercium ipsorum aliquatenus turbaretur. Praeterea Grotianae sententiae manifeste obstat, quod vs. 13. Chaldaei diserte designantur ii, qui Tyrum everterint; vid. not. ad eum loc.

1. מַשָּׂא צֹר *Effatum in Tyrum.* De צֹר, quo nomine eſt *Tyrus vetus* (Παλαίτυρος), a Nebucadnezare everſa, vid. not. ad Ezech. XXVI, 2. quo vaticinio item Tyri everſio deſcribitur. Noſter vates Tyri vaſtationem non directe, ſed oblique et figurate deſcribit, et quidem per apoſtrophas, converſas ad illos, quos Tyri calamitas proxime feriret. Prima apoſtrophe dirigitur ad nautas Tyrios et Gaditanos, quorum a Tyro maxime pendebat ſalus et proſperitas. Hi jubentur amare lugere et deplorare luctuoſum urbis caſum, quem propheta ait illos, dum in portubus Baeticae haererent, ex inſulis vicinis accepturos eſſe. Verba הֵילִילוּ אֳנִיּוֹת תַּרְשִׁישׁ grammatice quidem verti poſſunt: *ululalarunt naves Tarſchiſchae;* ſed praeſtat, verbum hic ut *Imperativum* capere, et vertere: *ululate naves Tarſchiſchae*, quae ſententia elegantior eſt, et quae ſequuntur ejusdem tenoris (ut בּוֹשִׁי vs. 4.) exigunt hanc verſionem. Per *naves Tarſchiſchae* ſ. *Tarteſſi*, quae eadem vox eſt, intelliguntur non πλοῖα Καρχηδόνος, ut Graecus Alexandrinus vertit, ſed naves Tyriae, quae negotiationis cauſſa Tarteſſum in Hiſpania Baetica, a Tyriis mittebantur: ille enim Hiſpaniae tractus antiquis temporibus a Tyriis frequens colebatur, navigatione inter eum et Tyrum navibus majoribus commercii cauſſa ultro citroque inſtituta, ubi Tyrii templum habebant Herculis ſui, eodem cultu quo apud ſe honeſtati. *Tarteſſus* urbs in ipſa fuit in inſula interamnica, quam duo Baetis (hodie *Guadalquevir*, i. e. الوادي الكبير *fluvius magnus*) alvei in mare ſe exonerantes efficiunt; ſed nomen latius eſt ſumtum, et non Baeticae tantum, verum et Hiſpaniae toti impoſitum. Quam de תַּרְשִׁישׁ ſententiam etſi poſt Bochartum in *Geogr. S.* Lib. III. Cap. 7. multis aliis argumentis evicerit J. D. Michaelis in *Spicileg. Geograph. Hebraeor. ext. poſt Bochartum*, Tom. I. p. 82. ſeqq.; tamen Henslerus in *Animadverſſ.* prolixioribus ad

ad Jesajam, versioni ipsius subjunctis, probare studuit, *Tarschisch* esse regionem quandam *Aethiopiae* seu *Abyssiniae*, fortasse insulam aliquam in sinu Arabico ad litus Aethiopiae sitam, quam sententiam contra objectiones C. T. Tychsenii (in Michaëlis *Neuer Orientak Bibl.* P. VI. p. 18. 19.), Eichhornii (*Biblioth. der bibl. Litteratur* P. II. p. 1048., et Doederleinii (*Theolog. Biblioth.* P. IV. Fascic. 8.), in *den Bemerkungen über Stellen in den Psalmen und der Genesis*, p 337. seqq. defendere quidem conatus est, nec tamen uni alterive persuaserit. Iis quae supra ad II, 16. et ad Ezech. XXVII, 12. de Tarschisch variisque circa hoc nomen sententiis observavimus, addimus, sententiam Josephi, תַּרְשִׁישׁ esse *Tarsum*, Ciliciae urbem, quam et A. T. Hartmann, Theologus Rostochiensis, locis ad Ezech. XXVII, 12. commemoratis, commendavit, nuper strenuum defensorem nactam esse Volneium in *Recherches nouvelles sur l'histoire ancienne* P. I. p. 271. seqq. Cui tamen si cognita fuissent quae pro Bochartiana sententia de Tartesso Hispaniae firmanda disputavit Bredow (in libro ad Ezechielis loc. cit. memorato), eum vix putem sua in medium protulisse. Per אֳנִיּוֹת תַּרְשִׁישׁ Jos. Frid. Schelling in *Animadverss. ad difficiliora Jesajae loca* p. 68. non proprie naves Tartessenses significari putat, sed exemplo pro toto genere posito, naves quasvis longinquam exercentes mercaturam, ut supra II, 16. Ps. XLVIII, 8., quemadmodum Horatio *Od.* I, 1. 13. *trabs Cypria*, I, 35. 7. *trabs Bithyna*, quin et ipsa *Hispana navis* hebraica fere ratione ab eodem III, 6. 31. pro quavis nave mercatoria ponitur. Unde verba prophetae אֳנִיּוֹת תַּרְשִׁישׁ vertit: *ejulate naves quaecunque mercatoriae.* Qua versione omnem phraseos poeticae elegantiam perire quis non sentiat? Dici *naves Tartessi* naves Tyrias, et quidem majores, navigationi in Tartessum destinatas, patet ex 1 Reg. X, 22., ubi Salomo

in mari habuisse dicitur אֳנִיּוֹת תַּרְשִׁישׁ *naves Tartessi*, i. e. Tartessum navigare solitas. Ceterum ad intelligentiam sententiae pertinet observasse, naves has Tyrias a propheta spectari tanquam quae hoc tempore haererent in portu Gaditano aut Tartessio; ut ex his quae mox sequuntur patebit. Sub nomine *navium* metonymico dicendi genere intelligi ipsos nautas, qui destructa Tyro de magna deciderent spe, nemo facile dubitet. *Nautae*, qui cum Triremibus et Liburnicis suis soliti erant sulcare mare satis vastum, quod Tyrum a Tartesso dividit, ut Hispaniensis agri divitias Tyrum aveherent, vocantur ad planctum et ejulatum. Causam subjungit his verbis: כִּי־שֻׁדַּד מִבַּיִת מִבּוֹא *nam vastata est* Tyrus *ut nulla supersit domus*, *nec intrare quis possit*. Quibus in verbis difficultatem invenerunt plures interpretes, eo quod שֻׁדַּד *terminationis* est *masculinae*, quum tamen *Tyrus*, צֹר, ut nomen urbis, ad quod ea vox est referenda, videatur genus *femininum* poscere. Nihil tamen est quod nos moretur, modo meminerimus, terminationem *masculini* saepe alias usurpari pro terminatione *neutrius*, qua quum Hebraei careant, solent eam per terminationem *masculini* aeque ac *feminini* reddere, praesertim vero verba intransitiva et passiva in tertia persona singulari tam masculina quam feminina neutraliter saepe usurpantur, quod pluribus exemplis docuit N. G. Schroeder *Syntax*. Reg. LXI. Quare כִּי־שֻׁדַּד proprie sonant: *quia vastatum est*, q. d. Tyrus est quid omnimodo vastatum, desolatum, i. e. plane vastata est Tyrus. Neque consentiunt interpretes in explicandis verbis מִבַּיִת מִבּוֹא, quae Graecus Alexandrinus interpres conjunxit cum sequentibus, מֵאֶרֶץ כִּתִּים, et, neglecta voce מִבַּיִת, quam ad sensum mente conceptum flectere non poterat, vertit: καὶ ἐκ ἔτι ἔρχονται ἐκ γῆς Κιτιαίων, *nec amplius venient e terra Cithaeorum*. Hieronymus: *quia vastata est domus*, *unde venire consueverant*, quod

quod ex parte sequutus est Grotius, nisi quod pro ultimis, *unde venire consueverant*, reposuerit, *introitus*, quasi מִבַּיִת *domum*, מִבּוֹא *introitum* significare posset. Chaldaeus: אֲרֵי אִתְבְּזִיזוּ מְהוֹרֵיהוֹן מִלְמֵיעַל *quia direptae sunt plateae eorum* (Tyriorum) *ut non introeatur.* Jarchi: כי שודד מבפנים מקום שהייתם רגילים לפרדק מלבוא עוד לתוכו ולא יהיה עוד לכם מקום בצור ללון שם *quoniam vastatus est intus locus ille, ad quem solebatis venire hospitatum, ne illum amplius intretis, nec erit vobis amplius locus in Tyro* (urbe), *ut ibi pernoctetis.* Chaldaeum et Jarchium sequutus est Saadias, qui verba hebraea sic vertit: إِنَّ نُهِبَتْ مَنَازِلُهَا مِنْ أَنْ تَدْخُلُونَهَا *Ecce direptae sunt mansiones ejus* (urbis Tyri), *ut ingredi eas non possitis.* (Quod in textu arabico a S. V. Paulo edito ante منازلها exstat منا; ut plane supervacaneum et cui nihil in Hebraeo respondet, delevimus, et verbo تدخلون addidimus suffixum femininum pro masculino, sensu id poscente). Ceperunt illi interpretes מִבַּיִת pro *intus*, ut Genes. VI, 14. Exod. XXV, 11. 1 Reg. VI, 15. 16. Quod ipsum sequutus est Vitringa, sed qui מִבּוֹא *foris* interpretatur, quod verbum בוא ubi opponitur τῷ יָצָא notet adventum qui *extrinsecus* accidit. Quod vero Tyrus hic dicatur *domi forisque* vastata, significare, tam urbem ipsam, quam regionem circumjacentem ab hoste oppressam direptamque fuisse. Verum מִבּוֹא notare *extra*, s. *foris* jure dubitatur, neque, si vates eum quem Vitringa sumit sensum exprimere voluisset, facile patet, cur non מִבַּיִת וּמִחוּץ (ut Exod. XXV, 11.) dixerit. Rectum non dubitamus vidisse Kimchium, מִבַּיִת idem esse quod מהיות בית *ut non sit domus*, ut Ezech. XVI, 41. *cessare faciam te* מִזּוֹנָה *a meretrice*, i. e. ne sis meretrix, et 1 Sam. XII, 23. *et rejecit te* מִמֶּלֶךְ *a rege*, i. e. ut non

non amplius sit rex; מָבוֹא autem valere: שֶׁלֹּא יָבוֹא שָׁם סוֹחֵר, *ut non veniat illuc mercator.* Quare sensus est hic, Tyrum adeo vastatum iri, ut nec domus in ea supersit, nec frequentent eam amplius exteri. Quemadmodum supra XVII, 1. de Damasco dicitur, eam *amotum iri* מֵעִיר *ab urbe*, i. e. ita vastatum, ut desinat esse urbs, sic heic de Tyro: מִבַּיִת *ut ne domus quidem supersit;* atque eadem ratione, qua de Judaeorum urbe infra XXIV, 10. dicitur, *clausas fore omnes domos* מִבּוֹא *ab intrando*, i. e. ut nemo eas frequentet amplius, sic de Tyro hic, ad eam nullos porro exteros venturos. Haud minus negotii interpretibus facessivit ultimum versus incisum, מֵאֶרֶץ כִּתִּים נִגְלָה־לָמוֹ. Sunt inter illos, qui verba מֵאֶרֶץ כִּתִּים contra Masorethatum notas conjungentes cum superioribus (*ut non veniant amplius* Tyrum *e terra Cittaeorum*), extrema duo verba נִגְלָה־ לָמוֹ per se respiciunt, et qualemcunque iis aptant sensum. Graecus Alexandrinus: ἦκται αἰχμάλωτος, *ducta est captiva.* Quodsi vero admittamus, נִגְלָה ita accipi posse (etsi in forma Niphal semel tantum, infra XXXVIII, 12. eo significatu occurrat), quid sibi velit illud לָמוֹ voci נִגְלָה subjectum haud intelligitur. Sunt qui vertant: *detectum est illis* scil. fundamentum, collatis locis Ezech. XIII, 14. Mich. I, 6. Sed nomen יְסוֹד *fundamentum* abesse non poterat si propheta id dicere voluisset. Ergo Hieronymus rectius conjungenda inter se conjunxit, et verbis veram sententiam reddidit, dum vertit: *de terra Citthim revelatum est iis.* Quod tamen quid sibi velit ut Hieronymus ipse clare non explicat, sic interpretes varie accipiunt. Kimchius tradit, Josephum, patrem suum, id ita exponere, mercatores, e terra Citthim (quae hic sumitur Graecia aut Italiae regio esse) persuasisse Chaldaeis, ut Tyrum obsiderent, ejusque rei modum ostendisse, et navibus quoque ipsos juvisse; quod ab omni probabili ratione abludit, non tan-

tantum quod Citthaeis, i. e. vel Macedonibus, vel Italis, eo tempore nullum intercederet cum Babyloniis commercium, verum etiam quod Citthaeorum utilitas verteretur in conservata et florente Tyro. Jarchius adscribit, per כִּתִּים hic intelligi כותיים *Cuthaeos*, quod maxime arridet Bocharto *Geogr. S.* P. I. L. III. Cap. V. p. 182., quia vox כִּתִּים infra vs. 12. scribitur כִּתִּיִּם, geminata Jod, διακριτικῶς, „ut scias," addit, „non agi de *Cittim*, quorum nomen nusquam ita scribitur, sed de *Cuthaeis*. Itaque non probo, quod Masorethae alterum *Jod* suppresserunt, quod Isajas non frustra adhibet. Sed et iidem videntur *Chirec* scripsisse pro *Kibbuz*, id est כִּתִּים pro כּוּתִּיִּם. Nisi Cuthaeos dixeris etiam vocari כִּתִּיִּם, quomodo Graece Κιτταῖοι vel Κισσαῖοι. *Cuthaei* enim iidem qui *Cissii*, nempe Susianae incolae ad ortum Babylonis. Qua voce sic exposita, nemo non videt, cur malum Tyriis immineat ex *Susiana*, vel, quod idem est, Babylonia, ex qua Nebucadnezar." Haec Bochartus, cujus sententia tamen non uno premitur incommodo. Quum enim *Cuthaeorum* nomen in V. T. rarissimum sit, et Chaldaea a Susiana distincta; contra vero כִּתִּים frequentioris sit usus, et *Citthiaeis* commercium fuerit cum Tyriis, uti patet ex Ezech. XXVII, 6., multo sane verisimilius est, *Citthaeos* hic intelligi quam *Cuthaeos*. Nihil tamen difficultatis est in verbis hebraeis, מֵאֶרֶץ כִּתִּים נִגְלָה־לָמוֹ, si simpliciter vertantur: *a terra Citthim revelatum, nuntiatum est iis*, scil. Tyriis in Tartesso commorantibus, quos per *naves Tartessias* innui vidimus: vel, ut aeque commode illa reddi possunt, subaudita אֲשֶׁר, *his qui sunt de terra Citthim*, Graecis, Italisve, *revelatum est*, i. e. annunciata est clades Tyriorum, inde facile perferenda in Baeticam. Vocaverat propheta nautas Tyrios in portubus Hispanicis haerentes ad ejulatum ob Tyrum vastatam. Id vero mirum videri potuit,

quum illi sat longe a Tyro remoti supponi deberent hujus eventus notitiam non nisi sero consequuturi esse, qui tamen veluti in re praesente ad lamenta excitantur. Quare addit vates, cladis vastationisque Tyriae eam esse magnitudinem, ut non tantum fama ejus mox pervolaret mare, et primo quidem in terram *Citthaeorum*, Graeciae vel Italiae insulas, et inde in Baeticam; verum et ipsi Tyrii, qui cladem evaserant, fuga se proripientes in terram Citthaeorum, hujus cladis velocissimi sint nuncii. Sic verba rectissime accepit Jarchi, altera interpretatione priori, quam supra commemoravimus, subjecta: דבר אחר מארץ כתים נגלה לאנשי תרשיש שוד של צור. שברחו בני צור אצל כתים ומשם נשמעה השמועה *Alia expositio: ex terra Citthim revelata est hominibus Tartessiis vastatio Tyri, quippe Tyrii* (cladem elapsi) *refugium quaerunt apud Citthaeos, et inde fama vulgatur.* Pariter Aben-Esra: אפילו מארץ כתים שהיא רחוקה נגלה להם זה השוד והזכיר כתים בעבור האניות והעד וצים מיד כתים *Etiam e terra Citthim, etiamsi remota esset, revelata est iis haec vastatio. Meminit autem terrae Citthaeorum navium caussa* (quibus Citthaei abundabant) *secundum locum Num. XXIV*, 24.: *et naves venient a parte Citthaeorum.* Ceterum de terra כתים dissentiunt interpretes. Alii *Macedoniam* intelligunt, alii *Latium*, alii *Cyprum*. Posteriorem sententiam amplexi sunt post Hieronymum et Saadiam (qui vertit: وَمِن بِلَدِ قُبْرُس ظَهَرَ لَكُم ذَلِكَ *et e terra Cypri manifestum fit vobis hoc*) J. D. Michaelis in *Supplementt. ad Lexx. Hebrr.* P. V. p. 1378., et Doederlein ad h. l. „Terram *Cithim*," is inquit, „Josepho praeeunte Lib. I. Cap. VI. §. 1. insulam *Cyprum* esse existimo, cujus non tantum urbs *Citium* primi nominis vestigia ostendit, sed marmora etiam, quae Swintonus descripsit (de quibus conf. Schol. ad Genes.

Genes. X, 14. pag. 99.), Phoeniciam originem produnt. Citiaei regibus Tyri subjecti fuere, si *Menandro Ephesio* fides habenda apud Josephum *Antiqq.* Lib. IX, c. 15. §. 2., inde frequentia inter utrosque commercia, quae finienda dicit Jesajas. Iidem circa hoc ipsum tempus rebelles ab Elulaeo rege Tyri, Salmanassari coaevo, ad obsequium redacti, forsan et exilio multati sunt." Nuper et Volney in *Recherches nouvelles* P. I. p. 102, et 224. eandem sententiam adscivit. Henslero in *den Bemerkungen über Stellen in den Psalmen und in der Genesis*, pag. 354. 365. per כִּתִּים *Arabiae* quidam *populus* indicari videtur, in littore Arabico e regione Aethiopiae, ubi תַּרְשִׁישׁ sitam existimat. Sed Bocharтus *Geogr. S.* P. I. L. III. Cap. V. solide ostendit, esse per כִּתִּים intelligendos Italiae subjectos insulares, qui huic loco optime quadrant; cf. not. ad Genes. X, 4. Ezech. XXVII, 6.

2. דֹּמּוּ יֹשְׁבֵי אִי סֹחֵר צִידוֹן עֹבֵר יָם מִלְאוּךְ *Silete, habitatores regionis maritimae, tu, quam mercatores Sidonii, mare trajicientes, implebant;* אִי hic haud dubie denotat *tractum maritimum*, quem significatum in seriore Hebraismo habet, veluti Dan. XI, 18. Esther X, 1., pro אִיֵּי הַיָּם (Jes. XI, 11. XXIV, 15.); conf. Michaelis *Spicileg. Geogr. Hebraeor.* P. I. pag. 142. *Insulas maris mediterranei* hoc loco per אִי indicari, verisimile est Vitringae, maxime ob locum parallelum Ezech. XXVI, 16. 17. 18. ubi *insulae* de Tyri lapsu consternatae dicuntur, conf. Ezech. XXVII, 35. Sed quum in ipso carmine nostro vs. 6. Tyrii ipsi quoque appellentur יֹשְׁבֵי אִי, *habitatores tractus maritimi;* et quae vs. 4. dicuntur Tyrio conveniant; ego iis accedo interpretibus, qui hic etiam *habitatores urbis et regionis Tyriae* intelligunt. דֹּמּוּ *silete*, terrore et moerore perculsi; qua apostrophe saepius acerbitas et gravitas calamitatis

mitatis alicujus declaratur, vid. Thren. II, 10. Jes. XLVII, 5. Ezech. XXVII, 35. Singularia סֹחֵר צִידוֹן עֹבֵר יָם *collective* esse capienda, recte observat Kimchi, et exempla similia affert Genes. XXXII, 5. 1 Sam. XI, 9. 2 Reg. VII, 10. *Mercatores Sidonios*, סֹחֵר צִידוֹן, Jarchi hic ideo commemorari existimat, כשתפול צור תפול צידון עמה שסמוכות היו זו לזו בתוך מַהֲלַךְ יום *quod quum caderet Tyrus simul et Sidon caderet, quoniam altera alteri vicina erat diei itinere.* Sed Vitringa observat, per *Sidonios* a Nostro ipsos intelligi *Tyrios*, qui ortu erant *Sidonii*, et inter quos et Sidonios ea erat conjunctio tam studiorum, artium, et mercatus, quam *regiminis*, ut eandem rem agére censerentur, et pro uno haberentur populo, ut propheta mox declarabit vs. 4., unde *Tyrus* deinceps dicitur בְּתוּלַת בַּת צִידוֹן, *virgo filiae Sidonis.* Ipsi *Tyrii* erant *Sidonii*, quare vetusti scriptores, ut Homerus, eos sub *Sidoniis* comprehendunt. Strabo, Lib. XVI. p. 756. *οἱ μὲν ἐν ποιηταῖς τὴν Σιδόνα τεθρυλλήκασι μᾶλλον, poetae Sidonem magis celebrant.* Inde etiam á poetis hebraeis, veluti Jerem. XLVII, 4. Joel III, 4., inter se conjunguntur. מִלְאוּךְ *Implerunt te* scil. בסחורה *mercibus*, ut addit Kimchi, qui et observat, literam ל carere Dagesch forti, quod secundum analogiam cum positum habere deberet, quum sit formae *Piel.*

3. Verborum וּבְמַיִם רַבִּים זֶרַע שִׁחֹר קְצִיר יְאוֹר תְּבוּאָתָהּ *et in aquis multis semen Sichoris, messis fluvii* (Nili) *proventus ejus*, haud pauci interpretum sensum putant esse hunc, Tyrios lucrum suum habuisse ex semine Sichoris, ex messe Aegyptii fluvii, divendenda gentibus. Merces Aegypti, quae in Nilo transferebantur ad Tyrios, et ab his ad alias gentes, eleganter vocari *semen* et *messem* fluminis Aegyptii, sumta metaphora a proventu agrorum. Ita Dathius post Vitringam et alios.

Nil

Nil tamen impedit, quo minus per *ſemen Sichoris*, et *meſſem Nili* intelligas *proventum terrae Aegypti*, *qui debebatur* Nilo, Aegyptum inundanti, ut potius *fluvii*, quam *terrae* meſſis videretur. Id placuit Kochero, qui ſenſum ita conſtituit: „dives ſementi meſſibusque Nilus, illius annona erat, qua et uteretur ipſa, et quam per maria victam gentibus late divenderet." Similiter Koppe: *auf weiten Meeren, mit Saat Aegyptens, mit des Stromes Erndte, trieben ſie ihren Gewinn.* Ita jam Hieronymus: „Nilus omnis et Aegypti fertilitas e vicino infunditur Tyro." Jarchi: ובמים רבים היה בא זרע ממצרים היושבת על ארץ שיחור אל צור קציר יאור מצרים היה תבואה של צור והיו מביאים התבואה לצור באניות מצרים *Et per aquas multas veniebat ſementis ex Aegypto, quae habitat juxta terram Sichoris, ad Tyrum. Meſſis rivi Aegypti fiebat proventus*, ſ. merces *Tyri. Advehebant autem proventum ad Tyrum navibus Aegyptiacis.* Kimchi: הפסוק כמו הפוך אמר וזרע שיחור שהוא נילוס שהוא במים רבים שהוא עולה ומשקה את הארץ וקציר יאור והוא שיחור הנזכר היא תבואת צור כי ממצרים בא לה התבואת *Hic verſus per metatheſin hoc dicit: ſementis Sichoris, id eſt, Nili, qui aquis abundat, et ripas egreſſus terram irrigat, et meſſis rivi*, i. e. ejusdem illius Sichoris eſt *proventus Tyri; nam ex Aegypto veniebat ad eam proventus*, ſ. frumentum. Saadias: وَفِي ٱلْمَآءِ ٱلْعَظِيمِ كَانَ يُجْلَبُ إِلَيْهَا مِنْ نَبَاتِ ٱلنِّيلِ وَزَرْعِ خُلْجَانِهِ وَغَلَّاتِهِ *in aqua magna advectum eſt ad eam de germine Nili et ſemente rivorum ejus et proventu ejus.* De יְאוֹר et שִׁחוֹר, nominibus *Nili* vid. not. ſupra ad Cap. XIX, 6. et ad Geneſ. XV, 18., et conf. Jerem. II, 18. 1 Chron. XIII, 5. Vid. Jo. Conr. Dieterici *Antiqq. Biblicc.* p. 591. ſeqq., ubi locus hic docte pertractatur. Veteres tamen

tamen שִׁיחֹר non de *Nilo*, sed de *mercatoribus* acceperunt. Alexandrinus vertit: σπέρμα μεταβόλων, quem sequutus Arabs in Polygl. نَسْلُ ٱلتُّجَّارِ, *progenies mercatorum*, nempe numerus multitudinis adhibetur pro singulari collectivo, quem retinet Syrus, vertens ܙܪܥܐ ܕܬܓܪܐ, *semen mercatoris*. Hi ergo שִׁיחֹר voluerunt esse Participium *Benoni*, idemque quod סֹחֵר, *mercator*, *negotiator*, sic dictus a *circumeundo*. Chaldaeus, quasi nomen esset abstractum, reddit סְחוֹרְתָא *negotiatio*. Veterum illorum auctoritate motus Müllerus in *Satura Observatt.* Cap. IV. p. 51. 52. pro recepto שִׁיחֹר legere mallet שְׂחֹר, hoc sensu: *messem Tyro in agris quidem nullam esse, at in mari, mirabile dictu, messem tanquam mercatorum illi crescere.* Obstat autem huic sive lectioni, sive interpretationi, primo, quod in hoc versu et praecedenti סֹחֵר *mercator*, et סְחַר *emporium*, per Samech scribitur, nostrum contra nomen a littera שׁ incipit; deinde membrorum parallelismus, qui in poetica Hebraeorum oratione maximi spectandus est. Pro Nostro enim שחר, quod cum vocalibus I et O lectum, Nili nomen est, in sequenti hemistichio יְאֹר ponitur, quod ejusdem Nili potest esse nomen, mercatorum nequit. Affixum in voce תְּבוּאָתָהּ, vel ad *Sidonem*, vel ad *Tyrum*, non expressam quidem, sed subintelligendam ex contextu, est referendum, ut saepe e. c. Ps. LXXXVII, 1. יְסוּדָתוֹ, *fundatio ejus*, scil. populi Israelitici, vel urbis Hierosolymorum, est in montibus sanctis. וַתְּהִי סְחַר גּוֹיִם *Eratque emporium gentium.* Hieronymus: „Tyrum negotiatione gaudere, et totius orbis esse emporion, et praesentia tempora probant, et Ezechiel lato sermone describit [Cap. XXVI. XXVII. XXVIII.] Quod autem negotiatores in subvehendis mercibus transfretent maria, nemo est qui dubitet, nec tantas habet

opes

opes ipſa urbs de terra regionis ſuae, quae valde anguſta eſt, et Galilaeae Damaſcique finibus premitur, quantas de ſubvectione navium."

4. בּוֹשִׁי צִידוֹן כִּי אָמַר יָם מָעוֹז הַיָּם לֵאמֹר לֹא־חַלְתִּי יָלַדְתִּי וְלֹא גִדַּלְתִּי בַחוּרִים רוֹמַמְתִּי בְתוּלוֹת *Erubeſce Sidon, quia mare, munimentum maris, in haec loquitur verba: non parturivi, nec peperi nec educavi juvenes, neque extuli virgines.* Vates infert matrem acerbe plorantem, quod cum plures edidiſſet liberos, nunc ſe cum dolore et pudore videat *orbam*, ac ſi nec parturiviſſet umquam, nec edidiſſet ſobolem ullam: quae querela orbitatis vel referri poteſt ad *Tyrum*, vel ad *Sidonem*. „Si ad *Tyrum* applicetur, hic exſurget ſenſus: *erubeſce* Sidon: cum enim ipſa quoque urbs ſis maritima, populoſa, probe munita, in mari veluti creta, aeque ac Tyrus; et hoc nomine tibi promittas ſecuritatem proſperitatemque longi temporis: reſpice nunc *Tyrum*, ex te natam: *munimentum maris*, quae ad eam redacta eſt vaſtitatem, ut ſe non minus orbam et ſolitariam queratur, ac ſi nullam umquam educaſſet prolem; incolis videlicet ſuis vel disjectis, vel fame et bello conſumtis. Si *Sidoni* tribuatur haec querela, Chorus introductus putandus erit, qui capta vaſtataque Tyro, converſa ad *Sidonem* oratione, eam jubet *erubeſcere*, argumento deſumto ex ipſius Sidonis juſtis querelis de ſua *orbitate* poſt Tyrum everſam, ut ſenſus ſit: et tua, o Sidon, lugenda eſt conditio, dum fatum everſae Tyri ita ad animum revocas, ac ſi redacta eſſes ad meram orbitatem, quippe quae poſt everſam Tyrum cenſeri nolis ullam produxiſſe ſobolem, h. e. deduxiſſe coloniam. Poſterior haec ſententia neutiquam eſt abſurda. *Sidon* enim, ut *urbs maritima*, eaque maxima et munitiſſima, hic recte appellari poteſt *munimentum maris*, et non male ei ut *matri* convenit querela de ſua orbitate, poſt ever-

eversam Tyrum; et veteres ex sterilitate orbitateque matrum capiebant argumentum pudoris; vid. Genes. XXX, 23. Non nego, sensum hunc mihi ad primam speciem arrisisse; etsi, re diligentius considerata, priorem interpretationem nunc praeferam. 1) Quia clarius multo explicat argumentum *pudoris* Sidonis. Tyrus enim capta vastataque, si tanquam *filia* Sidonis intercidisse supponatur, matri suae justiorem *doloris* quam *pudoris* praebere debebet materiam. Sed si hic de Tyri orbitate agatur cum respectu ad ejus incolas, facile intelligas, Sidoniis paratam esse justam materiam pudoris. Cum enim de firmitate suae urbis, pariter opulentae, copiosae, maritimae, praeclare hactenus existimassent, et in ea polliciti sibi essent securitatem; quid nunc dicant vel jactent, postquam Tyrum, se munitiorem ab hoste captam vastatamque cognoverint? 2) Prophetae nostro solenne est, urbium cives vocare earum *filios* et *filias*. Sic Cap. XLIX, 20. in consolatoria ad Sionem oratione. *Adhuc dicent in auribus tuis* filii, *quibus orbata eras:* nimium mihi angustus est locus contrahe te mea caussa, ut habitem. Cap. LXVI, 8. *Sion parturivit, etiam peperit* filios *suos.* Similia exempla apud alios prophetas, et maxime in *Threnis* Jeremiae, plura extant. 3) Quia quod dicitur מָעוֹז יָם *munimentum maris*, ad Tyrum commodissime refertur. Quum enim apud Ezechielem passim describatur tanquam sita in *mari*, urbs munitissima: tum vero sub voce מָעוֹז *munimentum*, latet indicium צוּר *Tyri*, cum munimenta olim praecipue construi solerent in *collibus petrosis*, unde binae hae voces aliquando inter se conjunguntur, ut Ps. XXXI, 3: צוּר מָעוֹז *rupes munitionis*. Zacharias de Tyro, licet tum aliquatenus mutata esset ejus conditio, dicit Cap. IX, 3. *et exstruxit sibi Tyrus* מָצוֹר *munimentum.* Quid itaque nunc jactet, quid firmitatem copiamque suam celebret, gloriosa Sidon, postquam munitissimam,

mam, et se munitiorem, Tyrum expugnatam viderit?" Haec VITRINGA, cujus verba integra apposui, quoniam argumenta pro utroque interpretandi modo in iis diligentissime examinata sunt. Posteriorem interpretationem praefert quoque Dathius, Doederlinius, Henslerus. Eodem modo HIERONYMUS: „Dixi supra, coloniam Sidoniorum esse Tyrum. Audi igitur, mater, cuncta simul contra filiam tuam maria clamantia, et quodammodo vocem emittentia, quae per naturam loqui non valent: frustra divitias comportavi, sine caussa de toto orbe in Tyrum opes contuli; illa dives, illa luxuriosa, et populorum quondam gaudens multitudine, in qua nascebatur turba mortalium, caterva puerorum, juventutis examina, cujus plateae virginum, et infantium, ac juvenum, ac puellarum lusibus perstrepebant, nunc ad solitudinem redacta est. Fieri autem προσωποποιΐαν in rebus mutis solemne est." JARCHI: בושי צידון שטפילה לצור כי אמר ים כי אמרה צור היושבת במעוז הים שהוא עיקר ראש המלכות הריני כמו שלא חלתי ולא ילדתי בחורים כי כולם נהרגו והרי כמו שלא רוממתי בתולות וכן ת״י *Erubesce Sidon, quae adjuncta es Tyro* (pars quasi accessoria ejus es), *quod dicit mare, i. e. dicit enim Tyrus, quae sita est in munitione maris, quae est fundamentum et caput regni: ecce ego perinde sum, ac si non parturiissem ac peperissem juvenes; nam omnes illi occisi sunt, et ecce ego sum ac si non educassem virgines, et ita interpretatus est Jonathan.* Ejus interpretatio Chaldaica est talis: בְּהִיתוּ צִידוֹנָאֵי אֲרֵי אֲמַר מַעַרְבָאָה דִי יָתֵיב בִּתְקוֹף יַמָּא לְמֵימַר לְוַי לָא מַרְעִית לָא אַעְדִּיתִי וְלָא רַבֵּיתִי עוּלֵמִין וְלָא פַּנְּקִית בְּחוּלָן *Confusi sunt Sidonii, quia dicit Occidentalis, qui habitat in fortitudine maris, dicens: utinam non aegrotassem* (i. e. parturientis dolores perpessa essem), *nec concepissem, nec nutrissem juvenes, nec deliciis affluere fecissem virgines!* יָם מָעוֹז הַיָּם *Mare, munimentum maris,* similem ἀνα-

ἀναδίπλωσιν nominis, quo deſcribitur ſubjectum, habuimus ſupra Cap. XIX, 7. *Papyrus apud fluvium, apud oram fluvii.* Kimchi: אמר ים והיא צור לפי שהיתה סחורתה דרך ים והיא היתה מעוז הים כלומר מעוז כל הערים שהם לחוף הים *Dicit mare, i. e. Tyrus, quae mare dicitur quod negotiatio ejus per mare eſſet, eademque vocatur munitio maris, quod munimentum omnium urbium maritimarum eſſet.* Ad hemiſtichium alterum recte notat Kimchi, eſſe hic eandem mulieris multos enixae liberos imaginem, quae infra LXVI, 8. כִּי־חָלָה גַּם־יָלְדָה צִיּוֹן אֶת־בָּנֶיהָ *nam partus dolores habuit, etiam peperit Zion filios ſuos.*

5. Verba כַּאֲשֶׁר שֵׁמַע לְמִצְרָיִם יָחִילוּ כְּשֵׁמַע צֹר varii varie accipiunt. Hieronymus ea ſic vertit: *quum auditum fuerit in Aegypto, dolebunt quum audierint de Tyro*, ad quae in Commentario haec ſcribit: „Hoc perſpicuum eſt, quod Aegyptii, poſtquam audierint, potentiſſimam et vicinam gentem longa obſidione deletam, ſciant etiam ſibi interitum propinquare." Verum ſi nihil aliud dicere voluiſſet propheta, quam Aegyptios dolore affectum iri ob calamitatem Tyri, vox שֵׁמַע inconcinne et absque neceſſitate ulla repetitur, quae cauſa eſt, cur Graecus Alexandrinus interpres, qui eandem fere expreſſit ſententiam, alterum illud שֵׁמַע in verſione neglexerit: ὅταν δὲ ἀκουστὸν γένηται Αἰγύπτῳ, λήψεται αὐτὰς ὀδύνη περὶ Τύρου. Chaldaeus: כְּמָא דִי שְׁמַעוּ לְמַחֲתָא דִלְקוֹ מִצְרָאֵי זָעוּ כַּד שְׁמַעוּ צוֹרָאֵי *Quemadmodum audiverunt plagam qua percuſſi ſunt Aegyptii, tremuerunt cum audiverunt Tyrii.* Sententia obſcurior, quam Jarchi ita exponit: כאשר שמע אשר שמעו על מצרים שהבאתי עליהם עשר מכות וסוף טבעו בים יחילו יבהלו כשמע השומעים כשיצא שמע צור נים כי מכותיה של צור יהיו דוגמא אותן מכות *Sicut fama quam audiverunt gentes de Aegyptiis, quibus decem plagas induxi,*

qui-

quique tandem submersi fuerunt in mari; ita יָחִילוּ i. e. *contremiscent qui audient, cum fama exibit de Tyro, et eam similes plagas pati,* scil. quam quae perpessi sunt Aegyptii. Ex Jarchii mente igitur verba hebraea ita vertenda erunt: *quemadmodum* fuit *fama de Aegypto,* sic *contremiscent ex fama Tyri,* i. e. qualis fuit fama terribilis de plagis Aegyptiacis et exercitu Aegyptio deleto in mari rubro, ad quam contremuerunt gentes (cf. Exod. XV, 14 *Cum audierint gentes contremiscent*), ita afficientur ex fama Tyri captae et vastatae. Sed quam longe quaesita sit inter calamitates Aegyptiacas et casum Tyri convenientia, quisque ipse sentiet. Kimchi hunc locum ita capit: *simul atque rumor* pervenerit *ad Aegyptios, dolebunt secundum rumorem Tyri,* quibus verbis vatem existimat hoc velle, Aegyptios ad famam Tyri a Chaldaeis occupatae non minore correptum iri dolore, quam ipsi Tyrii fuerunt ad famam expeditionis Nebucadnezaris adversus se susceptae, quippe exploratum haberent, Chaldaeum occupata Tyro se aggressurum esse. Verum שֵׁמַע צֹר *famam Tyri* significare famam quae ad Tyrios pervenerit de expeditione adversus se suscepta, vix verisimile, quum *fama alicujus* Hebraeis valeat *famam de aliquo.* Sic Genes. XXIX, 13. כִּשְׁמֹעַ לָבָן אֶת-שֵׁמַע יַעֲקֹב *quum audiret Laban famam Jacobi,* i. e. de Jacobo, eum adesse. 1 Reg. X, 1. שֹׁמַעַת אֶת-שֵׁמַע שְׁלֹמֹה *audivit* (regina) *famam Salomonis,* i. e. de Salomone. Vid et infra LXVI, 19. Job. VI, 27. Vitringa verba hebraea proprie ita vertenda censet: *sicut fama Aegypti* s. *de Aegypto* scil. eos valde commoveret, *dolebunt* scil. Sidonii *ad famam Tyri,* quorum verborum sensum vult esse hunc, Sidonios ad famam Tyri eversae non minus commotos fore quam ad famam Aegypti, si forte Aegypto similis obtigisset, vel obtingeret casus. „Quum enim Sidoniis," addit, „magna necessitudo esset cum Aegyptiis,

 et

et commercium inter has gentes frequentissimum, Sidoniique forum suum mercibus Aegypti instruerent (ut propheta vs. 3. significaverat); nulla regio orbis terrarum videbatur Sidoniis tam cara esse, quam Aegyptus; et docet tamen propheta, casum Tyri non minus iis curae fore quam Aegypti, quum Tyrius mercatus iis non minus prodesset, et cum Tyro intimum haberent commercium.“ Sententia tamen quaesita est et languida, ut taceamus שֵׁמַע לְמִצְרָיִם esse non *famam de Aegypto* (id foret שֵׁמַע מִצְרַיִם; ut supra vidimus), sed *famam ad Aegyptios* perlatam. Nihil difficultatis in hoc loco erit, modo observes, כַּאֲשֶׁר hic *quum*, *quando* notare, et כְּ ante שֵׁמַע צֹר idem valere (ut saepius, veluti Genes. XXXIX, 18. Deut. XVI, 6.), repetique emphatice כְּשֵׁמַע צֹר, ut vertendum sit: *quum fama* Tyri eversae *ad Aegyptios* pervenerit, *dolebunt*, s. *contremiscent*, *quum fama*, inquam, *Tyri* eversae scil. ad eos pervenerit.

6. Jam ad ipsam Tyrum se vertit oratio prophetae: עִבְרוּ תַּרְשִׁישָׁה *Trajicite Tartessum*; אנשי צור לברוח לתרשישה *vos Tyrii, ut Tartessum fugiatis*, ut Jarchi notat. Graecus Alexandrinus: ἀπέλθατε εἰς Καρχηδόνα. Ad quae Hieronymus: „Legimus in historiis Assyriorum, obsessos Tyrios, postquam nullam spem evadendi videbant, conscensis navibus fugisse Carthaginem, seu ad alias Jonii Aegaeique maris insulas. Unde et in Ezechiel [XXIX, 18.] dicitur: *merces non est reddita ei* [Nebucadnezari], *neque exercitui ejus de Tyro*, eo quod omnes urbis opes translatae sint, et nobiles quique eam vacuam dereliquerit.“ Cf. Hieronymi Commentarium ad indicatum Ezechielis locum in Annotatione nostra ad eundem. הֵילִילוּ יֹשְׁבֵי אִי *Ejulate habitatores tractus maritimi!* Sunt, qui vertant: *habitatores insularum* scil. maris mediterranei, qui negotiationem cum

cum Tyro exercebant. Ii vero nullam rationem habebant Tartessum trajiciendi, ut ibi calamitatem Tyri lugerent. Est vero per אִי hic intelligendus totus tractus maritimus Phoenicius, in quem Tyrus antiqua obtinebat imperium, quomodo אִי et supra XX, 5. sumitur. Etenim non ipsi modo Tyrii, qui censeri poterant munimentis suis fidere posse, sed totius tractus Phoenicii incolae, Tyro et Sidoni subjecti, imminente calamitate et urgente, quotquot evadere possent, habebant rationem de fuga cogitandi.

7. הֲזֹאת לָכֶם עַלִּיזָה *Haeccine vobis*, scilicet Tyri incolis et hospitibus commercii causa ibi agentibus, *exultabunda?* עַלִּיזָה *exultabunda* vocatur Tyrus, quasi voce, motu et gestu prodens animi hilaritatem alacritatemque, quam copia, luxus, securitas, et bona de praesente rerum statu opinio et de futuro spes, pariunt. Videtur tamen hoc loco vates, cum voce illa uteretur, simul respexisse confertam et luxuriosam hominum multitudinem, quae fora et vicos urbis replens, cum lascivo hilarique motu et strepitu inter se miscetur, florentemque rerum suarum statum saliente gestu ostentat: qui fuerat status Tyri, incolarum rerumque omnium copia exundantis: cui statui praesentis temporis tristis solitudo opponitur. Sic ad eam vates noster eadem voce vs. 12. *Non perges* לַעֲלוֹז *vitulari*, lascivire. מִימֵי־קֶדֶם קַדְמָתָהּ *Cujus antiquitas est a diebus vetustis.* STRABO Lib. XVI. p. 756. Μετὰ δὲ Σιδόνα μεγίστη τῶν Φοινίκων καὶ ἀρχαιοτάτη πόλις Τύρος ἐστὶν, ἡ ἐνάμιλλος αὐτῇ κατά τε μέγεθος καὶ κατὰ ἐπιφάνειαν, καὶ τὴν ἀρχαιότητα. *Post Sidonem maxima et antiquissima est Tyrus cum Sidone et magnitudine et specie et antiquitate comparanda.* CURTIUS *Histor. Alexandri* Lib. IV. Cap. IV. *Capta est urbs, et vetustate originis, et crebra fortunae varietate ad posteritatem insignis.* ARRIANUS Lib. II. Cap. XVI.

Templum *Herculis* ait esse Tyri παλαιότατον ὧν μνήμη ἀνθρωπίνη διασώζεται, *vetustissimum eorum quae humana memoria servantur.* Verba quae sequuntur, יֹבִלוּהָ רַגְלֶיהָ מֵרָחוֹק לָגוּר *Cujus pedes eam portarunt in longinquum ad peregrinandum*, quidam ut laudem Tyriorum capiunt, quorum industria in navigationibus satis nota est. Verbum גּוּר *peregrinari*, *hospitari*, hoc loco valere putant *in remotissima excurrere loca*, in quae Tyrii *pedibus suis*, h. e. navibus, portati fuerint. Verum sunt potius haec verba per accentus arcte juncta iis quae praecedunt, hoc modo vertenda: cujus antiquitas est a diebus vetustis, *eam abducunt pedes sui longe ad exulandum*, *circumvagandum* (ut גּוּר Genes. XXI, 23. usurpatur), non quod urbe devastata necesse haberent Tyrii superstites alia sibi quaerere loca in dissitis regionibus, novosque incolatus, ut nonnulli interpretes volunt, sed, ut recte Hieronymus observat, „quod qui in urbe remanserant captivi ducti sunt in Babylonem." Diuturnae et inveteratae felicitati, qua gavisa est Tyrus, opponitur praesens abductio et exilium, מֵרָחוֹק *Procul*, eminus, q. d. *e remoto loco* Tyrum respicientem, sicut praefixum מִ et in מִבַּיִת *intus*, מִחוּץ *foris*, מִתַּחַת *infra*, מִמַּעַל *supertus*, non dicit, res ex ejusmodi locis remotas esse, sed in iis stare, et *inde se nobis objicere.* Ita מֵרָחוֹק et supra XVII, 13. XXII, 3. sumitur.

8. Vates declaraturus causas tantae calamitatis Tyro illatae, chorum inducit hominum, fatum illud inopinatum urbis gloriosae stupentium, et in illius auctorem ejusque consilii rationes inquirentium. מִי יָעַץ זֹאת עַל צֹר הַמַּעֲטִירָה *Quis consultavit hoc contra Tyrum, coronatricem illam?* Quo quaerendi modo significatur, esse consilium audax, cujus magnum oporteat esse, non gregarium auctorem. Quum enim Tyrus urbs esset antiqua, probe munita, commercio et opibus florens, cui in

meetem venire poterat, tantam urbem, e qua multi mortales insignem percipiebant utilitatem, plane vastare? In voce הַמַּעֲטִירָה interpretanda dissentiunt. Graecus Alexandrinus vertit: μὴ ἥσσων ἐστὶν, ἢ οὐκ ἰσχύει; *numquid minor est, aut non praevalet?* Videtur, ut Trommius monuit, המעטה legisse. Hieronymus *coronatam* vertit, quod, ut in Commentario scribit, „sicut rex inter plurimam hominum multitudinem ornatum diademate erigit caput, ita Tyrus fulgens et exculta opibus, auroque, et gemmis, et serico, ac purpura nitens, regina sit in cunctis gentibus existimata.“ Hieronymum sequutus Sanctius vertit quidem *coronatam*, sed non obscure hanc commendat sententiam, vocari Tyrum ita, quod moenibus firmissimis, pinnisque et turribus, instar coronae, circumdata esset. Quam sententiam confirmare studuit J. H. Maius in *Observatt. SS.* P. II. p. 34. seqq., „qui Graecum εὐστέφανος de urbibus usurpatum, quae elegantibus firmissimisque muris sunt septae, confert, quum στεφάνη saepe turrium pinnas significet. Verum מַעֲטִירָה *coronatam* vertere, vetat Grammatica; nam quum sit Participium Hiphil, vertendum est *coronans*, i. e. coronas dans, vel quod Tyrus mercatores suos in coloniis reges principesque faceret, ut J. D. Michaelis vult in *Supplemm.* p. 1887., vel, quod cives suos decore, opibus et magnificentia quasi coronaret. Ita Kimchi: אשר סוחריה חשובים כרוזנים וכנגידים והיתה נותנת כתר ועטרה למלכיה האדירים *Cujus mercatores reputabantur instar principum et magnatum, et quae tribuebat coronam et ornamentum regibus suis splendidis,* propter abundantiam divitiarum et magnitudinem gloriae suae. Ex Vitringae mente *coronatrix* dicitur Tyrus, quod inter plures urbes hujus nominis sola *regem* haberet et *coronaret,* ut proinde *Tyrus coronatrix* idem sit quod *Tyrus regia*, hoc cognomine ab aliis urbibus hujus nominis. „Sic Scylax in *Periplo* p. 101.

M 4 ubi

ubi in maritimae Syriae ac Phoeniciae tractu describendo plures recenset urbes nomine Tyri, de Tyro vera et propria, quam ipse habuit pro insulari: *Inde alia urbs Tyrus, cum portu, qui intra muros continetur.* Αὕτη δὲ ἡ νῆσος, βασίλεια Τυρίας, *haec est autem insula, regia Tyri* scil. regis." Idem fortasse voluit Chaldaeus, qui הַמְעַטִּירָה vertit: דַּהֲוַת מַמְלְכָא מַלְכִין *quae regnare fecit*, constituit, *reges.* Saadias: عَلَي صُور الْمُظَفَّرة *contra Tyrum victoriosam;* minus apte. אֲשֶׁר סֹחֲרֶיהָ שָׂרִים כִּנְעָנֶיהָ נִכְבַּדֵּי-אָרֶץ *Cujus mercatores erant principes, institores honorati terrae?* כִּנְעָנִים *Cananaei* hic sunt *mercatores*, ut Hos. XII, 8. Job. XL, 30. (al. 25.), ad quae loca vid. not. Hieronymus: „Miramur legatum Pyrrhi quondam dixisse de urbe Romana: *vidi civitatem regum.* Ecce multo ante illa tempora negotiatores et institores Tyri, principes et inclyti describuntur, ut per haec ostendatur opulentiae magnitudo, quum negotiator Tyri alterius urbis esse rex possit."

9. Sequitur responsio prophetae ad interrogationem versu superiore propositam: יְהוָה צְבָאוֹת יְעָצָהּ לְחַלֵּל גְּאוֹן כָּל-צְבִי לְהָקֵל כָּל-נִכְבַּדֵּי-אָרֶץ *Jova exercituum* Deus *consultavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriae, et ad ignominiam deduceret universos inclytos terrae.* Ita hunc versum bene reddidit Hieronymus, qui in Commentario ad eum haec habet: „Quia supra interrogantis more dixerat: *quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatam?* nunc ipse respondet: non fatorum, ut stulti putant, sic fila deducta sunt, non fortunae cucurrit rota, sed Dei judicio et ipsius voluntate perfectum est, qui commonet arrogantes conditionis suae, ut discant potentiam ejus per miseriam, cujus clementiam per beneficia sentire noluerunt." לְחַלֵּל גְּאוֹן כָּל-צְבִי *Ad profanandam superbiam omnis orna-*

ornatus, i. e. ut omnia ornamenta, quibus tantopere ſuperbiebat Tyrus, quaſi in lutum dejecta foedaret; quo loquendi genere ad ſummam humilitatem redactam fore Tyrum ſignificat. גְּאוֹן צְבִי *Elatio decoris* hic eſt magnificentia et luxus, et cum iis conjunctus faſtus atque arrogantia, conf. Cap. XIII, 18. XVI, 6.

10. עִבְרִי אַרְצֵךְ כַּיְאֹר בַּת־תַּרְשִׁישׁ אֵין מֵזַח עוֹד *Tranſi terram tuam fluminis inſtar, filia Tarſchiſch, non cingulum amplius.* Ita ad verbum ſonat hic verſus, cujus ſenſus ob breve et conciſum loquendi genus minime planus et obvius eſt, unde haud mirum, veteres et recentiores in eo explicando in diverſa abire. Graecus Alexandrinus illum ſic vertit, ac ſi nonnulla aliter, ac nos hodie, legiſſe videatur: ἐφράζου τὴν γῆν σου, καὶ γὰρ πλοῖα οὐκέτι ἔρχονται ἐκ Καρχηδόνος· *Cole terram tuam, etenim naves nequaquam veniunt e Carthagine.* Graecum interpretem J. D. Michaelis in *Biblioth. Orient. Append. ad* P. XIV. p. 48. ſequ. non tantum עִבְדִי per Daleth (pro עברי cum Reſch), quod omnino clarum eſt, verum etiam vocis כיאור primam tantum ſyllabam כי legiſſe, omiſſa altera אר et vocula בת, vocabulum denique מֵזַח per *naves* vertiſſe ex his colligit. Probat etiam hanc totam graeci interpretis rationem; ſic tamen, ut, duabus ſyllabis אר בת in unam vocem conjunctis legat אַרְבַּת, explicatoque hoc verbo ex arabico أرب *indiguit*, attributa denique voci מֵזַח ex arabico مخ *impulit*, *navis* ſignificatione, hanc tandem totius loci verſionem efformet: *cole, cum indigueris, terram tuam, Tarteſſum, nec enim navigatio porro.* At vero contra hanc verſionem jam Doederlinius monuit, deſiderari in ea objectum orationis propheticae, nec ratione idonea vocem מֵזַח per *naves* exponi, quod ipſum Michaelis

deinceps ipse sensit, et deesse adhuc arabici خذف de impulsu *navium*, i. e. de remigando positi, exemplum fassus est in *Supplemm.* p. 1495. Accedit ad haec, verissime monente J. F. SCHELLING in *Animadverss. ad difficiliora Jesajae loca* p. 76., quod etiam a significatu verbi arabici ארב specialiori, quo cum إِلَى (אֶל) constructum tantum gaudet, ad idem verbum hebraicum simpliciter positum minus firmiter concludatur; frigidum porro, styloque prophetae non satis dignum videatur, Tartessenses jubere, ut tum demum, cum indigi sint, terram suam colant. Quod vero maximum est, non sine ratione dubitari potest, an Graecus interpres praeter unicum כִּי nihil legerit, vocabulum מֵזַח vero per *naves* verterit, quum veri longe similius sit, eum sic legisse: כִּי אֳנִיּוֹת תַּרְשִׁישׁ אֵין מֵגֵה עוֹד. Nisi enim מֵגֵה pro מֵזַח legisset, non fuisset ulla ipsi ratio, cur verterit: ἔρχονται ἐκ Καρχηδόνος. Verba hebraea autem si ita, ut Graecus interpres illa legisse verisimile est, legantur, Schelling observat sensum exhibere hunc clarum et perspicuum: *cole* jam *terram tuam*, agriculturae da operam, *quum nullae amplius naves mercatoriae ad te venturae sint.* Addit tamen ipse: „An unius interpretis Graeci auctoritate tam longe a textu recepto recedere fas sit, id quaeri posset; tum vero etiam, si usum linguae spectemus, an ullo exemplo probari possit, אֶרֶץ de *agris* usurpari, et annon propheta, hoc si voluisset, עִבְדִי אַרְמָתֵךְ potius, vel שָׂדֵךְ scripturus fuisset.“ Ceteri veteres interpretes ita verterunt, ut non aliter ac nos legisse illos pateat, etsi et illi in sensu exprimendo inter se dissentiant. Hieronymus: *Transi terram tuam quasi flumen, filia maris, non est cingulum ultra tibi.* Quae in Commentario ita exponit: „Sicut,“ inquit, „fluvius, sive, ut in Hebraeo significantius habet, *rivulus*, hoc enim

enim dicitur *Jor* [יְאֹר], facile transitur pede; ita et tu terram tuam, in captivitatem ducta, transibis, o filia maris, vel, quia insula es, vel, quia supra [vs. 4.] de te scriptum est: *dixit mare, fortitudo maris, non parturivi et non peperi.* Quodque infert: *non est cingulum ultra tibi*, quem sensum habeat, apertius Symmachus docet: *non poteris ultra resistere*, id est, non habebis vires, nec accinctos ad pugnandum lumbos tuos, ut possis adversariis contraire." Verum quod Hieronymus hebraeum יאר *rivulum* notare ait, in eo aperte falsus est, quum illud nomen in singulari numero usurpatum fere semper *Nilum* notet, si Dan. XII, 5. 6. 7. excipias, ubi de fluvio majore in universum dicitur. Neque probari potest, quod בַּת־תַּרְשִׁישׁ *filiam maris* vertit, *Tyrum*que ita nuncupari autumat. Chaldaica hujus versus interpretatio talis est: גְּלָא מֵאַרְעִיךְ כְּמֵי נַהֲרָא עֲרוֹק לִמְדִינַת יַמָּא לֵית תְּקוֹף עוֹד *Migra de terra tua, sicut aquae fluminis, fuge in provinciam maris, non est ultra fortitudo.* Chaldaeum sequitur Kimchi, qui לְבַת תַּרְשִׁישׁ, praefixo ל suppleto, dictum pro בַּת־תַּרְשִׁישׁ observat, additque: כלומר לעדת תרשיש והיא גם כן על הים *quasi dicat: ad congregationem, s. civitatem Tarschisch, quae et ipsa ad mare est sita.* Quae interpretatio ferri possit, si dictio בַּת־תַּרְשִׁישׁ cum verbis quae praecedunt conjuncta esset; sed Masorethae per accentum Athnach voci כַּיְאֹר adscriptum verba quae sequuntur prioribus arctius jungere vetant. Nisi forsan ante בַּת־תַּרְשִׁישׁ e priori hemistichio עִבְרִי repetas, quasi scriptum esset עִבְרִי לְבַת־תַּרְשִׁישׁ; quae ellipsis tamen durior videtur. Syrus: ܥܒܘܪܝ ܠܐܪܥܟܝ ܐܝܟ ܢܗܪܐ ܒܪܬ ܬܪܫܝܫ ܠܝܬ ܬܘܒ ܡܢ ܕܛܪܕܟܝ *Transi ad terram tuam, sicut flumen, filia Tharschisch, non est amplius, qui te expellat.* Habuit מֵזִחַ pro Participio Hiphil verbi זָחַח *dimovit, removit* loco, Exod. XXVIII, 28. XXXIX,

XXXIX, 21., uti a אָצִיל Ezech. XXXI, 3. est מֵצַל *umbram faciens*, et 1 Reg. VI, 29. מֵסַב *circumdans*, a סָבַב. Sensus, quem Syrus interpres expressit, est planus et elegans, modo sumas, veteres Tartessi incolas a Tyriis, coloniam illis in oris condentibus, e sua ditione expulsos et repressos fuisse, quos igitur invitat vates, ut jam, destructa Tyro, in veteres redeant fines, et per eos late et libere sese diffundant, instar Nili, aut magni cujusque fluvii, arva exundantis. A qua sententia haud multum abludit Koppius, nisi quod is מֵזַח *cinguli*, *zonae* significatu sumat, quem Ps. CIX, 19. obtinet, cingulumque pro servitutis et oppressionis symbolo habeat. Ponit enim, durius habitos fuisse Tartessenses a Tyriis, pro communi fere coloniarum omnis aevi sorte; significari itaque hoc versu Tartessensibus, nihil ipsis jam porro obstare, quo minus ceu fluvius, perruptis repagulis, terram suam obire libereque sua commercia exercere possint. Quam sententiam haud parum verisimilitudinis habere, fatetur quidem Schelling l. c., nec tamen facile intelligi posse monet, quomodo propheta hoc posito Tartessenses, *suam* tantum ut *terram* transirent, jubere potuisset, quasi omne eorum commercium his tantum finibus se continuisset. Et ipse quidem Schelling, quemadmodum vs. 6. Tyrii Tartessum trajicere monentur, sic his Tartessenses ipsos eo reverti moneri existimat, quod idem etiam vs. 12. sive Citiaeis, sive aliis quibuscunque exterarum regionum mercatoribus, qui commercii gratia adhuc Tyri commorati fuerant, significatur, suos ad lares ut se recipiant, quamvis nec ibi satis tuti sint futuri. Cui sententiae vero quum obstare videatur vox כַּיְאֹר; non tam exundantis in arva, quam potius regredientis in suos alveos Nili imaginem obversatum fuisse prophetae oculis censet. Quod tamen verbum עָבַר vix admittat, quod de fluvio usurpatum semper dicitur de eo, qui alveum suum egreditur. *Cingulo*, מֵזַח, Schelling

ling cum Chaldaeo intelligit vallum a portu in continentem porrectum, quo quasi cingulo haec vel conjungeretur cum illo, vel ille ab hac distineretur. Sed multo concinniorem esse sensum supra a nobis, Syro praeeunte, propositum, nemo facile inficiatur. Prorsus pervertunt prophetae sententiam, qui de *Tyro* hunc versum agere volunt, ut Hieronymus, et inter recentiores Vitringa, qui hoc modo explicationem instituit: „Vis sententiae propheticae," inquit, „manifeste incumbit in extrema ejus: אין מֵזַח עוד *nullum amplius est cingulum*, balteum, ut Ps. CIX, 19.; id vero de Tyro metaphorice dictum, significat dissolutam esse rempublicam, depositum occisumque regem et praefectos, reipublicae et societatis civilis *vincula* et *cingula;* destructa vastataque esse munimenta, et muros urbis, altos latosque eam circumscribentes et arctantes (haec enim singula et universa rectissime veniunt nomine *cinguli*), sic ut omnibus complanatis, nihil supersit, quod *agrum* ab *urbe* discernat, rempublicam fulciat, urbes terramque muniat. Qui cum certus sit sensus postremae partis hujus sententiae, priora sic sunt interpretanda, ut sensum admittant analogum, cum posterior sententiae pars priorem ut obscuriorem illustret. Id vero assequeris, si verba prophetae: *transi terram tuam, ut fluvium, nullum amplius cingulum est*, sic accipias: *transi*, o Tyrie, *terram* tuam, h. e. tam ipsam Tyrum, quam terram, ei subjectam, olim egregie munitam, tum praefectura civili, et praesidiis militaribus, tum muris urbium arciumque, reipublicae firmamentis: aspice, inquam, rempublicam eandem absque cingulo, omni modo solutam, et *transi* eam instar *fluvii* planam aequatamque solo absque munimentis ac repagulis. Ut enim יאור *fluvius* seu *rivus* placide fluens, *aequa* et plana est *superficie*, quem si nave transeas, nihil, quod te in aequa et plana superficie moretur, offendas; sic terra, tibi subjecta, ab hoste

hoſte direpta, vaſtata, deſolata, munimentis ſolo aequatis, aequam tibi praeſtabit ſuperficiem planamque, ut inſtar *fluvii* eam *tranſire* poſſis.' Suppono autem, orationem hanc converti ad Tyrios; quod tamen dubium videri poſſet. Quomodo enim *Tyrus* appelletur *filia Tarteſſi*, cum *Tarteſſus* potius *filia Tyri* dicenda videatur? Sed dubium facile expeditur. Propheta ſic elegantiae cauſſa ſcripſit, quod deſtructa everſaque Tyro, Tarteſſus dehinc reſpicienda eſſet ut *metropolis* Tyri, quippe a qua, tanquam principe urbe, dehinc reliquiae urbis vaſtatae penderent." Cum hac Vitringae interpretatione in nonnullis conſentit Dathius, qui ſic vertit: *Migra e terra tua quam celerrime* (ſic reddit כַּיְאֹר, et conferre jubet Jeſ. LIX, 19., nec aliter Saadias: كَتَخْلِيجٍ مَآءٍ يُسْرِعُ *inſtar canalis aquae velocitet*), *filia Tarteſſi, omne decus et ornamentum tibi ablatum eſt.* Et in nota ſubjecta addit: „*filia Tarteſſi* vocatur Tyrus, quia, cum multi Tyrii eo confugiſſent, ſpectari poterat ut mater, quae foveret Tyrios. *Non amplius cingulum eſt*, *vel* rex et proceres reipublicae omnes interfecti ſunt, *vel* omni decore et ornatu privata es, cui inſerviunt cingula in Oriente." Sed eadem ratione, qua Sion בַּת־צִיּוֹן, Babylon בַּת־בָּבֶל, et Tyrus ipſa Pſ. XLV, 13. בַּת צֹר dicitur, hoc loco בַּת־תַּרְשִׁישׁ Tarteſſus eſt ipſa. Quod Dathianae interpretationi et recte oppoſuit Doederlein, qui hunc locum ſic vertit: *Jam meabis, fluvii more, per terram tuam, Tarteſſus, nullum amplius cingulum*, i. e. „abundabis hominibus, opibus, divitiis, ſoluto cingulo, quo repreſſa fuiſti, ſive rejectis incrementi tui impedimentis. Nempe ut fit in civitatibus mercatura celebribus, alterius caſus et interitus alteram provehit." Qui ſenſus in rei ſumma convenit cum eo quem nos ſupra indicavimus.

11. יָדוֹ נָטָה עַל־הַיָּם הִרְגִּיז מַמְלָכוֹת *Manum ſuam extendit ſupra mare* (ſcil. Jova, ut patet ex vs. 9. et *membro* hujus *verſiculi* poſteriore), *commovit regna*, h. e. Deus Iſraëlis potentiam viresque ſuas exſeruit ad exſequenda ſupplicia in Phoenicem, oram Syriae maritimam, ita ut plura regna evertantur. *Extenſio manus* eſt minitantis, vel percutientis et exequentis vindictam; conf. ſupra Cap. V, 25. Per *mare* hic non ſola intelligitur Tyrus, ſed *Phoenice*, ſive *ora maritima* contermina, in qua plura erant regna, a Nebucadnezare deſtructa: nam, ut Strabo refert L. XVI. p. 754. ἑκάστη πόλεων τῶν Φοινίκων, *quaelibet urbs Phoenicum regem habuit.* Ceterum verbum רִגֵּז ſaepe adhibetur de everſione et exitio rerum publicarum, veluti Cap. V, 25. XIV, 16. Jerem. L, 34. Hagg. II, 7. 22. 23. יְהוָה צִוָּה אֶל־כְּנַעַן לַשְׁמִד מָעֻזְנֶיהָ *Jova praecepit de Canaane, ut munimenta ejus devaſtentur.* Vocula אֶל hic eſt ſumenda *objective*, ut notet non objectum *cui*, ſed *de quo*, uti Ezech. XXI, 28. Pſ. XCI, 11., quem Hebraismum imitatus eſt ſcriptor epiſtolae ad Hebraeos I, 7. Καὶ πρὸς μὲν τοὺς ἀγγέλους λέγει, h. e. *de angelis.* מָעֻזְנֶיהָ, Kimchio obſervante, hic ſcriptum eſt pro מָעֻזֶּיהָ, littera נ ex uſu Chaldaico ſubſtituta geminatae radicali, ut קָבְנוֹ *exſecrare eum*, Num. XIII, 13. pro קָבוֹ, et תַּמְנוּ *conſumant*, Pſ. LXIV, 7. pro תַּמּוּ. J. D. Michaelis in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* p. 1879. confert noſtrum vocabulum cum Syriaco ܡܥܙܢܐ *ſpinae*, cum quibus in libris Hebraicis ſaepe comparantur *mali* et *improbi*; unde vertit: *juſſit Jova omnia vepreta*, ſ. *omnes ſpinas ejus exſcindi.* Quod autem Michaelis in Notis ad verſionem germanicam dicit, hos eſſe h. l. colonias Tyriorum ad oram maris mediterranei, me non ſatis intelligere fateor.

12. וַיֹּאמֶר לֹא־תוֹסִיפִי עוֹד לַעֲלוֹז *Dixitque* ſcil. Deus: *non perges amplius exſultare*, laſcivire, voce, geſtu,

geſtu, moribus animi vanam in florente ſtatu tuo fiduciam prodere; cf. de hoc verbo not. ad vs. 7. הַמְעֻשָּׁקָה בְּתוּלַת בַּת־צִידוֹן *O oppreſſa, virgo filiae Sidonis*, ſ. *virgo filia Sidon*, nomina enim Hebraeis haud raro ponuntur in ſtatu conſtructo, cum nos ea in appoſitione ponimus, ut נְהַר פְּרָת *fluvius Euphratis*. Pro בַּת־צִידוֹן codd. ſedecim Kennicotti et de Roſſii cum LXX. in cod. Alexandrino et Arabe in Polygl. legunt בַּת־צִיּוֹן. Sed recte Doederlein, „non mutanda eſt,“ inquit, „vulgaris lectio, צִידוֹן, nam et rarior eſt, et auctoritate reliquarum verſionum, et ipſa facilitate in hac orationis ſerie commendatur.“ Ceterum ut בַּת־צֹר *filia Tyri*, Pſ. XLV, 13. ſumitur pro *Tyriis*, *filia Babylonis* pro *Babyloniis*, *filia Sionis* pro *Zioniis*; ita h. l. בַּת־צִידוֹן *filia Sidonis* intelligenda eſt de *Sidoniis*. Junguntur Tyriis ut ſupra vs. 2. et 4., et ab Ezechiele Cap. XXVIII., ob vicinitatem, mutuum commercium, ingeniorumque et ſtudiorum communionem. הַמְעֻשָּׁקָה בְּתוּלַת, quod vulgo vertunt *virginem oppreſſam*; Driessenius in *Obſervatt. Philol. Criticc. ad quaedam V. T. loca*, Groening. 1774. notare vult *concupitam*, *adamatam virginem*, collato arabico عشق *amavit*. Tyrum comparari cum muliere meretrice, quam ardeant omnes reges terrae, ſec. vs. 17. Ita haberemus: *non perges amplius exſultare; o virgo adamata! et tot amatorum numero ſuperbe te efferre!* Sed verbum עָשַׁק ceteris omnibus V. T. locis ſemper valet *vim alicui inferre*, *opprimere aliquem*, neque eſt uſus loquendi ſine neceſſitate deſerendus. Vocat propheta Sidonem *virginem oppreſſam*, cui a validiore illata fuerat vis, cum maximo ejus dedecore conjuncta, quod libertate atque decore privata eſſet inſtar vitiatae virginis. Quare monet Sidonios, ut ſi rebus ſuis qualitercunque hoc triſti ſtatu conſulere velint, vertant ſolum, et quanto ocyus ad *Cit-*

thiaeos

thiaeos transeant: קוּמִי עֲבֹרִי כִּתִּיִּים *ſurge, transi ad Citthiaeos;* aliam enim verſionem vix pati videntur verba hebraea, et ſunt hoc loco verſiones antiquae ſatis inter ſe concordes, niſi quod Graecus Alexandrinus, ſenſum exprimens, conſtructionis curam non habuerit, dum haec verba una cum iis quae proxime ſequuntur, ita transtulit: *καὶ ἐὰν ἀπέλθῃς εἰς Κητιεὶμ, οὐδὲ ἐκεῖ σοι ἀνάπαυσις ἔσται.* Hieronymus recte: *in Cethim conſurgens transfreta.* Neque eſt cur Doederlinius dicat, hanc interpretationem non admitti legibus Grammaticae; alloqui potius prophetam Citiaeos, qui mercaturae cauſa ſedem in Tyro fixerant, quos jubeat migrare, atque deſerere ſtationem minus tutam. Vertit igitur verba noſtra: *Citiaei! ſurgite, abite, nec enim vobis amplius ibi ſedes quieta ſupereſt!* Sed כִּתִּיִּם poſitum eſſe pro אֶל כִּתִּים nihil habet inſoliti, eſtque ſententia heic preſſa, eumque in modum conſtructa, ut fugae neceſſitatem et feſtinationem vivide exprimeret, quae et verborum transpoſitione exprimi videtur; debebat enim oratio prophetae ſecundum naturalem ductum ſic eſſe conſtructa: קוּמִי עֲבֹרִי אֶל־כִּתִּיִּם *ſurge, transi ad Cithiaeos;* ſed ubi res urget, et periculum imminet cervici, qui alium ad maturandam fugam incitat, quod ultimo dicendum erat loco dicit primo. Pro כִּתִּיִּם, cum duplici Jod, quod in textu librorum editorum tantum non omnium atque in codicum Orientalium, i. e. recenſionis Babylonicae legitur, Occidentales, ſive recenſionis Palaeſtinenſis codices habent כִּתִּים. Notat Kimchi, duplicem Jod ſcribi, ſed non legi, quum Chirek literae *Thau* ſit ſubſcriptum, non vero τῷ Jod; utrumque, כִּתִּיִּם et כִּתִּים, idem valere, ut Exod. III, 18. עִבְרִיִּים (ubi tamen in noſtris libris עִבְרִיִּים legitur) idem eſt quod עִבְרִים, *Hebraei.* גַּם־שָׁם לֹא־יָנוּחַ לָךְ Quin *etiam ibi quieſcere tibi non licebit.* Verbum נוּחַ hic imperſonaliter uſurpatur, plane ut Job. III, 13. אָז יָנוּחַ לִי *tunc quies mihi eſſet.* Dicit

igitur vates, Sidonios patriam linquentes non ſatis tutos fore ab hoſtibus in maris mediterranei inſulis, quas nomine כִּתִּים indicari vidimus ſupra ad vs. 1. In alia omnia hisce in verbis interpretandis abit Jo. Gothofr. Lackemacher in *Obſervatt. philologg.* P. X. Obſ. III. p. 201. ſeqq., qui quum perſuaſum haberet, agi toto hoc capite de Tyro, non per Chaldaeos, ſed per Macedonas, Alexandro M. expugnanda, et per כִּתִּים *Macedones* intelligeret, quorum regio olim, teſte Heſychio, Μακεττία, vocabulo τῷ כִּתִּים magis etiam affini fuit appellata; verba כִּתִּיים קוּמִי עֲבֹרִי ſic vertit: *o Citthim! ſurge, tranſi!* i. e. Macedones, alacriter transite! Tranſitum vero iſtum ad iter opinatur pertinere, per terram Judaicam Aegyptum verſus faciendum ad expeditionem Aegyptiacam, quam ſuſcipere debeant Macedones, Tyro expugnata. „In illa enim expeditione tranſitus per Judaeorum terram vitari non poterat, niſi forte mare trajiceretur. Ac transiit revera Alexander, in Aegyptum cum exercitu proficiſcens, per Palaeſtinam, quam et in deditionem aequis condisionibus accepit, ut refert Arrianus *de expedit. Alexandri M.* L. II. c. 25.“ Quum vero adſcita verſione a Lackemachero propoſita verborum כִּתִּיים קוּמִי עֲבֹרִי, non intelligatur, quo referendum ſit in verbis proximis גַּם־שָׁם לֹא־יָנוּחַ לָךְ *nec ibi tibi requies erit*, illud שָׁם *ibi*, monet ille, in ſermonibus prophetarum obſcuritatis, difficultatisque tolli interdum poſſe plurimum, ſi ad geſtus, cum quibus prolata fuere verba, attendat lector et interpres. Eam obſervationem adhibendam eſſe et hoc loco, et concipiendum nobis eſſe prophetam, manum, dum pronunciaret voculam שָׁם *ibi*, auſtrum verſus extendentem, ut geſtu Aegyptum deſignaret, quam ingreſſurus ſit Alexander, Phoenice atque Palaeſtina ſubjugatis. Negare autem prophetam *quietem* ibi fore Macedonibus, quo ſignificet, non ſubſtiturum ibi eſſe Alexandrum finemque victo-

victoriarum facturum, sed progressurum ulterius, et victricia arma in regiones etiam alias circumlaturum. Verum ut taceamus, mero pro lubitu sumi, prophetam vocem שָׁם pronunciando gestu designasse Aegyptum, interpretationi a Lackemachero propositae potissimum hoc obstat, utrumque versus hemistichium ex illa plane non cohaerere, et prodire duas diversas sententias minime inter se aptas et concinnas.

13. Vates postquam demonstrasset Jovam caussam supremam et principem evertendae Tyri, jam ostendit instrumenta, quibus in Deus hoc opere uti decreverat. הֵן אֶרֶץ כַּשְׂדִּים זֶה הָעָם לֹא הָיָה אַשּׁוּר יְסָדָהּ לְצִיִּים הֵקִימוּ בַחוּנָיו עֹרְרוּ אַרְמְנוֹתֶיהָ שָׂמָהּ לְמַפֵּלָה *En terram Chaldaeorum! hic populus non fuit: Assur fundavit eum deserticolis: erigunt turres suas speculatorias, et palatia ejus denudant, reddunt eam ruinam.* Sensus hic facilis et obvius mirum est quantum ab interpretibus veteribus et recentioribus obscuratus et perversus fuerit. Quod factum jam ab interprete Graeco Alexandrino, qui hunc versum ita accepit, ac si oratio versu superiore coepta hic continuaretur, et ex utroque, multis neglectis et praecisis, hanc confecit sententiam: *quodsi abieris ad Citthaeos; neque ibi requies erit tibi* (quae sunt ultima versiculi superioris), καὶ εἰς γῆν Χαλδαίων, καὶ αὕτη ἠρήμωται ἀπὸ τῶν Ἀσσυρίων, ὅτι ὁ τοῖχος αὐτῆς πέπτωκεν, *et in terram Chaldaeorum, et haec desolata est ab Assyriis, quoniam murus ejus corruit.* Nihil in his sani est, sive verba in se inspicias, sive cum verbis prophetae conferas. Quum enim vates doceat, Chaldaeos statum suum debere Assyriis, et historia insuper tradat, Chaldaeos cum Medis concurrisse ad destruendum imperium Assyriacum, idem hic, ex versione Graeca, multis praeteritis, negatur, asseriturque, *Assyrios desolasse terram* Chaldaeorum, et connectitur praeterea sententia

cum superiore, cum qua nihil commercii habet. Rectius verba hebraea expressit Hieronymus hoc modo: *Ecce terra Chaldaeorum! talis populus non fuit. Assur fundavit eam; in captivitatem traduxerunt robustos ejus; suffoderunt domos illius, posuerunt eam in ruinam.* Summam et scopum ejus, quod his verbis dicitur, perspexit, licet omnes sententiae partes earumque structuram recte assequutus non sit, ut mox ostendemus. Sed recentioris aevi interpretes haud pauci prophetam hoc dicere arbitrati sunt, non esse, quod civitatis tam vetustae et tam opulentae ruina alicui valde mira et supra fidem videatur, quippe exemplum capi posse e terra Chaldaeorum, quae quum ab Assyriis occupata, instructa, munita sit, simile tamen fatum effugere non possit. Ita, ut alios mittamus, Bochartus *Geogr. S.* P. I. L. III. Cap. 5., qui hunc versum connectit cum ultimis versus superioris, ubi propheta monuerat Tyrios, quotquot superstites essent ab hoste, ut fugerent, sive transirent ad Citthaeos, i. e. secundum Bochartum, Cuthaeos, Susianae et Babyloniae incolas (vid. not. ad vs. 1.); sed addiderat: *etiam illic non erit tibi requies.* Id Bochartus his verbis declarari autumat in hunc sensum: ecce enim ipsam quoque hanc terram Chaldaeorum, quam Assyrii instruxerunt et ornarunt, Deus *posuit in ruinam*, i. e. excidio destinavit, scilicet per Cyrum, ut in ea quiete habitaturi non sitis. Verum superiorem versum non ferre illum sensum, quem Bochartus ei dedit, vidimus; nulla ibi mentio est deportationis Tyriorum in Chaldaeam, sed secessus liberi ad Citthaeorum populum, a Chaldaeis longe diversum. Neque credibile est, prophetam ostendere voluisse, nemini mirum videri debere, Tyrum tam gravia pati, quum et terra Chaldaeorum ab hoste sit occupanda et vastanda. Nam si id ageret vates, ut lapsum Tyri ex alia simili calamitate illustraret; exemplum petere debebat a casu

su-

perioris et praeteriti temporis. Certum igitur eſt, extremam hujus verſus partem de Tyro vaſtanda agere, atque nexum cum ſuperioribus ſibi conſtare hac ratione, quod quum vates indicaſſet auctorem calamitatis Tyro immittendae, Deum, Jovam, jam oſtendat, per quos exſequuturus ſit poenas Tyriis decretas. *En*, ait, *terram Chaldaeorum!* Per eam non dubium eſt hic praecipue intelligi regionem Babyloni ſubjectam ad Euronoton, quae a Babylone et montibus Chaldaeis ad ſinum Perſicum extendebatur, quam regionem Veteres Babylonem vocarunt. Hanc enim ſedem fuiſſe veram Chaldaeorum ab Aſſyriis ex boreali Meſopotamia huc translatorum oſtendimus ad Habac. I, 6. p. 363. ſeqq. Inde paſſim apud vates Hebraeos *Babel* et *terra Chaldaeorum* alternantur, ut infra XLVIII, 14. 20. Jerem. L, 1. LI, 24. Ezech. XII, 13. Per *terram* Chaldaeorum hic indicari incolas ejusdem, Chaldaeos, ſive Babylonios, docet quod additur זֶה הָעָם לֹא הָיָה, quod poſitum pro זֶה הָעָם לֹא הָיָה עָם *hic populus non erat populus*, ſcil. illuſtris, magnus, ut Deut. XXXII, 21. Quem ſenſum phraſeos ex ſimilibus locutionibus ſcriptorum ſacrorum et exterorum copioſe illuſtravit Jacob. Perizonius in *Origg. Babylonn.* P. II. Cap. VI. p. 70. ſeqq. En! inquit vates, Babyloneos, ſ. Chaldaeos non ita pridem in deſertis vagatos, nullum habentes nomen, nullam rempublicam. Ceterum quod ad rem confer Job. I, 17. ex quo loco patet, Chaldaeos olim Nomadum praedantium vitam egiſſe, non rempublicam habuiſſe ſtabilem, et inter Orientales populos conſpicuam J. D. Michaelis in *Spicileg. Geogr. Hebraeor. ext.* P. II. p. 82. „Recens Jeſajae eſt populus Chaldaeorum, nec antea fuit. Id quidem de Chaldaeis univerſim dici nequit, Abrahami jam tempore inclytis, et quorum ſummam antiquitatem laudat Jeremias Cap. V, 15.; at potuerunt in Chaldaea *prope Babylonem* novi et recentes eſſe, videturque colonia

 eo-

eorum, Nomadum antea errantium, certas ibi sedes ab Assyriorum regibus paulo ante Jesajam accepisse." אַשּׁוּר יְסָדָהּ לְצִיִּים *Assur fundavit eam deserticolis*, i. e. Chaldaei, qui in deserto in tentoriis soliti erant habitare, vitamque erraticam ducebant, ab Assyriis congregati, et in urbes collecti sunt. Vitringa: „Dicere vult propheta, *Assyrios* eam occupasse *terram*, quam insederunt Chaldaei, et Babylonem, Chaldaeorum metropolim, munivisse, exornasse, et *agrum Babylonicum*, inundationibus Euphratis expositum, *aggeribus* sepsisse, ut plane tradit Herodotus Lib. I. c. 184. 185. 186. Eundem in sensum Michaelis l. c.: „*fundatam* dicit *terram incolis deserti*; fundatam, id est, ni fallor, aggeribus munitam, qui exundantem Euphratem coercerent; *incolae* autem *deserti* videntur Nomades Chaldaei esse, longe a patria, Curdorum fere in morem, per deserta Arabica etiam et Syriaca errantes, nec sine latrociniis." צִיִּים interpretes alii verterunt *naves*, alii *feras*, alii *feroces incolas*: quas interpretationes enarravit et refutavit Perizonius l. c. ipseque (in *Addendis* pag. 366. seqq.) recte contendit, per צִיִּים hic commodissime intelligi *deserticolas*, sive Σκηνίτας, ut Ps. LXXII, 9., h. e. ipsos Chaldaeos deserta cum pecudibus peragrantes. In alia omnia abit Doederlein, qui vertit: *Chaldaei, dissimiles Assyriis, Tyrum in vastitatem redigent*: cujus versionis rationes reddit in nota subjecta hasce: „Dictio יְסָדָהּ לְצִיִּים synonyma est posteriori שָׂמָהּ לְמַפֵּלָה, quae non potest nisi de *Tyro* intelligi. Itaque de evertenda per Chaldaeos Tyro totum comma interpretamur, accentibus tantum mutatis, quorum precaria auctoritate jubemur אַשּׁוּר a voce הָיָה divellere. Nos vocem אַשּׁוּר cum *versione Arabica Msc. Oxford.* in *Bibl. Polygl. Londinens.*, quae lacunam versionis LXX. et Arabicae ad eam adornatae replet, priori commati jungimus, hoc sensu: *Chaldaei non erunt, sicut Assyrii, a quibus* plu-

plures urbes non potuere expugnari. Namque Assyriae regem Salmanassarem multas Phoeniciorum urbes, Sidonem, Accen et rel. deditione facta occupasse, a Tyriis autem praelio navali devictum, aquae penuria frustra tentasse urbem, *Menander* auctor est, apud Josephum *Antiqq. Jud.* Lib. IX. c. 15. §. 2. Est autem poetice dictum, *urbem felibus agrestibus condere*, pro *domos ejus destruere.*" Quae tamen interpretatio quam sit quaesita et coacta, quisque sentiet ipse. Verba הֵקִימוּ בַחוּנָיו עֹרְרוּ אַרְמְנוֹתֶיהָ Vitringa et Michaelis referunt ad *Assyrios*, diverso tamen sensu. Ille enim verba nostra ita interpretatur: „Assyrii, postquam Chaldaeos eremivagos illuc transtulerint, *turres ejus* speculatorias *erexerunt*, *et excitarunt palatia.*" Sed Michaelis l. c. הֵקִימוּ בַחוּנָיו vertit, *errantes Nomades consistere fecerunt*, additque: „displicet consueta explicatio, *erexerunt speculas ejus:* speculae enim Nomadum sunt errantium, qui ipsi eas erigunt, non a datore stabilis sedis rege accipiunt; confero potius Arabicum بَحَّنَاءٌ *mansio Nomadum nocturna.* Videntur ergo reges Assyriae errantibus antea per deserta Chaldaeis in vicinia Babylonis certas sedes dedisse, praesidio forte finibus futuris contra Babylonem Assyriis non subditam, nec amicam, indeque regio nomen accepisse." Verum enimvero quum versus hujus verba ultima, שָׂמָהּ לְמַפֵּלָה, de *exitio Tyri* manifeste sint intelligenda, priora hujus membri posterioris, הֵקִימוּ בַחוּנָיו עֹרְרוּ אַרְמְנוֹתֶיהָ, ad rem eandem referenda esse vix dubium est. Verissime Hohbisel in *Observatt. philologico-exegeticis quibus difficiliora Esajae loca illustrantur* p. 166. observat, illi sententiae e qua verba הֵקִימוּ בַחוּנָיו עֹרְרוּ אַרְמְנוֹתֶיהָ de Assyriis accipiuntur, aperte reclamare accentuum tenorem. „Sic enim major distinguendi valor tribuitur accentui *Sakeph katon* voci אַרְמְנוֹתֶיהָ apposito, quam

Atnacho ad vocem לְצִיִּים. Si locum obtineret expoſitio a Vitringa allata; Atnachus ad vocem אַרְמְנוֹתֶיהָ, non ad vocem לְצִיִּים collocandus fuiſſet. Quae quum prorſus aliter ſe habeant, manifeſtum habemus indicium, Chaldaeorum, qui ſubjectum in hoc verſu conſtituunt, deſcriptionem ad Atnachum ſe extendere, et cum voce הֵקִימוּ praedicatum ſuum capere initium. Eo potius tendit mens prophetae, Chaldaeos in obſidenda Tyro turres ſuas adverſus eam erecturos, et caſtella ac palatia Tyri deſtructuros. Verbum עוֹרְרוּ ſignificationem *diruendi* non reſpuere, demonſtrari poteſt ex Jerem. LI, 58. *Muri Babylonis latiſſimi* עַרְעֵר תִּתְעַרְעָר *plane nudabuntur*. i. e, diruentur. Quibus ſuppoſitis integrum hemiſtichium poſterius ita reddendum et exponendum: *erigent* (Chaldaei) *turres ſuas ſpeculatorias* (adverſus Tyrum), *et palatia ejus denudabunt* (deſtruent); *ponet eam* (Tyrum, inquam, ponet Chaldaeus) *in ruinam.*" Haec Hobeiſel, qui ignoraſſe videtur, eodem plane modo, quo ipſe, hunc locum interpretari Jarchium. Ejus haec ſunt verba: הֵקִימוּ בְחוּנָיו הם. יקימו מצודותיהם על צור בחוניו לשון עופל (לקמן ל״ב) בורפריין בלעז שעושין למצור על הכרכים עוררו אַרְמְנוֹתֶיהָ יחריבו לשון ערו ערו לשון גחיצה עד היסוד *Excitant turres ſuas, i. e. erigent munitiones ſuas contra Tyrum;* בחון *hic habet ſignificationem clivi et munitionis, ut infra XXXII, 14., pourpris lingua Gallica* (Germanice *Bruſtwehr*), *quae fiunt ad oppugnandas urbes. Verbum* עוֹרְרוּ *hic valet deſtruent, ut Pſ. CXXXVII, 7.* עָרוּ, *i. e. deſtruite usque ad fundamentum.* Nec refragatur huic expoſitioni ſuffixum maſculinum vocis בְּחוּנָיו, quod ad עַם *populum* Chaldaeum reſpicit, non ſecus ac ſi ſcriptum eſſet: הֵקִים בְּחוּנָיו *erexit* populus ille *turres ſuas ſpeculatorias.* Nomen עַם vero, utpote collectivum, conſtrui tam cum verbo ſingulari שָׂמָהּ, quam cum pluralibus עוֹרְרוּ et הֵקִימוּ, nil

nil habet miri aut insoliti. Sic Exod. I, 20. dicitur וַיִּרֶב הָעָם וַיַּעַצְמוּ מְאֹד *multiplicatus fuit populus ille et corroborati sunt valde.* Ne vero putes, transitum a singulari ad pluralem longe esse faciliorem et naturae convenientiorem, quam transitum a plurali ad singularem, si de eodem subjecto continuetur oratio (quae ratio Vitringam movit, ut verba pluralia הֲקִימוּ et עֹרְרוּ de Assyriis, non de Chaldaeis acc perit, quum de Chaldaeis statim in singulari dicatur שָׂמָהּ), en! loca, in quibus idem est, ac hic, a plurali ad singularem transitus. Num. XIII, 22. *Et ascenderunt* exploratores *per meridianam plagam*, וַיָּבֹא *et venit* exploratorum caterva *Chebronem usque.* Eodem Capite, quum versu 23. de exploratoribus in numero plurali loquutus fuisset scriptor, versu 24. in Singulari pergit: *locum istum* קָרָא *vocavit* turba exploratorum *vallem Escol.* Ita 1 Sam. XVI, 4. *Trepide accurrebant seniores civitatis ei obviam, et dicebat* turba illorum seniorum: *prosperene advenis?* Quid igitur obstat, quo minus primo hic Pluralem, postea Singularem sensu collectivo de Chaldaeis usurpasse vatem dicamus? Ceterum mutavit propheta genus suffixi, adhibendo masculinum in voce בַּחוּנָיו, femininum in voce אַרְמְנוֹתֶיהָ, ut illam ad turres speculatorias τῆ עַם כַּשְׂדִּים *populi Chaldaei*, hanc ad palatia urbis צוֹר Tyri, quae est generis feminei, ut alia etiam urbium nomina, tanto facilius referatur, prouti etiam verbum שָׂם in masculino de populo Chaldaeo, suffixum הָ ei annexum feminini generis de Tyro usurpat.

14. הֵילִילוּ אֳנִיּוֹת תַּרְשִׁישׁ כִּי שֻׁדַּד מָעֻזְּכֶם *Ejulate, naves Tartessi, quia vastatum est munimentum vestrum.* Cum propheta indicasset per quos Tyrus sit vastanda, suscitata illius casus commemoratione nova apostrophe orationem vertit ad *naves Tartessi*, id est, ad nautas,

 sive

sive Tyrios, Tartessum, sive Tartessios Tyrum commercii causa euntes; navigatio enim ultro citroque instituebatur, et ipsi quoque Tartessii magnam partem ortu erant Tyrii. Joanni. Apocal. XVIII, 17. qui hic designantur per *naves Tartassi*, dicuntur πᾶς κυβερνήτης, καὶ πᾶς ἐπὶ τῶν πλοίων ὁ ὅμιλος, καὶ ναῦται, καὶ ὅσοι τὴν θάλασσαν ἐργάζονται. Hi vocantur ad ejulatum, quia Tyrus, qua una superstite et florente stare videbantur illorum fortunae; quaque una et quidem munitissima urbe tuti esse posse videbantur, vastata atque eversa esset.

15. Postquam Tyrus per tempus longum ad maximam ignobilitatem redacta fuerit; aliquando iterum se efferet, pristinamque nobilitatem et gloriam adipiscetur: pro more vatum Hebraeorum, saepius jam observato, qui severas calamitatum praenunciationes sive descriptiones temporum laetiorum imaginibus temperare solent. וְהָיָה בַּיּוֹם הַהוּא וְנִשְׁכַּחַת צֹר שִׁבְעִים שָׁנָה *Et futurum est illo tempore, ut Tyrus oblivioni tradatur per septuaginta annos. Oblivioni tradi* dicitur res aut persona, si contemta et neglecta jacet vel a Deo vel ab hominibus. *Deus* hujus vel illius gentis dicitur *oblivisci*, quando eam beneficiis suis singularibus privat, ut infra XLIX, 14. Zion queri dicitur, *Jovam se dereliquisse, et Dominum ipsius oblitum esse.* Idem si agant homines, ut rem negligant, ejusque nulla se affici cura ostendant, rem ipsi quoque dicuntur oblivioni dare, ut Jeremias XXX, 14. de Zione: *omnes amasii tui* שְׁכֵחוּךְ *obliti sunt tui, non quaerunt te.* Posteriore sensu phrasis est hoc loco capienda. Exteri non tantum Tyrum commercii causa adiverant frequentes et coluerant; verum etiam laudaverant, celebraverant, et ad ornatum cultumque ejus plurimum contulerant. Illa vero destructa triste erit omnium silentium. Quisque exterorum stupebit gravem Tyri lapsum, vitabunt eam adire, et qui

qui negotiationem cum ea exercebant, alio se vertent. Idque futurum שִׁבְעִים שָׁנָה *per septuaginta annos*, cui temporis notae addit כִּימֵי מֶלֶךְ אֶחָד *sicut* s. *secundum dies regis unius*, quod quid sibi velit, obscurius videtur ad primam speciem, et plures interpretes hic haeserunt. Jarchius alludi putat ad tempus *vitae Davidis*, quod LXX. annis circumscriptum fuit, 2 Sam. V, 4. coll. cum 1 Reg. II, 11,; ipse tamen addit, se non intelligere, cur haec comparatio addita sit. Kimchius, licet aliud proposuisset, huc rursus relapsus, rationem ejus, quod hic *aetatis Davidis* mentio fiat, peti posse ait ex foedere, quod Davidem inter et Horamum, Tyri regem intercessit, quod quum Tyrii non servassent, tantum temporis desolatio illorum duraret, quantum David vivendo exegerat. Similiter Coccejus, „fortasse," ait, „haec indicant non prolixitatem temporis, sed qualitatem dierum. Nam per tempus vitae Davidis populi Israelitici diversus status fuit, servitus Palaestinae, regnum Saulis, bella Davidis, pax tandem." Quae quum longe sint petita, quisque sentiet. Alii *septuaginta* illis *annis sicut dies regis unius* vel tempus cujuscunque annosi regis, vel commune tempus, quod aevum hominis rarius transcendit, quod poeta Ps. XC, 10. *septuaginta* aut *octoginta* annis complectitur, intelligi putant. Ita inter Hebraeos Kimchius, et jam longe ante ipsum Graecus Alexandrinus interpres, cujus translatio, uti hodie in codicibus legitur, talis est: ὡς χρόνος βασιλέως, ὡς χρόνος ἀνθρώπου. Tria posteriora vocabula tamen videntur esse interpretamentum librarii alicujus, margini primo adscriptum, quod deinceps in textum irrepsit; etsi valde sit antiquum vitium. Agnoscunt enim Eusebius, Cyrillus, et codex Alexandrinus; est tamen *obelus* in Mato Marchali, sed qui in hoc codice notam sustinet lectionis aut interpretationis diversae, et hic pertinet ad vocem βασιλέως. Sed a quacunque tandem manu vel

in-

ingenio hoc ſit interpretamentum, fruſtra eſt hoc loco. Si enim id dicere voluiſſet propheta, ſcripſiſſet: *ut dies hominis*, vel, *unius hominis*. *Regis* enim cur hic mentio fieret pro *homine*, ratio eſt nulla. Frigidum etiam eſt illud, quod dicitur, ut ſunt dies *annoſi* cujusque *regis*, qui ſi longum tempus regnandi habuerit, LXX. annos transire poſſit, ut horum ſententiam explicat Hieronymus, ipſe hic inter dubia fluctuans. Henslerus אֶחָד, numerum *cardinalem*, hic accipiendum eſſe putat pro *ordinali*, ut Geneſ. VIII, 5. 13. et aliis locis, ut ſit vertendum, *ſicut tempore regis primi*, hoc ſenſu: Tyrus ad eam redigetur ignobilitatem et tenuitatem, qualis erat tempore primi regis, ſub initia regni, quae ſemper tenuia ſunt in civitatibus. Verum אֶחָד tantum in diebus numerandis pro ordinali רִאשׁוֹן uſurpari conſtat. Rectum vidit Aben-Esra, qui verbis בִּימֵי מֶלֶךְ אֶחָד adſcripſit: הטעם מלכות נבוכדנצר בנו ובן בנו כי כאחד יחשבו *Senſus eſt: regni Nebucadnezaris, ejusque filii et nepotis, qui pro uno reputantur.* Certum hujus loci interpretem habemus Jeremiam, qui XXV, 11. 12. dicit: *Servient gentes hae* (Syriae et Phoenices) *regi Babelis ſeptuaginta annis* (en! *ſeptuaginta annos ſecundum dies reges unius*), *ſed futurum eſt, ut expletis ſeptuaginta annis animadvertam in regem Babylonis*, rel. Regnum Babylonicum hic definitur *uno rege*, non ea tantum de cauſa, quod principes unius ſucceſſionis pro uno habeantur (cf. ſupra XIV, 4. ſeqq.), verum etiam quia Nebucadnezar, Monarcha Orientis, hujus temporis LXX. annorum majorem partem imperando abſolveret, et ſucceſſores ejus, filius et nepos, Evilmerodachus et Belſazar, in ipſo patre et avo ſuo commodiſſime cenſeri poterant, ſecundum vaticinium Jeremiae XXVII, 7: *et ſervient ei* (Nebucadnezari) *omnes gentes, et filio ejus, et nepoti ejus.* Quae ipſa ratio eſt, quare in prophetia Danielis de quatuor regnis II, 38. Nebu-

Nebucadnezar solus dicatur esse illius colossi caput aureum. Ceterum expugnatam fuisse Tyrum a Nebucadnezare post tredecim annorum obsidionem anno regni sui XXXIV. vel XXXV., colligitur ex Ezechielis XXIX, 18., quo loco de Tyro jam capta et expugnata vates loquitur. Editum est enim illud vaticinium, ut diserte dicitur vs. 17., sub finem anni XXVI. scilicet deportationis Jechoniae, qui annus convenit cum anno indicato Nebucadnezaris, quippe cujus initia connectuntur cum anno quarto Jojakimi quem constat regnasse *undecim* annos. A Nebucadnezaris anno XXXV. autem, quo Ezechiel docet expugnatam esse Tyrum, sive finitam Tyri obsidionem usque ad initia Cyri praecise lapsi sunt XXXV. anni, quum epocha LXX. annorum exilii ducatur a quarto Jojakimi, hoc est, Nebucadnezaris primo, uti patet ex Jerem. XXV, 1. Quid vero, dixeris? Si Tyrus expugnata demum fuerit anno Nebucadnezaris XXXV, et tantundem temporis modo supersit ad Cyrum, quomodo status desolationis Tyri adstringi potest hoc loco LXX. annis? Respondemus, intelligi annos LXX. Imperii Babylonici, qui in cursu essent, quum haec calamitas Tyro accideret, eodem modo, ut Jeremias XXV, 11. tempus servitutis gentium sub Nebucadnezare definit LXX. annis, licet diversis temporibus una post aliam illi subjectae essent. Incepit Nebucadnezar gentes Asianas occiduas, Syros, Phoenicios, Aegyptios, Arabes sibi subjugare anno sui regiminis *primo*, qui erat Jojakimi *quartus*, Jerem. XXV, 1. Hoc initium est LXX. annorum harum gentium oppressarum; quae licet diversis temporibus a saevo illo principe subactae sint, epocha tamen in eodem figitur tempore ἀφ' ἧ, quod illo tempore propositum suum exsequi *inceperit*, et Syri aeque atque Phoenicii jam tum experiri coeperint hujus imperii vim. Quum autem vates neglectum Tyri statum circumscribat LXX. annis, hoc ipso satis declarat, futurum

rum esse, ut illo tempore elapso in integrum restituatur respublica Tyria, rursusque emergat et reflorescat. Quod figurata oratione indicat hoc modo, ut Tyrum inducat ut meretricem diu ab amasiis neglectam, et sui quoque ipsius negligentem, quae, postquam spatium temporis neglectui suo praefinitum, esset elapsum, animum recolligat, et pristini quaestus memor circumeat aedes, formamque suam illecebris suis, cantu, cithara, publica commendet, et quidem eo cum successu, ut orbis terrarum populos rursus blanditiis interceptos consuetudini suae irretiret. מִקֵּץ שִׁבְעִים שָׁנָה יִהְיֶה לְצֹר כְּשִׁירַת הַזּוֹנָה *A fine septuaginta annorum*, i. e. finitis annis septuaginta *erit*, i. e. occinetur, *Tyro* canticum *instar cantici meretricis*, i. e. cantilena tanquam de meretrice. „Vulgatissima," inquit Doederlein, „est urbium cum virginibus vel foeminis honestis comparatio, et ex nummis satis nota: sed propria scriptoribus sacris videtur emporiorum cum foeminis inhonestis, quia plures quasi amasios quaerunt, i. e. omnium gentium mercatores ambiunt, quaestusque causa quemvis admittunt. In *Apocalypsi* metaphora repetitur Cap. XVII, 3 — 19.". Conf. Nah. III, 4. Jes. XLVII, 1. Apoc. XVIII, 3. 9. seqq.

16. Sequitur jam cantilena, sub finem versus superioris memorata, quae finitis septuaginta annis occinetur Tyro a veteribus amatoribus, i. e. amicis, qui ipsam excitaturi sint ad statum suum instaurandum, et repetendum pristinum commercium, metaphora continuata meretricis, quae sive morbi, sive alia de causa diu abfuit, et fere oblivioni tradita est, dum ad *suos* redit, blande monetur a proximis, ut veterem quaestum repetat, et amatores ad consuetudinem suam gestu, cantu, fidibus provocet. Quod autem Tyro acclamatur: קְחִי כִנּוֹר *sume citharam*, הֵיטִיבִי נַגֵּן הַרְבִּי־שִׁיר *benefac fidibus canere*, i. e. operam da, ut fidibus docte canas

(cf.

(cf. 1 Sam. XVI, 17. Ezech. XXXIII, 32.), *et multiplica canticum*, plurimum cantilla, eo pertinet, quod ut Donatus ait, ad Terentii *Eunuch.* III, 2. 4., *fidicinam esse meretricum est.* Horatius *Epist.* L. I. XIV, 25:

— — — Nec meretrix tibicina, cujus
Ad strepitum salias.

17. וְהָיָה מִקֵּץ שִׁבְעִים שָׁנָה יִפְקֹד יְהוָה אֶת־צֹר *Et futurum est post septuaginta annos, ut visitet Jova Tyrum*, inquiret quasi quid agat Tyrus desolata, rationem ejus habebit, eamque pristino suo statui florenti restituet. Sic verbum פָּקַד de *recognitione* et *visitatione gratiosa* usurpatur et Genes. L, 24. 25. Exod. III, 16. Quod futurum esse dicit vates *finitis septuaginta* illis *annis* de quibus vs. 15. Respicitur illud tempus quo Cyrus, capta Babylone regnoque cujus caput erat, everso, vitam reddidit iis populis, qui a Babylonio oppressi erant, atque adeo ipsis quoque Tyriis. Licet enim Persis obnoxii manserint, alias tamen magna utebantur libertate, unde Xerxi, expeditionem illam famosam adversus Graeciam suscipienti, naves subministrarunt una cum Sidoniis, testante Herodoto VII. c. 98. Ad descriptionem Tyri restauratae pertinet quod additur: וְשָׁבָה לְאֶתְנַנָּהּ *et redibit ad quaestum suum meretricium*, quod Jarchi recte ita exponit: לקרמתה ולעושרה על ידי סחורתה ומכנה אותה בלשון גנאי *ad pristinum suum statum, et ad* priores *divitias; appellat autem eam appellatione ignominiosa*, quod videlicet vates nomine אֶתְנַן utitur, quod proprium est de *mercede meretricia*, vid. Hos. II, 11. IX, 1. Mich. I, 7. Deut. XXIII, 19. Suffixum ה ad לְאֶתְנַן, Masora observante, contra analogiam signo Mappik caret, quod tamen in pluribus codicibus comparet. וְזָנְתָה אֶת־כָּל־מַמְלְכוֹת הָאָרֶץ *Et scortabitur cum omnibus regnis terrae*, i. e. com-

commercia cum iis exercebit;" cf. not. ad vs. 15. Chaldaeus: וְתִסְפַּק סְחוֹרְתַהּ *et sufficiens erit negotiatio ejus.*

18. Postremo praenunciat vates, futurum esse aliquando, ut et Tyrii Jovae, Dei veri, cultum amplecterentur, quod inprimis ad aetatis aureae descriptionem pertinebat. Illam sententiam poetice hoc modo exprimit: וְהָיָה סַחְרָהּ וְאֶתְנַנָּהּ קֹדֶשׁ לַיהוָה *Eritque mercimonium ejus quaestusque ejus meretricius sanctum Jovae,* i. e. Tyrii opes negotiationibus suis partas consecrabunt Jovae, ut in usum templi et ministrorum ejus convertantur. Nodum in scirpo quaerunt, qui huic sententiae obstare putant locum Deut. XXIII, 18, quo Deus vetat אֶתְנַן זוֹנָה *quaestum meretricium inferri in domum suam* (cum respectu ad pudendum illius temporis morem, qui obtinebat per Orientem in cultu Veneris), tentantque verba hebraea in sensum plane contrarium torquere, quasi diceret propheta, *quaestum Tyriorum meretricium Jovae fore abominationem.* Verum recte jam monuit Aben-Esra, quod in lege habetur, dici proprie, sed quod propheta hoc in loco, dici parabolice, sive metaphorice, non de ea quae vere *meretrix* est, sed de urbe negotiatrice atque de ejus quaestu, negotiationis fructu. Pergit vates: לֹא יֵאָצֵר וְלֹא יֵחָסֵן *non reponetur in thesaurum, nec recondetur,* quod quum mirum videri possit, quia mercatores magnam partem lucripetae quem faciunt quaestum studiose asservare, et tuto loco reponere solent, thesauris congerendis intenti, propheta quid velit explicat, docetque fore Tyriorum opes in usum cultorum Jovae. כִּי לַיֹּשְׁבִים לִפְנֵי יְהוָה יִהְיֶה סַחְרָהּ *nam sedentibus coram Jova erit mercimonium ejus.* Iis *qui coram Jova sedent,* Vitringa intelligit tam *doctores religionis,* qui discipulos instituerent in cognitione Jovae, quam eorum discipulos, phrasinque de-

deſumtam eſſe putat a more priſco, qui maxime obtinuerit ſtante adhuc templo primo, cum nullus adhuc eſſet uſus Synagogarum publicus, ut vel populus ſabbathis aut feſtis diebus conveniret ad aedes prophetarum, ut per eos erudiretur et inſtrueretur ad religionis cognitionem: vel viri docti, qui prophetis ut praeceptoribus adhaerere ſolebant, ſtatis temporibus adeſſent ad aedes prophetarum, et iiscum de divinis rebus ſermones ſererent, aut eos de iisdem diſſerentes audirent. Conferre jubet Vitringa Ezech. XXXIII, 30. 31. VIII, 1. 2 Reg. VI, 32. et librum a ſe editum de *Synag. Vet.* Lib. I. Part. II. Cap. VI. Mihi tamen praeferenda videtur veterum interpretatio, quam et plures recentiores ſequuntur: *iis qui habitant coram Jova*, i. e. qui templum Jovae frequentant, per quos non ſolum ſacerdotes et Levitae, ſed omnes omnino Jovae cultores intelliguntur, conf. Pſ. XXVII, 4. LXXXIV, 5. Hic tamen noſter praecipue *ſacerdotes* videtur reſpexiſſe. לֶאֱכֹל לְשָׂבְעָה וְלִמְכַסֶּה עָתִיק *ut comedant ad ſaturitatem, et ad operimentum ſplendidum.* עָתִיק hic notat *pulchrum, nitidum*, ſicut apud Arabes عاتق proprie *vetuſtum, antiquum* deſignat, et deinde de omni *pulchro* et *nitido* uſurpatur, etiam de *veſtimento:* exempla produxit Schultenſius ad Proverb. VIII, 18. p. 74. Recte Chaldaeus לִכְסוּ דִיקָר *ad veſtimentum gloriae ſ. pretii* vertit. Summi enim et pretii et honoris erant veſtimenta nitidiſſima byſſina, quibus induebantur Levitae in templo Hieroſolymitano ſacra facientes; vid. 1 Paral. XV, 27. 2 Par. V, 12. Senſus ergo eſt; futurum eſſe aliquando, ut et barbari Tyri incolae munera offerrent templo Jovae, unde laute nutrirentur et ſplendide veſtirentur ejus miniſtri. „Haec ſecundum hiſtoriam necdum facta comperimus," obſervat Hieronymus. Et Judaei ea *in diebus Meſſiae*, i. e. futuro ſeculo aureo even-

tura esse sperant. Ceterum cum carminis nostri parte posteriore conferendae sunt luculentae illae de conversione Tyrorum ad Jovam prophetiae Ps. XLV, 13. LXXII, 10. LXXXVII, 4.

CAP. XXIII. 1. (*Effatum in Tyrum*) *Ejulate, naves Tartessi, nam vastata est* (urbs patria), *ut nulla supersit domus, nemo eam ingredi possit! E terra Citthaeorum nunciatum est illis.*

2. *Obstupescite, incolae regionum maritimarum, quas mercatores Sidonii, mare trajicientes, frequentabant.*

3. *Quarumque proventus erat in maribus amplis semen Sichoris, messis fluvii* Aegyptii. *Erat emporium gentium!*

4. *Pudore suffunditor, Sidon, nam mare, nam arx maritima, in haec loquitur verba: Non parturivi, nec peperi, nec educavi juvenes*, aut *extuli virgines.*

5. *Quum fama ad Aegyptios pervenerit, dolebunt; quum fama*, inquam, *Tyri* (ad eos pervenerit).

6. *Tartessum petite, ejulatus edite accolae ripae!*

7. *Haeccine est civitas exultabunda? Cujus antiquitas est a diebus vetustis, eam pedes sui abducunt longe ad exulandum.*

8. *Quis hoc decrevit in Tyrum, urbem adeo celebrem, cujus mercatores principes, cujus negotiatores nobilissimi per orbem terrarum habiti sunt?*

9. *Jova agminum Deus hoc decrevit, ad foedandam tantae gloriae superbiam, et humiliandos nobilissimos totius terrarum orbis.*

10. *Permea jam regionem tuam, sicut fluvius, filia Tartessi! Nullus est amplius, qui te expellat.*

11. Et-

11. *Etenim Jova extendit manum suam super mare, commovet regna, praecipit de Canaane, ut omnia ejus munimenta destruantur!*

12. *Noli amplius, inquit, exsultare, vim passa virgo, filia Sidon! Surge, transi ad Citthaeos; quin etiam ibi quiescere tibi non licebit!*

13. *En terram Chaldaeorum! Hic populus non fuit; Assur fundavit eam deserticolis. Erigunt turres suas, destruunt illius palatia, reddunt eam ruinam.*

14. *Ejulate naves Tartessi, nam robur vestrum sublatum est!*

15. *Tum oblivioni tradetur Tyrus per septuaginta annos secundum dies unius regis. Sed finitis septuaginta annis occinetur Tyro, veluti cantilena meretricia:*

16. *„Sume citharam, circui urbem, o meretrix oblivioni tradita! eleganter modulare, multum cantilla, ut tui redeat memoria!“*

17. *Futurum est, ut post septuaginta annos Jova Tyrum visitet, et ut redeat ad questum suum, scorteturque cum omnibus regnis per superficiem orbis.*

18. *Sed mercimonium questusque Jovae dicatum erit, non reponetur in thesaurum, nec recondetur: nam mercimonium ejus erit habitantibus coram Jova, ut comedant ad satietatem, et operimentum iis ne desit splendidum!*

CARMEN VICESIMUM PRIMUM.

Cap. XXIV — XXVII.

ARGUMENTUM.

Per quatuor Capita XXIV — XXVII. carmen decurrit continuum, quo ingens quaedam orbis terrarum conversio describitur, quae aliquando pro populo Hebraeo glorioso et constanter asserendo futura sit. Non ad solam terram Judaicam pertinere eam, de qua agitur, conversionem, colligitur e versu 21. Capitis XXIV. ubi *reges terrae*, et iis oppositae *copiae locorum celsissimorum*, in quos universos Jova graviter sit animadversurus, commemorantur. Sunt praeterea pleraque quae hoc carmen praenunciat, multo graviora et majora, quam ut soli terrae Judaicae applicari queant. Versatus autem est vates in hac prophetia ita, ut gravissimarum calamitatum descriptionibus alternis vicibus subjiceret hymnos a piis canendos, quibus divina potentia et benignitas celebratur, vid. XXIV, 16. XXV, 1. seqq. XXVI, 1. seqq. XXVII, 2. seqq.

In tempore constituendo, quod hoc carmen respiciat, magnus est interpretum dissensus. Grotius quidem de vastatione per Salmanassarem regno Israelitico illata, locum explicat. Quae et S. V. Pauli est sententia in *Clavi* p. 170. Cui tamen obstat, quod in hac pro-

phetia

phetia nulla plane est mentio deportationis populi sive Ephraimitarum, sive Judaeorum in exteras terras. Neque majore veri specie se commendat, quod Henslerus Senacheribi in Judaeam incursionem, ultimaque sub Hiskia tempora pacata et felicia prophetae animo obversata existimat. Nam vates ipse nos exerte monet, longo satis post tempore demum eventura esse, quae hic praedicit, quam ab ipso vulgatum fuit, vid. XXIV, 22. XXV, 1. Vitringa tempora remotiora Maccabaeorum respici putat, scilicet miserias et persecutiones, quibus Antiochus Epiphanes Judaeos affligebat, simul vero etiam liberationem et vindicationem a saevis illis persecutionibus per Maccabaeos, atque instaurationem sacrorum et reipublicae Judaeorum, praesertim feliciori tempore Simonis Ethnarchae et Joannis Hyrcani, hac maxime ratione permotus, quod inde a vs. 16. Cap. XXIV. persecutiones ob religionem commemorantur, propter quas multi se abderent, multi supplicio afficerentur. Verum etsi nonnulla, quae hoc vaticinio praedicuntur, Maccabaicis temporibus accommodari possint, sunt tamen plura alia, quae iis nequaquam conveniunt. Mediam quasi viam ingrediuntur, qui vastationem a Nebucadnezare terrae illatam, hanc subsecutam captivitatem Babylonicam et illa finita reditum in patriam describi existimant. Sed quae Cap. XXIV. praesertim inde a versu de perturbatione et eversione totius terrae dicuntur, multo sunt majora et graviora, quam ut de terra Judaica per Chaldaeos vastata intelligi possint. Neque populo in terras Babylonicas abducto convenit, quod XXVI, 20. 21. vates populum Hebraicum delitescere jubet, donec transeat Jovae indignatio, qua in impios sit animadversurus. Editi hujus vaticinii tempore Judaeorum hostes maxime metuendos fuisse Assyrios et Aegyptios, a quibus jam cladem acceperant, colligitur e XXVII, 13., ubi *pereuntes in Assyria et propulsi in Aegyptum* commemo-

memorantur. Illo igitur tempore, quo Assyrii magnam Asiae occidentalis partem sibi subjecerant, eorumque indies crescens potentia multo majora etiam minabatur, Judaeorum quoque animos magno metu commotos fuisse necesse est. Praedicit autem vates, instare ingentem rerum omnium perversionem, quae hunc habitura sit exitum, ut, orbe terrarum purgato a violentis et ferocibus piorum adversariis, felicissima exsistat aetas, qua Jova solus regnet, et pios populi sui reliquos in gloriosum statum libertatis, pacis, prosperitatis asserat.

Quum huic carmini nil insit, quod Jesajae aetati non conveniat, nulla est causa, cur ei vati illud abjudicemus. Nam quae Eichhorn (*Einleit. in das A. T.* P. III, §. 524. p. 60.) adducit exempla tanquam styli artificiosi adeoque ludibundi, plane diversi a nervoso illo et vivido Jesajano (הבוק תבוק הארץ, et הבוז תבוז vs. 3.; אבלה נבלה הארץ vs. 4.; בוגדים בגדו ובגד בוגדים בגדו vs. 16.; פחד ופחת ופח vs. 17., similesque paronomasias vss. 18. 19. 21.), Hebraei pro totidem elegantiis habuerunt. Similis plane paronomasia exstat supra VII, 9. in oraculo, quod pro Jesajano omnes habent: אם לא תאמינו כי לא תאמנו. Et Micha, Jesajae aequalis, I, 11. seqq. urbibus Judae praenunciat calamitatem imminentem ad urbium illarum nomina per paronomasiam ubique fere alludendo.

Koppius Caput XXIV. carminibus duobus constare existimat, quorum primum inde a versu primo usque ad decimum quintum, *alterum* a vs. decimo sexto usque ad finem pertineat. Et in carmine quidem priori depingi Hierosolymorum excidium Palaestinaeque vastationem, addita promissione temporum feliciorum, quae reliquiis gentis Judaicae ex communi calamitate servatis, oritura essent, posteriori autem exhiberi descriptionem adventus regni

regni Messiae, cum ingentibus commutationibus et terribilibus rerumpublicarum revolutionibus conjuncti. Duae hae declamationes tempore diverso pronunciatae Koppio videntur, sed ob sententiarum similitudinem, quae nunc invenitur in vs. 15. 16. (in utroque hymni in Jovam canendi fit mentio), ab eo, qui hanc oraculorum collectionem instituit, in unam conjuncta. Eodem modo in carmina plura dissecat Capita sequentia; de quibus inferius videbimus. Placuit haec sententia Eichhornio quoque (*Einleit. in das A. T.* P. III. p. 84.). Sed quum quatuor haec capita manifeste in uno eodemque argumento et tenore versentur, ego nullam illa in diversa carmina dispescendi necessitatem video: efficiunt potius, in unum illa carmen comprehensa, totum quoddam et omnibus quasi partibus consummatum perfectumque poema, in quo vates a gravissimarum calamitatum descriptione exorsus, transit ad meliorem vicissitudinem, paucis reliquiis populi Hebraei jam redeuntem, unde protinus progreditur ad incrementa novae felicitatis depingenda, eo quidem modo, ut, antiquis Israelitarum inimicis uno post alterum profligatis et plane deletis, aptissima prosopopoeia ipsos inducat Israelitas hymnos canentes in laudem Jovae, ob restitutam rempublicam.

---

1. Versibus primis quatuor praedicit vates fore, ut terra per catastrophen quandam omnium rerum perturbetur, vastetur, et incolis suis nudetur, sive illi vastationum hostilium metu dispergantur, sive per illa ipsa mala et calamitates pereant. הִנֵּה יְהוָה בּוֹקֵק הָאָרֶץ וּבוֹלְקָהּ *Ecce Jova evacuat terram vastatque eam.* בּוֹקֵק *Effundit, evacuat*, coll. Arab. بَقْبَقَ *bombum edidit amphora, dum affatim ex ore angustiore effluit; vel per illud infunditur aqua*, conf. not. supra ad Cap. XIX,

 vs.

vs. 3.; cf. Jerem. XIX, 7. LI, 2. Nah. II, 3. Cf. J. D. Michaelis *Supplemm.* p. 211. seq. Imago petita est ab utre aut ampulla evacuanda et effundenda, vide similem a Jeremia informatam imaginem c. XLVIII, 11. 12. qua sistitur terra vastata incolisque nudata. Quod ad verbum בָּלַק, pater Davidis Kimchi, Josephus Kimchi, cujus interpretationem affert filius ad h. l., illud capit significatu *aperiendi*, collato Arabico بلاقة الباب *aperitio januae.* Unde sensum hunc facit: aperit portam, ut urbis incolae exeant, quocum consentit Chaldaeus: וּמְסַר לָהּ לְסַנְאָהּ *tradidit urbem hosti ipsius.* Nec inconcinna erit, quae hac adscita significatione prodit sententia: *Jova effundet terram, et aperiet eam*, ab utre petita imagine, *et faciem ejus invertet, incolasque effluere faciet.* Vide similem a Jeremia usurpatam imaginem XLVIII, 11. 12. Malim tamen collato Arabico بَلُوقَة *desertum, terra nihil producens*, dictionem בוֹלְקָהּ cum Jarchio החריבה *vastat eam* vertere. Ita et Graecus Alexandrinus: καὶ ἐρημώσει αὐτήν. Cf. not. ad Nah. II, 11., et Michaelis *Supplemm.* p. 188. וְעִוָּה פָנֶיהָ *Et invertit faciem ejus*, ita ut summa ima, et ima summa ponerentur. Verba וְהֵפִיץ יֹשְׁבֶיהָ sunt qui vertant: *incolasque ejus effluere facit*, פוּץ collato cum Arab. فاض, de quo celebris ille Arabum Lexicographus *Dsjeuhari*, apud Schultensium in *Origg.* p. 55.

فاض الماء اي كثر حتي سال علي ضفة الوادي,

פוץ מים, i. e. *rivus ita crescit, ut supra ripas exundet.* Conf. Proverb. V, 16. יָפוּצוּ מַעְיְנֹתֶיךָ *exuberabunt fontes tui.* Sed quum Hiphil הֵפִיץ alias semper *dispergendi* significatu legatur, neque hoc loco aliter sumendum videtur.

— 2. Omnium nobiliorum et inferiorum, potentiorum et infirmiorum, ditium et egenorum, in magna

illa

illa terrae catastrophe aequalis erit conditio, וְהָיָה כָעָם כַּכֹּהֵן כַּעֶבֶד כַּאדֹנָיו כַּשִּׁפְחָה כַּגְּבִרְתָּהּ *Et fiet perinde populus ut sacerdos, servus ut dominus ejus, ancilla ut hera ejus.* Particulam כ utrique comparato praepositam, sibique mutuo respondentem, vertendam esse *sicut — ita*, notum est. Recte observat Kimchi, unumquodque illorum nominum esse simul subjectum et praedicatum, quasi esset: הָאָדוֹן כַּעֶבֶד וְהָעֶבֶד כַּאדֹנָיו *dominus sicut servus, et servus sicut dominus ipsius.* Similia exempla vid. Jud. VIII, 18. Genes. XVIII, 25. Cant. I, 4. כַּקּוֹנֶה כַּמּוֹכֵר *Emtor erit sicut venditor. Emptores* spectari vult ut *ditiores*, *venditores* vero ut tenuioris conditionis homines, qui studio aut labore parta parataque ditioribus pretio offerunt. כַּמַּלְוֶה כַּלֹּוֶה *Sicut mutuo dans ita qui accipit.* „Omnes," inquit Kimchi, „qui hic memorantur, sunt alter super alterum. Sic Prov. XXII, 7. dicitur: עֶבֶד לֹוֶה לְאִישׁ מַלְוֶה *servus est qui mutuum accipit viro mutuo danti.* Quodque addit כַּנֹּשֶׁה כַּאֲשֶׁר נֹשֶׁה בוֹ *ut foenerans ita cui foenerat*, eo pertinet, quod לֹוֶה de eo dicitur, qui *pecuniam* mutuo accipit, נֹשֶׁה vero de frumento, vino, oleo mutuo dato dicitur, cf. Exod. XXII, 4. Nehem. V, 4." *Foenerator* et *foenus solvens* Hebraeis uno nomine נֹשֶׁה significantur, neq posterior a priore secernitur, nisi additione praepositionis ב, vid. Deut. XXIV, 11. Jerem. XV, 10. Alexandrini ὁ ὀφείλων ὡς ᾧ ὀφείλει. Hieronymus: *sicut qui repetit, sic qui debet.* Sequutus est Symmachum, qui habebat: ὡς ὁ ἀπαιτῶν, οὕτως ὁ ἀπαιτούμενος.

3. הִבּוֹק תִּבּוֹק הָאָרֶץ *Evacuando evacuabitur terra*, i. e. penitus evacuabitur. Cf. de verbo בָּקַק, cujus Infinitivus et Futurum Niphal hic leguntur, not. ad vs. 1. כִּי יְהוָה דִּבֶּר אֶת־הַדָּבָר הַזֶּה *Quia Jova loquutus-est verbum hoc*, quod non revocari potest; certissime quod ab eo decretum est eveniet.

4. אָבְלָה נָבְלָה הָאָרֶץ אֻמְלְלָה נָבְלָה תֵּבֵל *Luget, marcet terra, languet, marcet orbis.* תֵּבֵל *Orbis habitabilis*, clare docet, non de catastrophe terrae Judaicae, sed orbis terrarum agi. Idem plura quae sequuntur, et nexus totius sermonis confirmant. Verbum נָבֵל, quod proprie dicitur de deciduis arborum foliis, postquam marcuerunt, vid. supra I, 30. infra XXXIV, 4. Ps. I, 3., hic et alias ad homines languore confectos transfertur; cf. Ps. XVIII, 46. אֻמְלְלוּ מְרוֹם עַם־הָאָרֶץ *Languent* qui sunt *celsum populi terrae*, i. e. principes, proceres. Chaldaeus: תְּקוֹף עַמָּא דְאַרְעָא *fortitudo populi terrae*. Sine necessitate J. D. Michaelis in *Append. ad Bibl. Orient.* P. XIV. p. 53. מרום in statu absoluto, מָרוֹם. enunciat, ut vertendum sit: *languent celsum (et) populus terrae*, i. e. nobiles et infimi. Praeterea monet, vocem עם omitti tam ab Alexandrinis (οἱ ὑψηλοὶ τῆς γῆς), quam a Syro (ܪ̈ܘܪܒܢܐ, ܐܬܡܟܟܘ); nec tamen audet his solis auctoribus vocem עם delere, in omnibus hucusque collatis codicibus expressam. Koppius effert מֵרוֹם, hoc sensu: *a loco excelso deturbatus languens jacet terrae populus.*

5. וְהָאָרֶץ חָנְפָה תַּחַת יֹשְׁבֶיהָ *Terra polluta est sub incolis suis*, profuso videlicet sanguine innocuo, atque ideo maledictioni subjecta incolas evomit. Quod fortius haud dubie est, quam quod aliis placet: *terra polluta est propter* (qua significatione תַּחַת saepe occurrit, veluti 1 Sam. II, 20. 2 Sam. XIX, 22. Zephan. II, 10.) *incolas suas*. A significatione *claudicandi* quam verbum חנף haud dubie primum habuit (coll. Arab. حَنِفَ *tarsum pedis flaccidum habuit, inter eundum pedem convertit extrorsum*), חָנֵף proprie est *claudicans*, hinc *profanus* etiam sic dictus, sive, quod claudi templis locisque sacris arcebantur, sive ex consueta phrasi Ara-

Arabum, qua *claudicare in religione* dicunt *errantem*, *non credentem* (conf. SCHULTENSII *Clav. Dialector.* pag. 232.). Haec *profanandi* ſignificatio frequentiſſima eſt in codice hebraeo, ita ut hoc verbum uſurpetur quoque de *pollutione et profanatione terrae*, *ſanguine innocuo*, vid. Num. XXXV, 33. Pſ. CVI, 38. Recte igitur Symmachus locum noſtrum vertit, ἡ γῆ ἐφονοκτονήθη ὑπὸ τῶν κατοικούντων αὐτήν, *terra caede contaminata fuit ab habitatoribus ſuis.* Alexandrini eandem habent vocem φονοκτονέω in locis Num. XXXV, 33. et Pſ. CVI, 38. modo allegatis. כִּי־עָבְרוּ תוֹרֹת *Nam transgreſſi ſunt leges.* Pro תּוֹרֹת Singularis תּוֹרָה legitur in uno codice Roſſiano, et in Prophetis Soncinenſibus a 1486. Singularem exprimunt quoque interpretes veteres, praeferuntque illum lectioni receptae Lowthius et de Roſſi, hac maxime ratione permoti, quod voces proxime ſequentes חֹק et בְּרִית in ſingulari poſitae ſunt. Sed eam ipſam ob cauſam תּוֹרָה pro emendatione ſcribarum habuerim. Quod ad veteres interpretes, ita Kocherus: „תּוֹרָה complexus legum eſt, quae ſingulae תּוֹרוֹת dicuntur; ubi interpretes pro libertate et conſuetudine ſua nunc ſingularem nunc pluralem numerum adhibent; quemadmodum vel hoc ipſo verſu apud LXX. pro הַתּוֹרֹת τὸν νόμον, pro ſingularique חֹק τὰ προστάγματα multitudinis numero legitur.“ Recte autem obſervat Vitringa, vatem hic non loqui de violatione legis Moſaicae aut praeceptorum ritualium, neque enim ſcripſiſſe illum; *transgreſſi ſunt* הַתּוֹרָה *legem*, ſive תּוֹרַת יְהוָה, *transiverunt*, חֻקִּים *ſtatuta*, ut vulgo ſolent V. T. ſcriptores, ubi de legibus Moſaicis loquuntur, ſed ſimpliciter; *leges*, *ſtatutum*, *foedus aeternum*, quibus dictionibus deſcribat *jus naturae et gentium* quod Judaei cum aliis gentibus commune habebant, adverſus quod illa crimina committerentur quae hic recenſentur. תּוֹרוֹת hic ſunt *leges naturae*, conſcientiae, et communis juris utilitatisque, ſive ut

ut Aben-Esra hanc dictionem h. l. declarat, שקול הדעת שכל בני אדם משוים בו *libramen rectae rationis commune toti generi mortalium.* חק *Statutum* hic idem est, quod exteri scriptores, Nepos (in *Themistocle* Cap. 7.) et Sallustius (*de bello Jugurth.* Cap. 22.) vocant *jus gentium*, et Graeci τὰ κοινὰ τῶν ἀνθρώπων ἔθη, quae phrasis est Polybii (*Hist.* L. I. p. 100. edit. Amstel.). Aben-Esra: והחק הם חקי השם כפי התולדה וזה הוא טעם ברית עולם *nomine* חק *significantur statuta Dei, humanae naturae per natales insita, idemque sensus est dictionis* בְּרִית עוֹלָם *foederis aeterni*, i. e. legis aeterni juris, qua humani generis societas ab antiquissimis usque temporibus inter se devincta est. De בְּרִית *legem* notante vid. not. ad Hos. VI, 7., et de עוֹלָם *longissimum retro tempus* not. ad Ps. CXXXIX, 24. Consentit Hieronymus: „Audiant (sic ipse ad h. l.) Judaei, qui se solos accepisse legem Domini gloriantur, quod universae primum gentes, totusque orbis naturalem acceperit legem, et idcirco postea lex data sit per Mosen, quia prima lex dissipata est." חָלְפוּ חֹק *Immutarunt statutum*, i. e. statuta vel depravarunt, vel prorsus abolevorunt. A. Schultensius in *Commentar. ad Proverb.* Cap. XXXI. vs. 9. p. 510. collato Arabico خلف, quod inter cetera etiam denotat, *interpolavit*, et in Conjug. IV. أخلف *fefellit fidem et exspectationem*, haec verba sic vertit: *interpolarunt jus sculptum*; „quod ejusdem," inquit, „*frustrationem* ultro importat. Eadem figura simili in argumento usus Orator in *Verrem*: *Referens in tabulas et publicas, et privatas, quod gestum non esset, semper aliquid demendo, mutando, interpolando.*"

6. Verba אָלָה אָכְלָה אֶרֶץ ob geminam nominis אָלָה significationem, quum et *jusjurandum* notet, ut Ezech. XVII, 13. Nehem. X, 29., et *exsecrationem*,

diras,

diras, ut Numer. V, 21. Deut. XXIX, 13. 18. et pluribus aliis locis, bifariam explicantur. Qui priorem significatum adsciscunt, אָלָה non de simplici jurejurando intelligunt, sed de violato, vertuntque: *perjurium absumit terram*, i. e. incolarum perjuria causa erunt vastandae terrae. Conferunt Jerem. XXIII, 10. *Adulteris terra est referta*, כִּי מִפְּנֵי אָלָה אָבְלָה הָאָרֶץ *nam ob perjurium luget terra* (quo loco tamen et altera *exsecrationis* significatio locum habet). Ita Chaldaeus: מִן קֳדָם מוֹמֵי דִשְׁקַר חֲרוּבַת אַרְעָא *propter jusjurandum mendacii desolata est terra*. Idem sequuntur Jarchi et Kimchi. Sed quum *perjurii* significatio nomini אָלָה sine causa idonea tribuatur, nostram facimus veterem Graecam Alexandrinam horum verborum interpretationem: διὰ τοῦτο ἀρὰ ἔδεται τὴν γῆν, quam Hieronymus sequitur: *propter hoc maledictio vorabit terram*. *Diras* hic esse poenas divinitus infligendas, monitu vix opus. Cum nostro loco comparandus Zacharias, qui V, 1. seqq. narrat, objectum sibi esse in viso volumen magnum, cui inscriptae fuerint *dirae*, *quae totam ferirent terram*, causa scelerum adversus jura divina et humana perpetratorum. Pro אָכְלָה legitur אָבְלָה *luget*, in codd. Kennicott. *octo*, Rossianis *viginti*, nec non in bibliis Soncinensibus, Brixiensibus, Venetis utrisque 1518. ad marg., Prophetis Soncinensibus. Idem expressit Syrus: ܝܬܒܐ ܒܐܒܠܐ ܐܪܥܐ *Sedet in luctu terra*. At vero corrector codicis Rossiani 305. (Prophetas priorr. et posteriorr. continens, cum Masora, sub fin. Sec. XIV. scriptus, bonae notae) notat ad margin. *Sic legitur in codice correcto, cum* כ, *quod et Masora definit*. Norzius, praestantissimus ex Judaeis Criticus, in Commentario Crit. in omnes V. T. libros una cum textu Hebr. edito Mantuae 1742. (conf. de Rossii *Prolegomm. ad Vart. Lectt.* P. I. §. XXXVII. pag. XLI.) ad h. l.: *In aliquo*

codice

codice cum Beth, *sed in plerisque correctioribus cum* Caph, *quod et Kimchius confirmat tum in Commentario, tum in libro Radicum.* R. Aben-Esra *interpretatus est et ipse in sensu* אכילה, *comestionis.* Videtur אָבְלָה (cum Beth) e loco Jeremiae XXIII, 10., quem supra attulimus, codicibus nonnullis illatum fuisse. In verbis וַיֶּאְשְׁמוּ יֹשְׁבֵי בָהּ explicandis iterum in duas partes discedunt interpretes, aliis vertentibus: *luent ob reatum*, rei agentur, *qui habitant in ea* (terra), aliis, qui verbo אָשַׁם significatum verbi שָׁמֵם tribuunt: *desolati erunt qui habitant in ea.* Ita Chaldaeus: וְצַדִּיאוּ דְיָתְבִין בַהּ. Eadem in eodem verbo interpretationis diversitas Ps. V, 11. Joel I, 18., ad quae loca cf. not. Nos prius praeferimus cum Syro, qui ܢܬܚܝܒܘܢ *rei habebuntur*, condemnabantur, vertit. Alexandrinus: ὅτι ἡμάρτοσαν οἱ κατοικοῦντες αὐτήν. Illa igitur exsecratio, isteque terrae incumbens reatus in causa est, quod incolae ejus *extabescant* sive *exarescant*, ut pauci tantum residui relinquantur, ut in altero versus hemistichio dicitur. חָרוּ propr. *exuruntur*, extorrentur, non igne aliquo externo, sed interno, ut fit in tabe, phthisi, aliisque hujus generis morbis, conjunctis cum continua febris uredine, quae viscera corporis depascitur, ejusque vim, vires, vigorem omnem absumit. Est igitur metaphora diversa ab alia ei simili, qua *ignis* irae divinae quem dicitur consumere, ut supra X, 17. Hoc loco verbum חָרַר eandem vim obtinet, quam Job. XXX, 30. *Cutis mea nigruit super me*, וְעַצְמִי חָרָה מִנִּי־חֹרֶב *et os meum exaruit prae siccitate.* Cf. et Ps. LXIX, 4. Symmachus: ἐκτρυχωθήσονται, *atterentur*, *exhaurientur*, Chaldaeus: סָפוּ *consumuntur.* Syrus: ܢܬܩܛܠܘܢ *interficientur*; unde Hubigantius et Lowthus in Hebraeo חָרְמוּ illum legisse putant, quod et uterque recepto חָרוּ praefert. Sed Syrus alio loco (Ezech. XV, 4. 5.) bis pro hebraico

חָרַר

חָרֵו posuit suum ܣܘܦ, cui in universum *perdendi*, *devastandi* significatio inest. J. D. Michaelis in *Adpend. ad Biblioth. Oriental.* P. XIV. p. 53. dictionem חָרוּ ad radicem חָרָה refert, quam cum Arabico حَرِيَ *decrevit*, *diminutus est* conferendum existimat, ut vertendum sit: *imminuuntur incolae terrae.* Verum ut taceamus, perquam esse incertum, num Hebraeis verbum חָרָה *imminuendi* significatu usitatum fuerit, languidus prodit, eo adscito, sensus, atque tautologia minus grata, quum statim sequatur: וְנִשְׁאַר אֱנוֹשׁ מִזְעָר *et superstitat hominum parum.* Ceterum ad חָרוּ observandum, legendum esse *tharu*, tono in penultima posito, ad formam סַבּוּ *sābbu.* Accentus *Paschta* τῷ ו impositus non potest in syllaba, quae tonum habet, stare, sed semper ultimae literae inhaeret, quo differt a *Kadma*, qui numquam in ultima vocis litera ponitur.

7. אָבַל תִּירוֹשׁ אֻמְלְלָה־גָפֶן *Luget mustum*, *languet vitis.* Per prosopoeiam inducitur *mustum lugens*, quod a nemine bibatur, et *aegra vitis*, quod a nemine colatur, quod perinde valet, ac si dixisset vates, neminem futurum, qui vinum biberet, vitemque coleret, quibus verbis maxima vastitas indicatur. Chaldaeus: אִתְאַבָּלוּ כָּל שָׁתֵי חֲמַר אֲרֵי אִתְבְּרִיכוּ גּוּפְנַיָּא *lugent omnes qui bibunt vinum, quia attritae sunt vites.* נֶאֶנְחוּ כָּל־שִׂמְחֵי־לֵב *Gemunt omnes laeti corde*, qui animo laeti erant, cum terrae vastitatem circumspicient.

8. שָׁבַת מְשׂוֹשׂ תֻּפִּים *Cessat gaudium tympanorum*, sonus instrumentorum, quae ab hilaribus pulsari solebant. Cf. Genes. XXXI, 27. חָדַל שְׁאוֹן עַלִּיזִים *Defecit strepitus exultantium.* שָׁאוֹן hic est *tumultus*, *fragor laetus et exultans*, ut תְּשֻׁאוֹת, Zach. IV, 7. Ceterum pro שְׁאוֹן legunt גְּאוֹן *superbia*, tres codd. Rossiani a pri-

prima manu, idemque exhibet interpres Alexandrinus, qui vertit: *πέπαυται αὐθάδεια καὶ πλοῦτος ἀσεβῶν.*

9. בַּשִּׁיר לֹא יִשְׁתּוּ־יָיִן *Cum cantu non bibent vinum*, tantus erit omnium moeror et metus, ut nemo hilaria cantica sit cantaturus, vinumve bibiturus inter canendum. יֵמַר שֵׁכָר לְשֹׁתָיו *Amarum erit temetum bibentibus ipsum*, ingratum erit luctu et metu perturbatio. De שֵׁכָר vid. not. ad Levit. X, 9.

10. נִשְׁבְּרָה קִרְיַת־תֹּהוּ *Confracta*, diruta, *est urbs vacuitatis*, i. e. vacua; incolis, puta, quippe qui vel occisi essent, vel fuga saluti suae consuluissent. Jarchi: כשתשבר נקראת קרית תהו *postquam dirata fuerit, vocabitur urbs vacuitatis.* Chaldaeus: אִתְבָּרַת קַרְתְּהוֹן צַדְיָאָה *fracta est civitas eorum, vastata.* Non autem certa quaedam urbs hic intelligenda est, sed est *urbis* nomen collective capiendum, ut mox vs. 12. Ceterum in voce תֹּהוּ *vacuitatis*, *inanitatis* videtur lusus quidam esse, ut non solum ideo quod vastatae sint istae urbes, verum et quod inanes dii in iis culti fuerint, ita appellentur. סֻגַּר כָּל־בַּיִת מִבּוֹא *Clausa est omnis domus ab ingrediendo*, ne aliquis eam ingrediatur. Sensus est, neminem posse urbis domos ingredi, quod omnia ruinis sint operta et invia facta.

11. צְוָחָה עַל־הַיַּיִן בַּחוּצוֹת *Clamor est in vicis super vino*, publice queruntur de vino scil. deficiente. Notat hic *vinum* materiam gaudii, laetitiae, consolationis: quae quum deesset, *vinum* defuisse dicitur. Id enim velle prophetam, patet ex iis, quae mox subjicit, se ipse interpretatus: *confusa est omnis laetitia; migravit gaudium terrae.* Conf. supra Cap. XVI, 8. 10. Ad verba עָרְבָה כָּל־שִׂמְחָה Hubigantius: „*fugit omnis hilaritas*, ex significatu Samaritani ערב *expellere*, quem nisi sequatis, erit legendum עברה *transiit.* Non enim

bon-

convenit in *hilaritatem* neque *obtenebrata est*, quod Buxtorfius, neque *advesperascit*, quod Forerius; ut neque in verbum גלה *ablata est*, quod verbo ערבה parallelum est." Lowthus quoque עברה scribendum jubet; sed invitis codicibus, invitisque interpretibus, nulla praeterea necessitate urgente: conferas enim Arabicum غرب, quod proprie de *solis occasu* dicitur, et deinde in universum notat, *absuit*, *distitit*, *longius recessit*; commodus prodibit sensus: sive vertas: *recessit omnis laetitia*; sive, quod magis poeticum: *occidit omnis laetitia*, ut quum decedens sol tristibus cuncta tenebris mergit. Saadias: وغاب كل فرح *latuitque omnis laetitia*. גָּלָה מְשׂוֹשׂ הָאָרֶץ *migravit hilaritas terrae*. כָּל־הָאָרֶץ legitur in *quinque* codd. Kennicott. et *quatuor* Rossianis; Alexandrinus כל־מְשׂוֹשׂ videtur legisse. Proxime praecedens כָּל in mente forsan describenti fuit.

12. נִשְׁאַר בָּעִיר שַׁמָּה *Relicta est in urbe vastitas.* Migrata laetitia, inquit Kimchi, nil nisi vastitas in urbe reliqua est. Verba וּשְׁאִיָּה יֻכַּת־שָׁעַר nonnulli vertunt: *et ruptione contundetur porta*, ita contundetur, ut tota in pulveres et rudera concidat, verbo שָׁאָה, unde שְׁאִיָּה, collato cum Arabico ثاي *rupta fuit cum fragore futura*, vid. A. Schultensii *Clav. Dialector.* p. 303. Verum etsi minime negemus, fuisse hanc primigeniam verbi vim, in usu linguae tamen verbum שָׁאָה *vastandi* notione usurpatum reperimus, vid. supra VI, 11. Quum autem hoc versu non de urbe expugnanda, sed jam vastata agatur, sensum verborum: *in vastitate percutietur porta*, potius hunc esse arbitror, in tanta desolatione fore, ut urbes (nam urbem passim *portam* vocari, notum) sponte collaberentur in ruinas. Cf. Ezech. XXXIII, 21. הֻכְּתָה הָעִיר *percussa*, excisa, *est*

 urbs.

urbs. Jarchi: על ידי שאיה נלכוד שיהיו הבתים שואין מאין יושב יוכתו השערים על ידי שדים ומזיקין *per vastationem desolationis* (scilicet *atteretur porta*); *cum vastatae fuerint domus sine incolis percutientur portae per daemones et spiritus malignos.* Opinantur enim Hebraei, esse vastatis domibus certos daemones praefectos. Vid. Gemara ad *Sota* p. 1065. ed. Wagenseil. Hieronymus: „Portas viarum frequentium, per quas populorum influebant agmina, opprimet habitatorum calamitas."

13. כי כה יהיה בקרב הארץ בתוך העמים *At vero ita erit in medio terrae, in medio populorum*, i. e. in terra Hebraeorum s. Cananaea, quam medium orbis terrarum locum tenere existimarunt, vid. not. ad Ezech. V, 5. XXXVIII, 12. In ea quid futurum sit opponitur illis quae in superioribus praedixit de calamitatibus, quas reliquus terrarum orbis sit subiturus. Particula כי, a qua oratio vatis incipit, non λογιστικῶς accipi potest, quum ratio hic nulla detur ejus quod praecessit, sed *adversative* est sumenda, ut locis pluribus aliis, quorum multa congessit Noldius sub num. 23. כנקף זית כעוללות אם־כלה בציר *Tanquam strictura oleae, tanquam racemationes, cum finita fuerit vindemia*, tunc vero parum olivarum superest, parum uvarum, et minorum quidem, quod subterfugerit attentionem decutientium et colligentium. Hieronymus: „Paucitas justorum baccis olivarum rarissimis comparatur, quae quum excussae fuerint, atque demessae, vix paucae remanent in ramorum cacumine, et quomodo quum fuerit finita vindemia, solent pauperes, egestate cogente, vacuas circuire vites, et pauca uvarum grana colligere."

14. המה ישאו קולם *Illi* pauci superstites, de quibus vs. 13, *tollent vocem suam.* בגאון יהוה צהלו *In excellentia Jovae*, i. e. cum Jova se excellentem, glo-

riosum,

riosum, ostenderit, *hinnient*, jubila edent, idem quod יָרֹנּוּ, quod proxime praecessit, ut Esth. VIII, 15., ubi de populo ovante verbum צָהֲלָה dicitur et cum שָׂמֵחָה jungitur. מִיָּם *A mari*, i. e. ab extremis oris; ut Hos. XI, 10. ubi vid. not. Sunt, qui מִיָּם *prae mari*, i. e. magis quam mare, s. magis quam in mari vertant. Ita Jarchi, qui verba haec ita exponit: יותר ממה שצהלו על הים בגאולת מצרים *magis* (jubilabunt Hebraei futuro illo tempore) *quam jubilarunt ad mare*, s. *de mari*, i. e. de iis quae in mari rubro facta sunt; *in liberatione ex Aegyptiaca servitute*. Sequutus est Chaldaeum, cujus interpretatio est talis: יְבוּעוּן כְּמָא דְבוּעוּ עַל גְּבוּרָן דְּאִתְעֲבִידָא לְהוֹן עַל יַמָּא *exsultabunt sicut exsultarunt propter magnifica facta, quae iis facta sunt in mari.* Dathius: *hinniunt*, laetis vociferationibus exultant, *magis quam mare*, ut comparatio sit laetitiae illius tumultuantis, quam propheta, phrasi quidem sublimiori, sed a dictione minime aliena, ipso maris strepitu sonantiorem esse dicit. A sensu vatis plane aberravit Alexandrinus, qui pro צָהֲלוּ מִיָּם dedit: *ταραχθήσεται τὸ ὕδωρ τῆς θαλάσσης*, et Theodotion, qui posuit: *ἤχησαν ὕδατα θαλάσσης*, *sonuerunt aquae maris*, ac si מֵימַיִם, aut מֵי־יָם legissent.

15. In verbis עַל־כֵּן בָּאֻרִים כַּבְּדוּ יְהוָה interpretandis molestiam creat dictio בָּאֻרִים. In Graecae Alexandrinae versionis codicibus tantum non omnibus integer hic versus ita sonat: *διὰ τοῦτο ἡ δόξα Κυρίου ἐν ταῖς νήσοις ἔσται τῆς θαλάσσης, τὸ ὄνομα Κυρίου ἔνδοξον ἔσται.* Sed in codice quidem LXX. interpp. Pachomii, magni aestimato illo a Grabio (vid. *Prolegomm.* ad Tom. tert. edit. LXX. interpp. Sect. III. et V. et Grabii *Libr. de vitiis LXX. interpp.* pag. 118.) et in alio quodam codice manuscripto, qui nunc in Museo Britannico asservatur, signo 1. D. 11. notato, versus noster, Lowtho referente, ita

 legi-

legitur: Διὰ τοῦτο ἡ δόξα Κυρίου ἔσται ἐν ταῖς νήσοις τῆς θαλάσσης· ἐν ταῖς νήσοις τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου Θεοῦ Ἰσραὴλ ἔνδοξον ἔσται. Quod cupidus arripiens Lowthus, Alexandrinum pro בָּאֻרִים legisse arbitratur בָּאִיִּים; nec prorsus displicebat haec conjectura Michaeli in *Adpend. ad Biblioth. Orient.* P. XIV. pag. 55. Sed vere monet J. F. Schelling in *Animadverss. critt. ad difficiliora Jesajae loca* p. 82., quum Genitivus τῆς θαλάσσης continuo cum ταῖς νήσοις prima vice positis junctus sit, iteratam verborum ἐν ταῖς νήσοις scriptionem lapsum potius oscitantis, quae jam scripta erant, denuo scribere incipientis, tum vero lituram aegre admittentis librarii esse videri. In arabica certe versione, quamquam etiam hic verbum verbo ex Graecis transfertur, nullum hujus lectionis vestigium exstat. „Ad quae accedit, quod, quum כַּבְּדוּ jam per δόξα ἔσται verterint LXX., unde illud ἔνδοξον ἔσται in altero membro traxerint, non appareat, nisi per hoc ipsum hebraicum בָּאֻרִים vertere ii voluisse existimentur. Ex eorum igitur versione si judicare liceat, transposita eorum in exemplari ebraico בָּאֻרִים et בְּאִיֵּי הַיָּם, atque hoc in primo, illud in altero membro positum fuisse, tum vero illud per ἔνδοξον ἔσται, translatum ab iis videri possit, sive hunc significatum a verbo בָּאַר, quod in Piel certe *clarum facere* significat, repetierint, legerintque בָּאֵר vel בְּאוּרִים, sive ab אוּר, acceperintque hanc dictionem eodem sensu, quo Latini quae gloriosa sunt *in luce* versari dicunt. Ex his certe clarum est, nec Lowthi, nec eorum judicium, qui vocem בָּאֻרִים a graeco interprete prorsus omissam esse statuunt, tale esse, ut nihil dubitationis habeat." Alii aliter conjecerunt. Hubigantius: „cum sequatur בְּאִיֵּי הַיָּם *in insulis maris*, facile est videre, olim scriptum fuisse בָּאִיִּים, vel בְּעַמִּים *in populis*, atque unum esse alterius parallelum." Idem Dathio placuit, in nott. critt. ad h. l. Calmet ab Hubigantio adductus, vel בֶּהָרִים *in montibus*, vel בַּחֻרִים *electi*,

electi, vel בִּיאֹרִים *in fluviis*, legendum proponit. Henslerus pro בָּאֻרִים efferre mallet בָּאֹרִים, quod contractum positum esse autumat pro בִּיאֹרִים *ad Nili ripas*, quemadmodum Amos VIII, 8. בָּאֹר contracte pro בִּיאֹר scriptum inveniatur. Ex conjectura omnia et absque ulla codicum aut versionum auctoritate. Solum interpretem Syriacum diversam a vulgari lectionem exhibere, contendit Schelling l. c. Ille videlicet verba בָּאֻרִים כַּבְּדוּ vertit ܒܬܫܒܘܚܬܐ ܫܒܚܘ *cum laude celebrate* Dominum. Ad solum verbum כַּבֵּד exprimendum hac formula numquam alias uti hunc interpretem pluribus exemplis allatis ostendit Schelling; quotiescunque vero cum verbo ܫܒܚ jungit nomen ܠܬܫܒܘܚܬܐ, ut hoc loco, per hoc hebraicum שִׁיר exprimit, ut Ps. XXXIII, 3. LXIX, 31. CXXXVII, 4. CXLIV, 9. Jesaj. XLII, 10. Unde colligit, Syrum pro באורים h. l. legisse בְּשִׁירִים *cum canticis*, quod cum toto orationis propheticae argumento egregie consonare autumat. „Quum enim vs. 14. *populi*, quorum vs. 15. mentio facta erat (ad hos enim pronomen הֵמָּה respicit) sublata voce *cantaturi*, et ab *accidente* (מִיָּם) *jubilaturi* esse dicantur, ad hos ipsos vs. 15. per apostrophen vertit se oratio, excitanturque ii, ad *celebrandum canticis* Jovam; tum vero 16. nova subita conversione haec *cantica* ab extremo terrae fine resonantia jam jamque inaudire sibi juxta cum aliis videtur propheta.“ Quod autem in textu nunc legitur, בָּאֻרִים, varie interpretantur. Plerique אֻרִים ad אור *lucem*, referunt, auctore Chaldaeo, qui habet: עַל כֵּן בְּמֵיתֵי נְהוֹרָא לְצַדִּיקַיָּא יְיַקְרוּן קֳדָם יְיָ *Ideo cum venerit lumen justis, glorificabunt coram domino.* Saadias: لِذَلِكَ أَكْرِمُوا ٱللّٰهَ فِي وَقْتِ ظُهُورِ نُورِهِ *propterea extollite Deum quo tempore apparebit lux ejus.* Huc referendus quoque Vulgatus, qui *doctrinas* vertit,

 vocem

vocem enim אוּרִים solet *doctrinas* interpretari, quod *lux* sit *doctrina.* Ita etiam interpretatur Exod. XXVIII, 30. אוּרִים in pectorali sacerdotis, non quod ignoraret, vocem *luces* significare, i. e. lapides lucidissimos, sed mysterium olfaciens, intelligebat per *luces* doctrinam cum vitae integritate conjunctam a sacerdote requiri. Coccejus *ignis in publicae laetitiae signum accensos, Freudenfeuer*, intelligit. Sic et Abendana, et eodem Michaelis in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* P. I. p. 48. referendum putat Syrum, cujus interpretationis jam mentionem fecimus. Alii *specus* interpretantur, in quibus profugi latuerint, vid. loca ex Lexx. Judaeorum, quae attulit de Rossi ad h. l. Immerito Michaelis l. c. *specus* significationem merum commentum pronunciavit, quod nullo modo probari possit ex usu linguarum Orientalium, quum tamen أُرّ, Giggejo teste, Arabibus sit *spelunca*, unde et supra XI, 8. מְעָרָה *specus*, conf. Bocharti *Hieroz.* Part. II. Lib. III. Cap. X. pag. 404. (T. III. p. 189. ed. Lips.). Eandem significationem secuti sunt Vitringa et Forerius, qui *Troglodytas* significari putat, ἀπὸ τῶν τρωγλῶν, i. e. *specubus*, in quibus habitabant, nomen sortitos, de quibus vid. Plinium, Lib. V. c. 8. „Hujusmodi homines," inquit, „olim sub Aegypto versus mare rubrum habitabant, supra modum barbari. Per hos autem intelligit propheta ceteras barbaras nationes, quibus mox jungit *insulas maris*, i. e. extremos quosque populos, et *toto orbe divisos*, quales erant Europaei respectu Judaeorum. Intellige ergo moribus et situ a Judaea longe remotas gentes." Non incommoda plane explicatio; praeplacet tamen vel Doederlinii illa: *in septentrionibus celebrate Jovam*, collato Arabico اوم *septentrio*; vel quam Schelling proposuit iis, quibus aut religio sit, a recepta lectione recedere, aut convenientius certe videatur, ut sit aliquid, quod

quod בְּאִיֵּי הַיָּם in altero membro respondeat. „Solenne est," inquit, „poetis sublimioribus, a vulgari loquendi more recedere, vocibusque insolentioribus ex exquisitioribus uti. Quid si Jesajam, qui v. c. LXIII, 3. 6. pro vulgari דָּם posuit נִצְחָם, simili verborum delectu pro vulgarioribus loquendi formis, מִזְרַח שֶׁמֶשׁ et מַעֲרָבָה, quae XLV, 6. et alibi occurrunt, hic אֻרִים pro illa, et אִיֵּי הַיָּם pro hac posuisse censeamus, ut sensus hic sit: *itaque in oriente celebrate Jovam, in terris occidentalibus nomen Jovae.* Sic certe membrorum parallelismus egregie sibi constat. Habere etiam haec conjectura prae illa, quam Doederlinius proposuit hoc praecipui videtur, quod ab origine vocis, verbo אור, quod *lucendi* et *ardendi* significatum habet, non nimis dissideat. Quid enim obstat, quo minus, quemadmodum Graeci et Latini ab Ἠὼς et Ἕως *aurora*, orientem *eoa*, et quidquid orientale fuit, *eoum* dixere, sic Ebraei ad idem signandum appellatione a *luce* vel *igne* petita uti potuissent? Accedit ad haec, quod אוּרְיָה, ejusdem originis nomen, Chaldaeis vel *occidentem*, ab ortu et luce stellarum pro illustranda nocte, vel *orientem*, a luce matutina, signarit." Omnium minime probandum est, quod J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 49. collato Arabico أور *propulsio, expulsio*, convertit: *in exsiliis* (patria pulsi) *laudate* Jovam.

16. מִכְּנַף הָאָרֶץ *Ab ala terrae*, i. e. ab extrema orbis terrarum parte, e regionibus remotissimis, cf. supra XI, 12. Job. XXXVII, 3. XXXVIII, 13. Verbis צְבִי לַצַּדִּיק *decus justo* alii canticorum illorum, quae ab extremis terris resonent, argumentum contineri existimant, alii vero sensum hunc esse volunt, oblectamento fore istas cantiones piis. Ita Kimchi, qui צְבִי h. l. idem esse vult quod חֵפֶץ *delectatio*, *oblectamen-*

tum, ut Ezech. XX, 6. de terra Iſraelitica dicitur: צְבִי הִיא לְכָל הָאֲרָצוֹת *delectatio eſt omnibus terris.* Priori modo ſumit haec Jarchi: ומה הן הזמירות לצדים עתיד להיות צבי מצבות קומה לצדיקים *Quaenam ſunt illae cantiones?* (hae:) צְבִי לַצַּדִּיק i. e. *firmitas ſtatus erit juſtis.* Retulit nomen צְבִי ad radicem יָצַב ſive נָצַב *firmiter ſtetit*, quod tamen analogiae grammaticae repugnat. Cf. not. critic. ad Ezech. XX, 6. Chaldaeus prius verſus hujus membrum ita expoſuit: מִבֵּית מַקְדְּשָׁא דְּמִתַּמָּן עָתִיד לְמִפַּק חֶדְוָא לְכָל יָתְבֵי אַרְעָא תּוּשְׁבְּחָא שְׁמַעְנָא לְצַדִּיקַיָּא *e domo Sanctuarii, unde futurum eſt, ut egrediatur gaudium omnibus incolis terrae, laudes audimus juſtorum.* Rationem, cur pro eo quod in Hebraeo eſt, *ab extremo terrae*, Chaldaeus poſuerit *e domo Sanctuarii*, ſ. *templo*, Jarchi reddit hanc, quod urbs Hieroſolymitana haud procul ab orientali terrae Judaicae termino, Jordane, ſita eſſet. Hieronymus: „*Ab alis terrae*, id eſt, a prophetis et Sanctis Domini laudes ejus audivimus praedicari, et quod gloria vel ſpes juſti non ſit irrita, ſed rebus omnia compleantur." In verbis, quae ſequuntur: וָאֹמַר רָזִי לִי רָזִי־לִי, explicandis non conſentiunt, quum formula lamentandi nova ſit, cujus exemplum alias non reperitur. Veteres interpretes, qui ſuperſunt (in Graeca Alexandrina verſione enim haec verba non translata leguntur, de Aquila non liquet) ſignificationem vocis רָזִי mutuati ſunt a Chaldaeis, apud quos notiones רָז et רָזָא obviae ſunt in ſignificatione *ſecreti, arcani.* Hinc Symmachus: *τὸ μυςήριόν μου ἐμοί, τὸ μυςήριόν μου ἐμοί*, et Hieronymus: *ſecretum meum mihi! ſecretum meum mihi!* Quae in Commentario ita explicat: „Propheta ſibimet ipſi loquitur: quum, inquit, haec audiſſem, et in ſubverſione orbis vaticinium prophetarum explendum perſpicerem; loquutus ſum mihi interno cordis affectu: non poſſum cuncta narrare quae cerno; haeret lingua faucibus meis, vox dolore concluditur."

ditur." *Arcani* notione dictionem רזי cepit quoque Chaldaeus, cujus explicatio haec est: אמר נביא רז אגר דצדיקיא אחזי לי רז פורענות לרשיעיא אתגלי לי *secretum praemii justorum monstratum est mihi; secretum vindictae impiorum revelatum est mihi.* Idem sequutus est Jarchi. Qui sensus tamen non congruit lamentandi formulae, quae proxime sequitur, אוי לי *vae mihi.* Quare rectius Aben-Esra et Kimchi Jod in רזי non pro suffixo habent, sed pro radicali, ut referendum sit ad verbum רזה *emaciavit*, et significatu conveniat cum רזון *macies*, qua voce usus est vates supra X, 16. Ita inter plures alios Vitringa, qui haec ita explicat: „vult dicere, ad novam calamitatem, quae sibi ob oculos versabatur, totum se horrere et contremiscere; quicquid in carne vegetum et floridum erat, concidere; flaccescere membra, et perire sibi speciem." Similiter Ps. CIX, 24. *Caro mea ita macruit, ut absumpta sit pinguedo.* Dathius vertit: *o calamitatem meam!* collato Arabico رزّ *malo, aerumna affecit.* Sic in *Historia Timuri* Tom. I. pag. 450. lin. 11. ed. Manger. الغرام لا من الرزايا *non effugiuntur infortunia.* אוי לי „*Vae mihi!* quantus ordo poenarum ante oculos versatur meos; cerno praesentia quae futura sunt." Hieronymus. בוגדים בגדו ובגד בוגדים בגדו *Protervi proterve agunt, et cum protervia protervi proterve agunt.* Describitur summa violentia hominum ferocium, quibus nec divini quicquam, nec humani sanctum fuerit. בגד hic non *perfide agere*, sed *protervum, insolentem, violentum se gerere* significat, ut Habac. II, 5. Chaldaeus: וי לאנוסיא דמתאנסין ולבזוז דהא מתבזזין *vae iis qui vim faciunt, nam vim patientur, et direptoribus, nam ecce diripientur.*

17. פחד ופחת ופח עליך יושב הארץ *Pavor; et fovea, et laqueus super te, o incola terrae!* His

translationibus solent Hebraei seriem malorum se invicem excipientium significare, quorum qui quaedam vult fugere, in alia, et forte majora, incidit, ut Latinis:

Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdin.

Estque paronomasia in his vocibus, qua solent gaudere poetae Hebraei: *Pachad*, *Pachath*, *Pach.* Iisdem verbis utitur Jeremias XLVIII, 43.

18. Quod superiore versu breviter dixerat, in hoc ita repetit, ut simul declaret. וְהָיָה הַנָּס מִקּוֹל הַפַּחַד יִפֹּל אֶל־הַפַּחַת *Et futurum est, ut qui fugerit a voce pavoris, cadat in foveam*, i. e. qui audito tumultu et trepidatione timentium aufugiet, propterea tamen non elabetur. Similiter Amos V, 19. *Ut si quis fugerit a leone, et ei occurrerit ursus.* Sensus, tempus esse magnae et pressae angustiae, quo quemque varia circumstant discrimina, quorum si quis unum feliciter evitaverit, facile incidat in aliud, donec indubitato pereat. Pro מִקּוֹל codex unus Kennicotti מִפְּנֵי habet, quod legitur in loco parallelo Jeremiae XLVIII, 44., ubi eadem, quae hic, verba leguntur. Sed utrumque ex Hebraismo satis noto pro solo מ positum est, conf. Ps. CII, 6. מִקּוֹל אַנְחָתִי *ob vocem gemitus mei*, i. e. ob dolorem in gravissimos gemitus erumpentem, *adhaerent ossa pelli meae.* וְהָעוֹלֶה מִתּוֹךְ הַפַּחַת יִלָּכֵד בַּפָּח *Et qui ascenderit e fovea capiatur laqueo.* Eadem similitudo est Jer. XVIII, 22., ubi vates in describendo statu suo, dum adversarii ipsi struebant insidias, dicit: *foderunt foveam ad me capiendum, et laqueos occultarunt pedibus meis.* Non improbabilis nonnullorum interpretum conjectura, alludi utroque hoc loco ad capturam ferarum, ad quam *formidines*, sic dictae, adhiberi solebant. Dicebantur autem Latinis *formidines*, funes, sive *lineae, variis et versicoloribus intextae pennis, quae cervos pennarum agitatione terrebant, vel ut* pavi-

pavidi venabula exciperent, vel ut in alia retia parata, aut foveas acti formidine laberentur; vid. Senecam *de Ira* L. II, Cap. 12., et *de Clementia* L. I, C. 12., nec non Virgilii *Aeneid.* XII, 749. seqq. et *Georg.* III, 372. Maxime vero huc facit locus Epicteti apud Arrianum L. II, *Ceterum nos idem quod cervi facimus*, ὅτε φοβῶνται φεύγουσι αἱ ἔλαφοι τὰ πτηνὰ, ποῖ τρέπονται καὶ πρὸς τίνα ἀναχωροῦσιν ὡς ἀσφαλῆ πρὸς τὰ δίκτυα, καὶ οὕτως ἀπόλλυνται, *qui dum exterriti fugiunt pinnas, alio se vertunt, et quasi ad secura loca in ipsa retia concedunt, atque ita pereunt*. Causam tantae perturbationis et consternationis exhibet reliqua pars versus: כִּי־אֲרֻבּוֹת מִמָּרוֹם נִפְתָּחוּ *nam fenestrae*, valvae, *ex alto*, i. e. coeli, *aperientur*, quae verba desumta sunt ex historia diluvii, Genes. VII, 11.: *Hoc ipso die fissi fuerunt fontes abyssi magnae*, וַאֲרֻבֹּת נִפְתָּחוּ *et apertae fuerunt coeli fenestrae*, οἱ καταῤῥάκται τοῦ οὐρανοῦ, ut LXX. ibi vertunt, quam vocem hic quoque servavit Hieronymus; etsi Graecus hoc loco habeat θυρίδες. Et tamen rectissime hic usurpatur *cataracta*, modo latius paulo sumatur pro qualibuscunque valvis, quae ruentes aquas sustinent, obicibus et κλείθροις retineri et compingi solitae. Cf. not. ad Hos. XIII, 3. Ad vocem מִמָּרוֹם Rossius notat, pro ea in uno Codice Kennicottiano legi מִשָּׁמַיִם. „Cod. meus 305., pergit, primo הַשָּׁמַיִם, *cataractae coeli*, sicque alios codices legere monet margo codicis 519. Vocabulum hoc supra rasum in cod. 789., ut videatur alterutram ex duabus hisce lectionibus primo habuisse.“ וַיִּרְעֲשׁוּ מוֹסְדֵי אָרֶץ *Et concutientur fundamenta terrae.* Describitur orbis terrarum perversio per ingentem eluvionem et terrae motum.

19. Pergit in describendo horrido terrae motu, quem in fine versus superioris memoraverat. רֹעָה הִתְרֹעֲעָה הָאָרֶץ *Confringendo se confringet terra* compagi-

pagibus ruptis quasi frangitur. Verbum רֹעַ hic notionem *frangendi* (שָׁבַר) obtinere, ut Pf. II, 9., observant Jarchi et Kimchi. Est idem quod רָצַץ, literis ע et צ more Chaldaico inter se permutatis. פּוֹר הִתְפּוֹרְרָה אֶרֶץ *Disrumpendo disrumpet se terra.* Coacervatio phrasium synonymarum ἔμφασιν quandam et ἐνέργειαν majorem orationi addit. Sunt autem haec, uti et illud quod subjicitur, מוֹט הִתְמוֹטְטָה אֶרֶץ *nutando nutat terra*, multo graviora, quam ut de solis rerum publicarum et regnorum mutationibus intelligi possint.

20. נוֹעַ תָּנוּעַ אֶרֶץ כַּשִּׁכּוֹר *Titubando titubabit terra sicut ebrius*, de quo verbum נוּעַ et infra XXIX, 9. Pf. CVII, 27. dicitur. וְהִתְנוֹדְדָה כַּמְּלוּנָה *Agitabitur sicut tugurium nocturnum*, Alludit ad *pensiles lectos*, quos, metu ferarum, in arboribus sibi parare solent istis in terris non custodes solum hortorum camporumve, sed et iter facientes. Niebuhr in *Descript. Arab.* p. 158. *In montanis Jemenae*, inquit, *nidos*, *ut ita loquar*, *in arboribus vidi*, *sedes Arabum*, *agros suos custodientium.* Hoc quidem loco Chaldaeus et Syrus מְלוּנָה reddunt עַרְזְלָא s. עַרְסְלָא quo de vocabulo Chaldaico Buxtorfius in *Lex. Chald.* p. 1670.: *Lectulus, cubile vagum, ut cunae, vel cunabula puerorum, lectuli tuguriorum, aut peregrinantium.* — *In Tosephoth scribitur, custodes hortorum solitos fuisse extendere funes ab arbore una ad alteram, ut funes in lecto extenduntur, et in iis sub umbra densorum ramorum cubuisse.* Similiter Saadias utitur voce عرزال, quam Golius e Dscheuhario ita exponit: *locus, quem in summa arbore sibi struit campi custos prae metu leonis.* Hujusmodi igitur lecto, qui vento arbores quassante in perpetuo motu est, undantem tanquam sub pedibus terram eximie comparat vates. וְכָבֵד עָלֶיהָ פִּשְׁעָהּ *Et gravis*

vis erit ſuper ea malitia ejus, graves dabunt poenas ſceleſti terrae incolae. Terra ipſa ſiſtitur tanquam cui delicta incolarum graviter incumbant, ita ut deprimatur et concidat.

21. וְהָיָה בַּיּוֹם הַהוּא יִפְקֹד יְהוָה עַל־צְבָא הַמָּרוֹם בַּמָּרוֹם *Et futurum eſt illa die, ut animadvertat Jova in exercitum alti in alto*, quo plures interpretes *aſtra* indicari exiſtimant, quae צְבָא הַשָּׁמַיִם *exercitum coeleſtem* vocari conſtat, veluti Deut. IV, 19. Dan. VIII, 10. 11. 13., et מָרוֹם *altum* pro *coelo* ponitur, Pſ. XVIII, 17. Jerem. XXV, 30. et ſaepius. Ita Hieronymus: „In die illa, id eſt, in die judicii, viſitabit Dominus ſuper militiam, ſive ſuper ornatum coeli in excelſis, ut non ſolum terrena, ſed et coeleſtia judicet. Quis ſit autem ornatus coeli, ſive militia, Moyſe ſcribente diſcamus [Deut. IV, 19.]: *Cave ne ſuſpiciens coelum, et videns ſolem, et lunam, ſtellas et omnem ornatum coeli, decipiaris et adores ea.*" Verum quum *copiae excelſi in excelſo* hic opponantur *regibus terrae*; utrisque quidem entia *ratione praedita*, ſed prioribus illis *coeleſtia* et *ſupera*, his vero *terreſtria* et *inferiora* intelligi neceſſe eſt. Recte igitur Aben-Esra *angelos*, praeſides regnorum mundi, quorum ad reges illos aut regna eſt peculiaris reſpectus ſignificari ait, כי מלכות המלכים דבקה עם מלכות המלאכים *quia regnum regum* terreſtrium *cohaeret regno angelorum* coeleſtium. Vetus erat opinio, cujus manifeſtum veſtigium deprehendimus in loci Deut. XXXII, 8. verſione Graeca Alexandrina, eſſe ſingulis populis et regnis ſuos angelos praeſides aſſignatos. Vid. ad Ezech. XXVIII, 2. p. 310. Phraſis plane ſingularis hic tantum obvia צְבָא הַמָּרוֹם בַּמָּרוֹם de ſtellis et aſtris numquam uſurpatur. Chaldaeus hanc phraſin vertit: חֵילְוָתָא תוּקְפָּא דְיָתְבִין בְּתוּקְפָּא *exercitus fortitudinis qui ſedent in fortitudine.* Daemones *malos* vero iſtos fuiſſe

fuisse inde patet, quod Deus in eos animadversurus dicitur, quod versu proximo disertius dicitur.

22. וְאֻסְּפוּ אֲסֵפָה אַסִּיר עַל־בּוֹר *Et colligentur collectione, vinctus quisque in fovea*, i. e. colligentur una omnes tanquam vincti detrudendi in foveam. Desumta est metaphora a captivis, bello factis; aut aliis criminis gravioris consortibus, qui gregatim vincti, manus pedesque ligati, truduntur in carcerem, et arctae mandantur custodiae. Ceterum vix monitu opus, אַסִּיר συλληπτικῶς pro אַסִּירִים positum esse, et voculam עַל hic sumi pro *in*, ut aliis locis. De verborum וּמֵרֹב יָמִים יִפָּקֵדוּ *post multos dies visitabuntur*, sensu interpretes in diversas partes abeunt. Quum enim verbum פָּקַד ambiguum sit, atque tam in bonam (ut supra XXIII, 17.), quam in malam partem usurpetur; sunt, qui his verbis hoc dici existimant, daemones istos et reges terrestres in carcerem detrudendos post longi temporis spatium exsolvendos esse poenis, conferuntque tanquam locum huic parallelum Apocal. XX, 1 seqq. de Satana ligando et conjiciendo in carcerem, et post mille annos per breve tempus rursus solvendo, ut deinceps poenam referret sibi divinitus destinatam. Quod tamen potius haustum est ex Ezech. XXXVIII, 8., ubi Gogus dicitur post longum tempus visitandum (מִיָּמִים רַבִּים תִּפָּקֵד) et cum ingenti exercitu terram Judaicam invisurum esse. Hoc vero loco, quum proxime (vs. 23.) Jova regnaturus dicatur, verbum יִפָּקֵדוּ haud dubie de *poena* est intelligendum, ut infra XXIX, 6. Sensus et, sceleratos illos, quos divina justitia in carcerem conjecerit, post multos etiam dies fore torquendos, i. e. numquam futurum esse poenarum terminum. Ita Aben-Esra: הטעם כי תמשך זאת הרעה *Sensus est, malum hoc protrahendum esse*, dum ipsi, inclusi carceri, ibi poenas luco essent detinendi. Alii hoc indicari volunt, posquam per

per longum tempus in carcere subterraneo inclusi fuerint, ultimo supplicio ipsos afficiendos esse. Ex Vitringae sententia his verbis vates dicere vult, prophetiam hanc non proximo, sed longo tempore interjecto, implementum suum consequuturam esse, termino *a quo* non ducto a tempore regum in carcerem compingendorum, sed ab ipso hoc tempore, quo prophetiam vulgavit. Quod tamen minus hoc loco concinnum videtur.

23. וְחָפְרָה הַלְּבָנָה וּבוֹשָׁה הַחַמָּה *Et pudore suffundetur luna ac pudefiet sol*, quibus verbis interpretum plures idem indicari volunt, quod Joel III, 4. (al. II, 31.) dicit, fore, ut Deo judice orbis terrarum adventante *sol in tenebras et luna in sanguinem convertatur*, quod Joannes Apoc. VI, 13. imitatus est; cf. Matth. XXIV, 29. Sed quum ratio, cur coelestia illa lumina pudore sint suffundenda, statim addatur haec, כִּי מָלַךְ יְהוָה *quod regnum capessiverit Jova*, in monte Sione et Hierosolymis; mens vatis potius videtur haec esse, instauratam Hierosolymam eo splendore collustratum iri, qui solis et lunae lumen longe superet. Pertinet huc, quod infra LX, 19. de nova Hierosolyma dicitur: *Non erit tibi amplius sol in lucem diei, et ad splendorem luna non lucebit tibi; sed Jova tibi erit in lucem perpetuam, et Deus tuus tibi erit ornamento.* Minime probandus est Chaldaeus, qui haec verba sic explicavit: וְיִבְהֲתוּן דְּפָלְחִין לְסִיהֲרָא וְיִתְכַּנְעוּן דְּסָגְדִין לְשִׁמְשָׁא *et pudefient qui colunt lunam, atque erubescent qui adorant solem.* Multo longius a vero verborum sensu aberravit Graecus Alexandrinus interpres, dum vertit: καὶ τακήσεται ἡ πλίνθος, καὶ πεσεῖται τὸ τεῖχος. Erroris caussam Hieronymus monstrat his verbis: „Pro *Labana*, id est, *luna*, Septuaginta interpretati sunt *laterem*, qui hebraice appellatur *Lebena* [לְבֵנָה], verbi ambiguitate decepti. Rursum pro *Hamma*, id est, *calore*, per quam in-

intelligitur *ſol*, poſuerunt *murum*, qui hebraice dicitur *Homa* [חוֹמָה]." כִּי מָלַךְ יְהוָה *Nam regnat Jova*, i. e. regnum capeſſet, regnare incipiet, ut verbum vulgo ſumitur in libris Regum. Chaldaeus: אֲרֵי תִתְגְלֵי מַלְכוּתָא דַיְיָ *nam manifeſtam ſe faciet potentia Jovae.* וְנֶגֶד זְקֵנָיו כָּבוֹד *Et coram ſenioribus ejus erit gloria.* Affixum maſculinum in זְקֵנָיו referendum eſt ad Jovam, intelliguntur que *ſeniores populi ejus*, סָבֵי עַמֵּיהּ, ut recte Chaldaeus. *Seniores* vero hic ſunt *ſuperiores*, *optimates* populi, ut Geneſ. L, 7. *Aegypti ſeniores.* Senſus eſt, proceres populi Hebraici, veluti regnantis Jovae conſortes, ob ſapientiam, gravitatem, pietatem, in magna fore exiſtimatione.

CAP. XXIV. 1. *Ecce Jova exhaurit terram, et evacuat eam: invertit ejus ſuperficiem, atque incolas ejus diſpergit.*

2. *Ut populus ita ſacerdos, ut ſervus ita dominus; ut ancilla, ita hera; ut emptor, ita venditor; ut mutuo dans, ita qui mutuo accipit; ut foenerator, ita qui accipit foenori.*

3. *Sane exhaurietur, diripietur terra. Nam Jova hoc verbum proloquutus eſt.*

4. *Luget, marcet terra; languet, marcet tellus; langueſcunt, qui erant ſublimis populus terrae.*

5. *Etenim foede polluta eſt terra ſub habitatoribus ſuis: quippe leges transgreſſi ſunt, immutarunt ſtatuta, irritum fecerunt foedus aeternum.*

6. *Idcirco exſecratio terram abſumit, et rei aguntur qui eam inhabitant; ideo, inquam, extabeſcunt incolae terrae, et parum hominum ſuperſtitat.*

7. *Luget muſtum; languet vitis; ingemiſcunt omnes hilares animi.*

8. *Ceſ-*

8. Cessat gaudium tympanorum; silet strepitus ovantium; non auditur laetus citharae cantus.

9. Nec jam inter concentus potant; amara est sicera potatoribus.

10. Fracta est urbs vacua, clausae sunt domus, nemo eas ingreditur.

11. Ob vinum plorant in plateis; fugit omnis laetitia; exulat terrae hilaritas.

12. Remanet in urbe solitudo, ictaque est vastitate porta.

13. Sic enim res habebit in media terra, in mediis populis, ut cum destrictae sunt oleae, et ut cum racemationes fiunt, cum peracta est vindemia.

14. At illi efferent vocem suam, ovabunt, ob Jovae excellentiam hinnient a mari.

15. Propterea in Eois celebrate Jovam, in oris maritimis nomen Jovae, Dei Israelis.

16. Ab extrema terrae audimus cantica oblectamento justis. At dixi: macies mihi! macies mihi! Vae mihi! Protervi proterve agunt, cum protervia protervi proterve agunt.

17. Pavor, fovea, illaqueatio, tibi, o terrae incola, imminet!

18. Et futurum est, ut qui effugerit vocem pavoris, incidat in foveam, qui ascenderit e fovea, capietur laqueo; nam meatus e celso aperientur, et concutientur fundamenta terrae.

19. Rumpetur tellus, dissolvetur tellus, commovebitur tellus.

20. Vacillabit tellus ebrii instar, nutabit sicut stratum inter arbores suspensum; gravis ei incumbet sua defectio, cadet, nec unquam resurget.

21. Futurumque est illo tempore, ut Jova animadvertat ad exercitum celsum in celso, et in reges terrestres in terra.

22. *Cogentur una omnes vincti, foveae includendi; claudentur in carcere, et longo post tempore invisentur.*

23. *Pudefiet autem luna, et pudore afficietur sol, nam Jova, agminum Deus, in monte Sion et Hierosolymis regnabit, coramque senioribus ejus erit gloria.*

Cap. XXV.

Sequitur cantio gratiarum actionis ob liberationem piorum et suppliciam malorum. Extollitur tum summa Dei gratia et potentia, tum fides ejus inviolata in praestandis promissis longe antea datis, quod feroces istos et violentos, qui pios Jovae cultores oppressuri et plane exstincturi videbantur, represserit, suos vero defenderit, et magnae laetitiae iis paraverit materiam.

1. יְהוָה אֱלֹהַי אַתָּה *Jova Deus mi, o tu!* אַתָּה in fine sententiae positum est non sine emphasi, estque vox blandientis, ut Jerem. II, 27. אָבִי אַתָּה *pater meus tu es.* Eadem vi Graecis poetis usurpatur vox τύνη *tu* postposita, ut Hesiodo, *Op. et D.* vs. 9. Δίκῃ δ' ἴθυνε θέμιστας τύνη, *juste rege judicia tu!* כִּי עָשִׂיתָ פֶּלֶא *Quia fecisti mirum*, quod hic sumendum est *collective*, pro פְּלָאוֹת *facta admiranda et magnifica.* Sed elegit hoc dicendi genus, ut indicaret ingens quid praeter omnium exspectationem, quod quasi κατὰ συμπλοκὴν multa mirabilia in se complectatur. עֵצוֹת מֵרָחוֹק *Consilia a longinquo*, i. e. non tantum longe ante capta, sed per prophetas vulgata. מֵרָחוֹק hic idem quod מֵרֵאשִׁית *a principio*, et מִקֶּדֶם *ab antiquo*, infra XLVI, 10. Illa consilia cum a Deo caperentur et per suos ministros evulgarentur, eventum a longo respiciebant, longe ab eventu distabant. Ea sunt אֱמוּנָה אֹמֶן *veritas fides*, i. e. certissime et verissime secundum fidem datam eventu sunt com-

comprobata. Coccejus vocem עֵצוֹת *confilia* refert ad notionem עָשִׂיתָ *fecifti*, hoc fenfu: *fecifti mirabile; confilia a longinquo*, fcil. fecifti *fidem et veritatem;* et eodem modo acceperunt verba noftra pôft Aben-Esram plures interpretes. Maforethae tamen per accentum *Tiphcha* voci מֵרָחוֹק appofitum nos monuerunt voces ita distinguere, ut duae priores faciant *fubjectum*, quod vocant, duae pofteriores *praedicatum*. Integra fententia eft: עֵצוֹת אֲשֶׁר יָעַצְתָּ אֱמוּנָה אֹמֶן *confilia, quae deliberato cepifti, funt fides fidiffima.* Pro אֹמֶן Michaelis efferre mallet אָמֵן, auctoritate veterum interpretum et Hieronymi, qui in Commentario ad h. l. *defiderans*, inquit, *fieri, quod prophetat, adjungit verbum Hebraicum* AMEN, *pro quo* LXX. *transtulerunt* FIAT. Sed puncta vocalia Maforetharum omnino videntur retinenda. Vertas enim cum Michaele: *die Weiffagung aus der fernen Zeit her ift nun Wahrheit, Amen!* cuinam haec verfio placebit, nifi ejus auctori? Praeterea notum eft, Hebraeos faepe conjungere per appofitionem *fynonyma* diverfi generis, ad gradum fuperlativum exprimendum, exempla vide in STORRII *Obfervatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* pag. 188. not.

2. Urbes munitae atque propugnacula ferocium atque violentorum iftorum (de quibus XXIV, 16. 21. 22.) jam deftructae, et in ruderum acervos redactae jacent. Quod ad aureae aetatis defcriptionem pertinet. Ita Virgilius *Ecl.* IV, 31. inter *veteris fraudis veftigia*, quae feliciffimo illo aevo fint abolenda, numerat et *oppida muris cincta.* כִּי שַׂמְתָּ מֵעִיר לַגָּל *Nam pofuifti, redegifti urbem ex urbe in acervum.* Ad haec verba Hubigantius: „Pro מעיר lege העיר, ut legunt omnes veteres, et ut poftea legitur קריה, non מקריה. Occafionem dederit ifti מעיר priori pofterius מעיר, quod infra legitur, legendum; nifi forte natum fuit שמת מעיר ex שמחה עיר, ut forte in quibusdam codicibus legebatur."

 Cum

Cum Hubigantio ex parte conſentit Dathius in nota crit. ad h. l.: „Pro מעיר legendum eſt הָעִיר, ſive ſine articulo עִיר, ut in ſequenti membro קִרְיָה, non מִקִּרְיָה, quod etiam conſtructioni verbi שׂוּם ſaepiſſime obvii, repugnat, nec ullum τῆ ם indicium eſt apud antiquos interpretes. Irrepſit ſine dubio ſcribarum errore ex ſequenti מעיר, in quo vero recte legitur.“ Probant hoc Lowthius et Doederlinius. J. D. Michaelis in *Ad-pend. ad Biblioth. Orient.* T. XIV. pag. 57. verba alia litterarum diviſione ſic legenda ſtatuit: כִּי שַׂמְתָּם עִיר *poſuiſti enim illos* (hoſtes), *urbem in ruinas*, *civitatem munitam in rudera.* Sed non opus eſt mutatione; ſupple ſententiam: כִּי שַׂמְתָּ עִיר מֵעִיר לַגָּל *nam poſuiſti urbem ex urbe in acervum*, ſic nihil obſcuri in phraſi ſupereſt. Nomine עִיר non certa quaedam urbs, ut Samaria, Ninive, Babylon, indicatur, ſed intelligit vates urbem unamquamque munitam, Hebraeis adverſariam, ut ſupra XXIV, 10. 12. Recte Graecus Alexandrinus: *ὅτι ἔθηκας πόλεις εἰς χῶμα.* Chaldaeus: שַׁוִּיתָא קִרְוֵי פְּצִיחִין לְגַלִּין *redigiſti urbes munitas in acervos.* אַרְמוֹן זָרִים מֵעִיר *Arcem* ſ. *arces barbarorum ne ſint* amplius *civitates* munitae. Nec haec verba intacta reliquit criticorum ſollertia. Hubigantius: „pro זרים *alienorum*, legimus זדים *ſuperborum*, ut infra vs. 5. Veteres nihil de *alienis*. Commode quidem *alieni*, ubi tanguntur res, quas egerint apud Judaeos extranei, non item ubi aguntur res ipſae populorum extraneorum.“ זדים (cum Daleth) exhibent quoque *duo* codices Kennicotti, et eandem lectionem probat Lowthus; cui tamen nec diſplicet alius cujusdam codicis lectio, צרים *hoſtes.* מעיר J. D. Michaelis efferendum arbitratur מְעֻיָּר, quod eſſet Participium Pyal a غيّر *mutavit*, *abolevit*; probant Koppius et Henslerus. Doederlein מעיר mutare mallet in מְעִי *tumulus*: Mich. I, 6. Job. XXX, 24. (quibus

bus locis עִי reperitur, ſed vid. ſupra XVII, 1.), et hinc vertere: *palatia barbara* (vertiſti) *in tumulos numquam reſtaurandos*. Sed nulla lectionem receptam mutandi neceſſitas. Verte: *arcem*, ſive collective, *arces barbarorum poſuiſti* (quod quidem שַׂמְתָּ repetendum eſt, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ) *ut non amplius ſint urbs*; et omnia erunt plana. Quod ſi quis duriter conſtructum putet, מֵעִיר *ut non ſit urbs*, quod putant Michaelis et Koppius, conferat מִבּוֹא, Cap. XXIV. vs. 10., item מִבַּיִת מִבּוֹא XXIII, 1., מוּסָר מֵעִיר XVII, 1., מֵעָם VII, 8.; aut ſi haec non ſatis, alia Coccejus in Lexico ad particulam מִן No. 10. exempla dabit. זָרִים ſunt hoſtes *barbari*, ut ſupra I, 7. Ezech. X, 9. XXVIII, 7. Joel. III, 17.

3. Liberatio et ſalus, quam Jova populo ſuo ad extremas anguſtias redacto praeſtiterat, ei conciliat reverentiam et honorem gentium potentium et ferocium; quin imo ipſarum quoque illarum gentium, quae Hebraeis adverſatae fuerant, et in eos affectaverant imperium et tyrannidem exercuerant. Geminum autem conſtructionis anomalon in hoc commate occurrit. Prius eſt in compoſitione *ſingularis* cum *plurali*, ubi dicitur: יְכַבְּדוּךָ עַם־עָז *populus fortis honorabunt te*; poſterius, quod eadem conſtructione ſervata, nomen generis debilioris קִרְיַת conſtruitur cum verbo *generis maſculini* plurali יִירָאוּךָ pro תִּירָאוּךָ, ut ſecundum analogiam ſcribendum fuiſſet. Nil tamen in hiſce difficultatis eſt, modo meminerimus, nomina ſocietatis et coetus non in Hebraea tantum, ſed in aliis quoque linguis cum *plurali* conſtrui, quippe involventia ideam *pluralitatis*; et nomina ſocietatis apud Hebraeos utroque genere efferri; veluti Geneſ. XLI, 57. וְכָל־הָאָרֶץ בָּאוּ מִצְרַיְמָה, conf. Schroederi *Syntax. Nomin.* Reg. XXVI, a. Praeterea eſt inter Hebraeos uſu receptum, ut quando duo ſubſtantiva, inter ſe conſtructa, conjunguntur, tum verbum

bum quandoque respondeat posteriori recto, cum deberet convenire priori regenti; et exempla sunt Genes. IV, 10. קוֹל דְּמֵי אָחִיךָ צֹעֲקִים *vox sanguinum fratris tui clamant ad me*, pro צֹעֵק *clamat;* Job. XXIX, 10. קוֹל נְגִידִים נֶחְבָּאוּ *vox procerum occultabant se*, pro נֶחְבָּא *occultabat*; confer notam supra ad Cap. II, 11.

4. כִּי־הָיִיתָ מָעוֹז לַדָּל *Nam eras munimentum*, s. refugium *tenui*. *Tenues* et *pauperes* sunt Hebraei, quorum angustias comparat inundationi aquarum, et aestui solis. Jova autem fit refugium et umbra illis, ne deficerent oppressi. מָעוֹז esse *asylum*, pluribus exemplis ex Arabica dialecto comprobavit Driessen in *Observatt. Philologg. et Critt. ad quaedam V. T. loca*, Observ. X. ad Jes. XXX, 2. et cf. not. supra ad X, 31. כִּי רוּחַ עָרִיצִים כְּזֶרֶם קִיר *Nam flatus violentorum* est *sicut inundatio parietis*, i. e. in parietem irruens eumque dejiciens. Ante קִיר est ב vel עַל subaudiendum. Recte Jarchi: רוחם דומה לזרם השוטף בקיר ומפילו *flatus ebrum* (violentorum) *similis est inundationi, quae impetu suo in parietem irruit eumque prosternit.* Ludov. Cappellus קִיר *frigus hyememve* notare voluit, a קָרַר *friguit*, ut צִיר *dolor* a צָרַר deductum sit. Quod et Vitringae placuit, qui זֶרֶם קִיר per brumalem autumnalemve turbinem explicat, qualem Hesiodus *Oper. et D.* vs. 674, 676. ὄμβρον ὀπωρινὸν vocat. Bene quidem, si linguae analogiae patiatur, quae nomen צִיר non a צָרַר, sed a צוּר sive צִיר ejusdem stirpis verbo derivari jubet. קִיר ut aliis V. T. locis semper *parietem* notat, ita et hic veteres interpretes unanimi consensu eodem significatu ceperunt. Chaldaeus verba hebraea sic interpretatur: כֵּן מִלֵּי רַשִׁיעַיָּא לְצַדִּיקַיָּא כְּזַרְמִית מְיָא דְשַׁקְפָא בְכוֹתַל *ita* sunt *verba improborum justis sicut inundatio, quae irruit in murum.* Syrus: ܡܛܠ ܕܪܘܚܐ ܕܥܫܝܢܐ ܐܝܟ ܙܪܡܐ ܕܫܘܪܐ *propterea quod spiritus arrogantis*

tis est ſicut imber in parietem. Saadias: وَمَا رَأْيُ أَلظَّالِمِينَ أَلَّا كَسَيْلٍ سَطْحِ حَائِطٍ *et quid est conſilium improborum? nonne inſtar inundationis, qua* paries *proſternitur?* Hieronymus: *ſpiritus enim robuſtorum quaſi turbo impellens parietem.* Eodem modo Kocherus: „*tanquam inundatio parietis* ſive *maceriae*, ut ſi rapidus montano flumine torrens in objectam illiſus maceriam, quatiat eam, ſternatque." Cum tali igitur inundatione hic comparatur רוּחַ *ſpiritus violentorum* et ferocium hominum, h. e. כַּעַס, *ira* et *indignatio* eorum, ut Proverb. XXIX, 11. *Totum ſpiritum ſuum* רוּחוֹ *producit ſtultus*, irae videlicet compeſcendae impotens. Zach. VI, 8. *Qui egreſſi ſunt in terram Aquilonis quieſcere fecerunt ſpiritum meum*, רוּחִי, *in terra Aquilonis*, h. e. judicia mea exequendo ex voluntate mea, iram meam ſedarunt. Eccleſ. X, 4. *Si ſpiritus*, רוּחַ, *dominatoris aſcenderit ſuper* vel *contra te*, h. e. ira ejus in te exardeſcat.

5. כְּחֹרֶב בְּצָיוֹן שְׁאוֹן זָרִים תַּכְנִיעַ *Sicut aeſtum in arente ſolo* ſcil. umbra nubis minuere ſive reprimere ſolet, prout hemiſtichio altero explicatur, ita *tumultum peregrinorum humilias* l. deprimis. Minus commode Hieronymus: *ſicut aeſtus in ſiti, tumultum alienorum alienabis.* Simili modo haec Kimchi exponit: „quemadmodum ab aeſtu et calore in loco torrido non eſt hominibus effugium, ſic tu deprimis turbas exterorum illorum, adeo ut nullus iis ſit evadendi locus." Recte vero Chaldaeus: כְּשָׁרָב בְּאַרְעָא צַחְיָא אִתְרְגוּשַׁת תַּקִּיפִין תְּמָאִיךְ *ſicut aeſtum in terra arida*, ita *tumultum potentium deprimis.* חֹרֶב בְּצֵל עָב זְמִיר עָרִיצִים יַעֲנֶה Et ſicut *aeſtus per umbram denſae nubis*, ita *cantus violentorum deprimetur.* Disſentit iterum Hieronymus, qui haec verba ſic vertit: *et quaſi calore ſub*

nube torrente propaginem fortium marcescere facies. Ad quae in Commentario: „sicut propago gravissimo torretur aestu atque flaccescit, ita tumultum et clamorem alienorum marcescere facies et perire.“ Sed צֵל עָב perperam verti *nubem torrentem* quis non intelligat? Quod vero זְמִיר *propaginem* reddit in eo consentientem habet Hieronymus C. L. Hobeiselium, qui in *Observatt. philologico-exegett. in Jesaj.* p. 173. זְמִיר h. l. eadem qua Cant. II, 12. legitur significatione, *palmitis, propaginis*, capiendum vult, ut tyrannorum posteros deprimendos esse vates dicat. Verum ut taceamus, זָמִיר illo Cantici loco non *propaginem*, sed *tempus vitium amputandarum* significare; זְמִיר עָרִיצִים manifeste respondet שְׁאוֹן זָרִים תַּ hemistichio priori, ut indicetur ferocium et violentorum hominum laetus strepitus et jactantia de oppressione proborum. Est igitur זְמִיר idem quod זְמִירָה *cantio*, cujus pluralis exstat 2 Sam. XXIII, 1. Job. XXXV, 10. Ps. XCV, 2. יַעֲנֶה h. l. intransitive dicitur *debilitatur, deprimitur*, ut Ps. CXVI, 10. CXIX, 67. Zach. X, 2.

6. וְעָשָׂה יְהוָה לְכָל־הָעַמִּים בָּהָר הַזֶּה מִשְׁתֵּה שְׁמָנִים מִשְׁתֵּה שְׁמָרִים *Et faciet Jova omnibus populis in hoc monte convivium pinguium, convivium faecum.* Ad quae verba Grotius: „vindicta Dei saepe a prophetis convivio comparatur; quia et consumit hostes, ut cibi consumuntur, et Deo gaudium parit.“ In quo sequutus est nonnullos ex interpretibus Hebraeis, qui hoc comma acceperunt in deteriorem sensum, pro convivio funesto et lethali, quod convivis adferret exitium; permoti praecipue dictione שְׁמָרִים, quae quum *faeces* notet, de convivio laeto et lauto hic nullo modo posse sermonem esse putarunt. Praeterea contulerunt locum Ezech. XXXIX, 17. seqq., ubi memoratur epulum, quod Deus ex mactatis a se pararet. Cujus loci tamen ratio est

est plane alia ac nostri. Neque enim in monte Zionis, nec in usum populorum, ut hic, sed in montibus Israelis, et in usum avium rapacium, quae solenniter invitantur ad edendum carnem et bibendum sanguinem principum terrae, heroum, militum, Ezechiel Deum epulum parare dicit. Nec magis cum hoc loco convenit Obad. vs. 16., ubi dicitur *propinandum esse populis poculum vini letiferi*, *poculum irae Dei*, aut Zach. XII, 2., ubi vates *Hierosolymam* redditum iri dicit *pelvim vertiginis omnibus populis circumquaque.* Hoc vero loco Jesajano מִשְׁתֵּה שְׁמָנִים *convivium pinguium* nonnisi in partem meliorem pro convivio laeto, jucundo sumi potest. Sic infra LV, 2. *Me audite, comedite bonum, et deliciabitur in opimo anima vestra.* Poeta Ps. XXXVI, 9. sortem describens piorum: *Saturantur opimis domus tuae, et torrente deliciarum tuarum potas illos.* Et Ps. LXIII, 6. *Tanquam adipe et opimitate saturaretur anima mea.* Accedit quod quae versu proximo sequuntur de *velo removendo a facie omnium populorum*, et de *lachrymis detergendis de omnibus faciebus*, nec non de *morte absorbenda in perpetuum*, nonnisi in meliorem partem accipi queant. Et sic quoque pericopam hanc accepit Graecus Alexandrinus interpres, licet versione imperfecta, quae cum hebraeis aegre conciliatur, cujus sententiam tamen satis declarant haec extrema: ἐπὶ τὸ ὄρος τοῦτο πίονται εὐφροσύνην, πίονται οἶνον. Recte Vogel ad Grotium: „Versu 6. et 7. amicitiam describit, quam omnes exteri populi, qui antea hostes Judaeorum fuerunt, cum iis jam colerent. Convivii imago, qua usus est propheta, non ad vindictam Dei indicandam hic adhibita esse videtur, sed quod gentes, quae Hierosolymam venirent, admodum honorifice a Deo exciperentur, eorumque caussa lautissimae epulae celebrarentur.“ Similiter Doederlein: „Inter victoriae pacisque festivitates non ultimae erant epulae,

Hic ob victoriae magnitudinem lautiſſimas promittit." Et Dathius: „in deſcriptione mirae adeo liberationis convivia etiam commemoranda, quae pro beneficii magnitudine debent eſſe lautiſſima." Alludit vates ad morem regum et imperatorum, qui in ſolennitatibus, et inprimis poſt reportatam victoriam de hoſte, populo epulum praebere ſolebant. Sic Davides, collocata arca ſacra in tabernaculo, non tantum plura peregit ſacrificia, verum etiam partitus eſt in omnes Iſraelitas viritim ſingulos panes offasque, uti narratur 1 Chron. XVI, 1—3. Receptiſſima erat haec conſuetudo Graecis, de quibus plura exempla profert Athenaeus L. I. Cap. 3., ac maxime Romanis, ut exemplum eſt luculentum in famoſo illo epulo liberalitate Pauli Aemilii Graeciae populis dato poſt Perſeum victum. Vid. Stuckii *Antiquitt. convival.* L. I. C. 21. p. 94. ed. Amſtel. 1695. Quod nomine מִשְׁתֵּה Kimchius hic *potationem* tantum intelligit, eſt praeter uſum illius, licet a שָׁתָה *bibit* ἐτυμολογικῶς hanc ſignificationem ferre queat. Sed uti Graecis πότος et συμπόσιον, ita et Hebraeis מִשְׁתֶּה de *epulo* uſurpatur, vid. Eſth. I, 3. II, 18. VIII, 17. לְכָל־הָעַמִּים *Omnibus populis*, antea alienis a foedere cum populo Jovae peculiari, et emolumentis atque beneficiis, quibus ille fruebatur. בָּהָר הַזֶּה *In hoc monte*, Zione, puta, monte ſancto, ubi focus et ignis praeſensque numen, cujus in honorem ſacrificia fiebant, poſt quae habebantur convivia. שְׁמָנִים *Pinguia*, non videtur intelligendum de rebus pinguibus, ſtricte ſi dictis, oleo, aut adipe. Primario quidem Hebraeis uſurpatur de pinguedine animalium; unde ad alias res translatum notat omne genus opipara et lauta. Sic מִשְׁמַנֵּי הָאָרֶץ *opimior*, affluens rebus omnibus *terra*; Geneſ. XXVII, 28. 39. Neque vero שֶׁמֶן ſingulari numero, quod *oleum* eſt, ſed שְׁמָנִים dixit propheta. Quo nomine oleum, vinum et ſimilam intelligunt Judaei, in Miſchna, Tractatu *Schecalim*,

ealim, IV, 3., unde conclave in atrio mulierum, ubi hae res servabantur, vocari solebat לשכה בית שמנים, *Middoth*, II, 5., aves praeterea et quae titulo τῶν מנכות נסכים *detractorum a libaminibus* altari cedebant, *Schecalim*, IV, 8., verbo, omnia, quae palato respondent, et grati sunt saporis. Romano more *matteas*, sive, ut alii, *mattyas*, diceres. Vide Sueton. *Calig.* Cap. XXXVIII. Athenaeus *Deiponos.* Lib. XIV. *ματτύη πᾶν τὸ πολυτελὲς ἔδεσμα.* Graeci id genus eduliorum vocabant *κίμμα*, vid. Aeliani *Varr. Hist.* Lib. III, c. 20. Τοῖς שְׁמָנִים respondent in hemistichio altero שְׁמָנִים מְמֻחָיִם *Pinguedines medullatae*, h. e optimae, acceptae e medullis, quae ossibus exemtae. Est Participium formae *Pyhal*, ortum a מָחָה vel מָחִי, itaque (quum מָחָה, ut קָלַל et קָלָה idem valent, similiter eandem vim habeat cum מָחַח, collato Arabico مخّ in II. مخّخ *emedullavit os*, unde מֵחִ Esaj. V, 17. et מֹחַ Job. XXI, 24.) tertiam Jod retinuit. Vid. Storrii *Observatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* §. XXXIX. II) 4) a) p. 221. not. De שְׁמָרִים et שְׁמָרִים מְזֻקָּקִים interpretes dissentiunt. Alii enim significari putant vinum forte, quod residet in suis faecibus, et probe retinet saporem suum, et odorem (conf. Jerem. XLVIII, 11.); alii vinum antiquissimum, et diu custoditum, quae vis est etymi שָׁמַר, alii vinum quoddam fortissimum et adustum. Sam. Ravius in *Diatribe de epulo funebri gentibus dando ad Jes.* Cap. XXV, 6. 7. 8. Traj. ad Rhen. 1747. p. 23. seqq. multum operae impendit, ut demonstraret, שְׁמָרִים esse *genus potulenti*, *quale ex vinaceis*, i. e. iis, quae remanent in uvis quando premuntur, quibus aqua addita esset, apud Hebraeos vicinasque gentes confieri mos fuisset. Sed parum credibile est, vatem in descriptione lautissimi convivii potionis tam vilis mentionem fecisse. J. D. Michaelis in *Supplemm. ad Lex. Hebr.* P. II.

p.

p. 642. vertit: *convivium* (מִשְׁתֵּה repetens ἀπὸ τοῦ κοινοῦ) *amphorarum effusarum*, i. e. vini prodigum. Scilicet verbo זָקַק tribuit *effundendi* notionem, conferendo Arabum زِقّ, Syrorum ܙܩܐ, Chald. זִיקָא *utrem*, *amphoramque* significans, שְׁמָרִים vero *utres aliaque vasa* esse, *in quibus vinum asservatur* contendit (*Supplemm.* p. 2336.), argumento nullo alio motus, quam quod verbum שָׁמַר *custodire*, *servare* notet, unde Chald. et Rabb. מְשַׁמֶּרֶת est *reconditorium*, *in quo aliquid asservatur.* Verum in hac utriusque vocis interpretatione linguae usum repugnantem habet Michaelis. Nam primo quod adtinet שְׁמָרִים, *amphorae* notio plane inepta est locis Jerem. XLVIII, 11. Ps. LXXV, 9. Zeph. I, 12., *faecium* vero significatio non aptissima modo, verum etiam necessaria. Praeterea in dialecto tam Chaldaica quam Rabbinica שְׁמָרִים frequentissime *faeces* notat, et מְשַׁמֶּרֶת *saccum colatorium*, *per quem vinum turbidum et faecatum colatur*; vid. Buxtorfii *Lexic. Chald.* p. 2454. Verbum זָקַק vero in libris Hebraicis proprie usurpatur de metallis, auro et argento, quae purificantur in fornace Job. XXVIII, 1. 1 Chron. XXVIII, 18. XXIX, 4., unde translatum ad liquida, quae purgantur ope coli et sacci colatorii. Maneat igitur *convivium faecum saccatarum*, sive *percolatarum*. *Saccari* Latinis veteribus dicitur liquor, *qui per saccum transmittitur*; quod quidem proprie non convenit *faecibus*, quae in sacco residunt, sed *vino*, purganduo a faecibus. שְׁמָרִים igitur hic ponitur pro יֵין שְׁמָרִים *vinum faecum*; quemadmodum מוֹעֵד *solennitas* dicitur pro *sacrificiis solennitatis*, 2 Chron. XXX, 22.; עִוְרִים *caeci*, pro *caecorum oculis*, Ps. CXLVI, 8., vid. Glassii *Phil. S.* L. I. Tract. I. Can. XXXIX. p. 122. ed. Dathii. Fiebat illa vini defaecatio, uti diximus, colo aut sacco; unde σακκίας οἶνος ὁ διυλισμένος, apud Pollucem *Onomast.* Lib. VI,

c. 2., et *οἶνος σακκιζόμενος*, nec non *διηθικὸς*, THEOPHRASTO *de Cauſſ. Plantar.* Lib. VI, 9. 24. Per vinum autem hoc modo percolatum et defaecatum idem erit intelligendum, quod HERODOTUS Lib. I. c. 207. *οἶνον ἄκρητον* appellat, quod vinum *merum*, ſive *meracum*, quale primum bibebatur *μήπω τῆς τοῦ ὕδατος κράσεως εὑρημένης*, ut DIODORUS dicit *Bibl.* Lib. III. p. 149. ed. Rhodom., opponitur *vino*, aqua miſceri ſolito, qui mos, ut ſatis notum, ex Heſiodi etiam praecepto, *Op.* et *D.* vs. 596., veteribus paſſim fuit receptus. AELIANUS de Cleomene, *Varr. Hiſtorr.* Lib. II. Cap. XLI. *Ἀλλὰ γὰρ προστιθέασιν αὐτῷ καὶ τοῦτο δήπου τὸ Σκυθικὸν κακὸν, ὅτι ἀκρατοπότης ἐγένετο*, *verum adſcribunt illi etiam hoc Scythicum malum, vinum merum bibiſſe.* Imo fere in epulis, quae ad perfectam laetitiam inſtruuntur, *merum* bibitur, et ponitur in parte felicitatis, *mero* uti poſſe, ut liquet ex ode Moſaica, Deut. XXXII, 14. וְדַם־עֵנָב תִּשְׁתֶּה־חָמֶר *et ſanguinem uvarum potas merum.*

7. וּבִלַּע בָּהָר הַזֶּה פְּנֵי־הַלּוֹט הַלּוֹט עַל־כָּל־הָעַמִּים וְהַמַּסֵּכָה הַנְּסוּכָה עַל־כָּל־הַגּוֹיִם *Et abolebit in monte hoc ſpeciem operimenti operientis omnes populos, et velamen expanſum ſuper omnes gentes.* Imago petita a luctu Hebraeorum, qui tum faciem obvelare ſolebant, vid. 2 Sam. XV, 30. XIX, 5. Eſth. VI, 12. Quodſi jam amovetur vultus tegumentum, abeſt luctus materia. Dicit igitur: nemo amplius faciem obvelabit luctui indulgens; laeta et proſpera omnia evenient. Alii *operimento faciei* indicari exiſtimant ignorantiam et ſuperſtitionem, quae gentium mentes obvelabat quaſi, velamen illud (*κάλυμμα*) cordi obductum, de quo Paulus 2 Cor. III, 13. 14., a gentibus aeque ac Judaeis per Meſſiam amovendum. וּבִלַּע *Abſorbebit*, i. e. abolebit, removebit, ut ſupra XIX, 3. Nomen לוֹט a לוּט *obvolvere* (1 Sam. XXI, 10. 1 Reg. XIX, 13. notat כסוי (qua voce Jarchius

h,

h. l. in Commentario utitur) *tegmen*, quod Graecis dicitur ἔλυτρον, ab ἐλύσσω *involvo*, *obvolvo*. Sed repetitum הַלּוֹט quomodo grammatice accipiendum sit, ambigitur. Sunt qui habeant pro Participio passivo formae Cal, ut notet *obductum* sive impositum omnibus gentibus, ut sit הַלּוֹט pro הָלוּט, alii pro Participio activo, ut sit *operiens*, *obvelans*. Non pauci capiunt pro nomine, vertuntque verba: *operimenti*, *operimenti*, inquam. Glassius *Philol. S.* p. 16. ed. Dath. censet, geminationem substantivi significare posse *multitudinem*, ut sensus sit: *abolebit* Deus *in monte hoc faciem omnium involucrorum*, sive *cujuscunque involucri*. Verum ubi geminatio substantivorum multitudinem significat, substantiva usurpantur in Plurali, ut ratio suadet, et ex aliis hujus generis exemplis ibidem adductis liquet. Verior videtur sententia, quae posterius הַלּוֹט accipit pro Participio *activo*, quod in quiescentibus media radicali quoque admittit Cholem. Ita et Buxtorfius *in Thes. Grammat.* L. I. Cap. XXXVI. Phrasin פְּנֵי הַלּוֹט *facies tegumenti* sunt qui simpliciter notare existiment *tegumentum*, ut *facies Dei* pro Deo ipso, *facies terrae* pro terra ipsa dicitur. Alii *faciem tegminis* capiunt pro *tegmine faciei*, per hypallagen, quae tamen hic durior videtur. Quum Hebraei rerum quarumvis partem nobis obversam, obversaeque rei speciem פָּנִים dicere soleant, nec velamini, quod faciei injicitur, suum פָּנִים, pro lato vocis usu, deerit, maxime si subtili se textu cuti molliter applicans ipsam quasi faciei formam repraesentet. Dictioni פְּנֵי־הַלּוֹט הַלּוֹט in hemistichio altero respondet הַמַּסֵּכָה הַנְּסוּכָה. Utraque vox referenda est ad verbum נָסַךְ, quod licet in V. T. frequenter *fundendi*, *libandi* significatu legatur, non est tamen dubium, quin praeter eam et *tegendi*, *velandi* notionem obtinuerit, quam habet cognatum סָכַךְ. Pro *tegumento* מַסֵּכָה et infra XXVIII, 20. sumitur,

tur, ut igitur minime opus sit cum Cappello hic מַסֵּכָה legere, ut Ezech. XXVIII, 13. Chaldaeus hunc versum ita exponit: וְיִסְתַּלְעֲמוּן בְּטוּרָא הָדֵין אַפֵּי רַבָּא דְּרַב עַל כָּל עַמְמַיָּא וְאַפֵּי מַלְכָּא דְשַׁלִּיט עַל כָּל מַלְכְוָתָא *Et absorbebitur in monte hoc facies principis, qui dominatur omnibus populis, et facies regis, qui imperat omnibus regnis.* Eodem modo Syrus et Symmachus. Jarchius quoque ad vocem מַסֵּכָה adscripsit לשון נסיכות ושררה *significatu unctionis et imperii.* Videlicet verbum נָסַךְ Ps. II, 6. de *unctione regis* dicitur, unde נְסִיכִים sunt *principes* Jos. XIII, 21. Ps. LXXXIII, 12. Qua ratione verum nomini לוֹט *regis* significatus vindicari possit, difficile dictu. Nisi forte cum Vitringa sumas, Chaldaeum principem potentem comparari hic putasse *velamini*, quod ejus potentia infimiores quasi obtegantur, et sub qua securi lateant.

8. בִּלַּע הַמָּוֶת לָנֶצַח *Absorbebit*, abolebit Jova *mortem in perpetuum.* Chaldaeus: יִתְנְשׁוּן מוֹתָא לְעָלְמִין *oblivioni tradetur mors in aeternum.* Aquila לָנֶצַח reddit εἰς νῖκος *in victoriam*, e Chaldaico vocis significatu, quem et Apostolus 1 Cor. XV, 55. sequutus est. Syrus utrumque conjunxit: ܐܬܒܠܥ ܡܘܬܐ ܒܙܟܘ ܠܥܠܡܝܢ *et absorptus est mors per victoriam in sempiternum.* Symmachus: εἰς τέλος, *in finem*, i. e. perfecte, ut nullus amplius ejus effectus supersit. Sensum expressit; nam לָנֶצַח proprie *in sempiternum* notare non est dubium. Sic infra XXXIV, 10. de Edomo igne destruenda dicitur, לְנֵצַח נְצָחִים *in perpetuum perpetuitatum nemo per eam transibit.* *Morte* h. l. significantur bella ac mutuae caedes, quibus miseri mortales invicem grassantur; eae felicissimo illo aevo plane cessabunt. וּמָחָה אֲדֹנָי דִּמְעָה מֵעַל כָּל־פָּנִים *Et abstergat Dominus lacrymam ab omnibus faciebus*, omnis tristitiae materia abolebitur. וְחֶרְפַּת עַמּוֹ יָסִיר מֵעַל כָּל־הָאָרֶץ *Et*

Et opprobrium populi sui auferet de universa terra, Jovae cultores, ubicunque terrarum fuerint, non amplius male habebuntur et opprimentur ab insolentibus et violentis. Hunc locum imitatus est Joannes Apoc. VII, 16. 17. XXI, 4.

9. Quoniam אָמַר Alexandrinus in Plurali vertit ἐροῦσι, Syrus ܢܐܡܪܘܢ, Lowthus illum וְאָמְרוּ, hunc וְאָמְרָה legisse pronunciat. Sed bene Kocherus: „Quis est, qui nesciat, וְאָמַר idem dicere ac וְאָמְרוּ *dicet quisque, dicetur, man wird sagen.*"

10. כִּי תָנוּחַ יַד יְהוָֹה בָּהָר הַזֶּה *Nam requiescet manus Jovae in monte hoc*, i. e. Jova montem Zionem, i. e. populum Zionis ejusque res publicas, dehinc sua potentia (eam enim in V. T. libris saepissime per *manum* indicari, notum est) et providentia in longum tempus et perenniter proteget. Populo suo usque praesens Deus aderit, potenti manu illum tutaturus et vindicaturus. Pro תָנוּחַ Woide, referente Lowthio, תָּנִיחַ legendum conjecit, *quietem dabit*, auctore Alexandrino, qui ἀνάπαυσιν δώσει vertit. Quam conjecturam tamen nullus codicum adhuc collatorum confirmat. וְנָדוֹשׁ מוֹאָב תַּחְתָּיו *Et triturabitur Moab subter se. Tritura* hic notat violentam hostium subactionem, fracturam et comminutionem, similitudine scriptoribus sacris non insolita; veluti 2 Regg. XIII, 7. Rex Syriae illos perdiderat, וַיְשִׂמֵם כֶּעָפָר לָדוּשׁ *et triturando posuerat eos ut pulverem.* Per מוֹאָב non *Moabitae* soli hic intelligendi, sed reliqui vicini, qui antea hostes Judaeorum fuerunt, simul. *Moabitae* hic ut pars pro toto positi sunt. תַּחְתָּיו, propr. *subter se*, i. e. בְּאַתְרֵיהוֹן *in loco suo*, ut Chaldaeus vertit, h. e. in ipsa terra Moabitica, ut sensus sit, Jovam non tantum terram Canaanaeam ab hostibus esse purgaturum, eamque adversus hostes protecturum; sed

sed in ipsa etiam hostium terra visitaturum esse ipsos eosque subacturum. Esse hanc significationem maxime frequentem vocis constructae תַּחַת־ד, patet ex exemplis bene multis, a Coccejo in Lexico adductis. כְּהִדּוּשׁ מַתְבֵּן בְּמוֹ מַדְמֵנָה. *Ut conteritur palea in fimeto.* Hieronymus: *sicut tenuntur paleae in plaustro.* Debuisset scribere: *sicut teruntur paleae plaustro;* sed imitari voluit Graecum Alexandrinum, qui habet ἐν ἁμάξαις. Sensum enim dat verbis: „ut solent plaustro paleae conteri;“ adscribitque ad interpretationem commendandam: „Hoc juxta ritum loquitur Palaestinae, et multarum Orientis provinciarum, quae ob pratorum et foeni penuriam paleas praeparant esui animantium. Sunt autem carpenta ferrata rotis per medium in serrarum (Grotius exhibet: sarracorum) modum se volventibus, quae stipulam conterunt et comminuunt in paleas.“ Egregie vero, modo ulla arte ex מַדְמֵנָה *plaustrum* elici posset, quod quidem quum duce philologia fieri nequeat, suspicati sunt nonnulli, aliter Alexandrinum legisse, ut מֶרְכָּבָה, sed quod recte damnat Clericus, monens, hanc vocem non de plaustro triturantium poni, sed de *curru*, quo vehimur: ipse quidem מַעְגָּלָה conjicit, sed et hoc nimis a מַדְמֵנָה differt, quam ut alterum ex altero lapsu consistere librariorum potuerit. Verisimilior est sententia Michaelis in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* P. II. p. 451., interpretes illos putasse, *plaustra* a אֹמֶן, *festuca* dici, quod stramen comminuant, festucamque faciant. *Lutum* vertunt Symmachus et Chaldaeus, ille ὡς πηλὸν, hic טִינָא. Quod ad seriem orationis haud male quadrat. Lutum cum stramine calcatur ad tegulas conficiendas, adfunditur et inter calcandum aqua, unde Chethib, בְּמֵי מַדְמֵנָה, egregie aptum. Sed uno destituimur etymo; nisi forte, ut lutum Hebraei alias pro coeno ponunt (טִיט), ita hic vicissim lutum a coeno ipsoque adeo stercore nomen accepisse dicas. Alii מַדְמֵנָה hic accipiunt

pro nomine *urbis Moabiticae*, quae dicitur מַדְמֵן, Jerem. XLVIII, 2. Veluti Hubigantius, qui ad haec verba habet: „בְּמֵי מַדְמֵנָה *in aquis Medemnae*, quae sita erat in meridie Judae, non longe a regione Moab. Vult Masora, במי fiat praepositio במו; itaque multi interpretantur, *in fimo*, vel, *in luto*. Verum non capit sententiam talem similitudo, quae mox sequitur, natatoris; neque enim natant homines in *fimo*, vel in *luto*. Natatores illi aguntur, qui mediis in aquis paleas frangunt ac subigunt, unde conficiantur lateres. Credibile est, aquas Medemnae habitas fuisse in eum usum ceteris aquis commodiores.“ Quae interpretatio nimis artificiosa videtur; nec, quod Hubigantius ad eam commendandam de similitudine vs. sequ. dicit, me movet, ut illam comprobem; nam in commate sequenti instituitur similitudo nova et plane diversa a nostra. J. D. Michaelis l. c.: „دمن non solum *stercus* est, sed et aliae *quisquiliae*, maxime, *festucae a flumine delatae*. Quid ergo, si מַדְמֵנָה *scrobem* intelligamus, in qua stramen comminutum (תֶּבֶן) cum aqua calcatur limoque misceatur?“ Hinc in versione teutonica hunc versum ita reddit: *Denn Jehova wird, seine Hand auf diesen Berg gelehnt, die Leimgrube treten, die unter seinen Füssen ist, so wie man das kleingeschnittene Stroh mit Wasser gemenget, in einer Grube zertritt.* Nulla tamen est causa, cur vulgarem interpretationem vocis מַדְמֵנָה *fimetum*, repudiemus; quum Arabicum دمن et Hebraicum דֹּמֶן haud dubie *fimum*, *stercus* significet; et apta fit sententia: Moabitae, i. e. hostes Israelitarum, conculcabuntur, sicut stramen in aqua fimeti conculcari solet a jumentis. Pro בְּמֵי מַדְמֵנָה *in aquis fimeti* in margine legitur בְּמוֹ מַדְמֵנָה *in fimeto*, sensu nil differente. Eadem scripturae diversitas est Job. IX, 30., ubi in textu est

est בְּמוֹ שָׁלֶג *in nive*, ad marginem בְּמֵי שָׁלֶג *in aquis nivis.*

11. וּפֵרַשׂ יָדָיו בְּקִרְבּוֹ כַּאֲשֶׁר יְפָרֵשׂ הַשֹּׂחֶה לִשְׂחוֹת *Et expandet* Jova *manus ſuas in medio ejus*, Moabi, *quemadmodum expandit natator ad natandum.* Siſtitur Deus ut natator, qui manus ſuas protendit, et dum neceſſe habet, illas magno niſu quam latiſſime expandere, obvia, quae ſibi impedimento eſſe poſſent, vi removet ac repellit. Senſus, demta imagine, eſt, Jovam in Moabitas, quam late terra eorum pateat, ſeveriſſimas poenas eſſe exerciturum. Eundem ſenſum et in verſione expreſſit Doederlein: *Imo tam late ſuper eos expanſis manibus, quam natatores tendunt palmas, ſuperbiam eorum deprimet;* ad quae in nota: „Sicut natatores ſolent fluctus (גַּאֲוַת גַּלִּים Pſ. XLVI, 4.) manibus ſubigere, ſic Deus feroces Moabitas opprimet.“ Chaldaeus: וְיִפְרוֹס מָחַת גְּבוּרְתֵּיהּ בֵּינֵיהוֹן כְּמָא דְמִפְרִיס שַׁיָּטָא לְמִשְׁט *et expandet plagam potentiae ſuae inter eos, ſicut extendit ſe natans ad natandum.* וְהִשְׁפִּיל גַּאֲוָתוֹ עִם אָרְבּוֹת יָדָיו *Et deprimet faſtum ejus una cum articulis manuum ejus.* Phraſin עִם אָרְבּוֹת יָדָיו veteres et recentiores varie exponunt. Graecus Alexandrinus: ἐφ᾽ ἃ τὰς χεῖρας ἐπέβαλε, non expreſſo אָרְבּוֹת. Hieronymus: *cum alliſione manuum ejus.* Syrus: ܥܡ ܦܘܫܛܐ ܕܐܝ̈ܕܘܗܝ *cum extenſione manuum ejus.* Videtur pro אָרְבּוֹת legiſſe אָרְכוֹת (per *Caph*), ab אָרַךְ *longus fuit.* Chaldaeus: עִם אַשְׁוָתִין יְדוֹהִי, quae in Bibliis Polyglottis perperam reddita ſunt: *cum impoſitione manuum ejus*, quum potius ſonent: *cum fundamentis manuum ejus*, i. e. omni robore et viribus. Vel, ut Jarchi, qui vocem אָרְבּוֹת *inſidias* exponit, a verbo אָרַב Deut. XIX, 11., Chaldaei interpretis mentem explicat, מקום שהוא שם לו ידים לארוב והם מגדלים גבוהים אשונת חומות

חומות ומגדלים כמו נָפְלוּ אָשְׁיוֹתֶיהָ *locus* (scil. est אָשְׁוָא) *ubi quis sibi ponit manus* (i. e. copias militares) *ad insidiandum; sunt itaque* אָשְׁוֹת *turres excelsae et muri*, ut *Jerem.* L, 15. Ab *insidiandi* significatu, quem verbum אָרַב obtinet, vertit et Saadias: مُخَاتَلَةُ أَيْدِيهِمْ *insidias manuum illorum.* Parum apte. Kimchius אַרְבּוֹת יָדָיו idem esse putat quod אַצִּילֵי יָדַיִם *axillas manuum* (Ezech. XIII, 18), i. e. brachiorum. Quod sequutus Coccejus verba עִם אָרְבּוֹת יָדָיו connectit cum פֵּרַשׂ initio versus, hoc sensu: *expandet manus suas una cum axillis manuum suarum.* Quod quam incommode dictum sit, quisque ipse intelligit. Sunt, qui collato Arabico أَرْبٌ *index digitus* (unde أَرَبَ *ad digitum indicem percussit*) vertant: *deprimet fastum ejus una cum digitis indicibus manuum ejus*, quibus proterve populo Hebraico illusit, ut infra LVIII, 9. *Si e medio tui abstuleris*, i. e. desieris שְׁלַח אֶצְבַּע *emittere digitum*, i. e. illudere probis, *et loqui vanum.* Illusisse Moabitas Hebraeis patet ex his Jeremiae in vaticinio in illos XLVIII, 27. וְאִם לוֹא הַשְּׂחֹק הָיָה לְךָ יִשְׂרָאֵל *Nonne deridiculum fuit tibi*, o Moab, *Israel?* Malim tamen, collato Arabico إِرْبٌ *membrum, artus*, אָרְבּוֹת יָדָיו *articulos manuum* intelligere, in quibus manuum vis et robur consistit, qui dicuntur hic *deprimendi*, i. e. debilitandi et enervandi. Phrasin أَرِبَتْ أَعْضَاؤُهُ, quae idem valeat atque تَسَاقَطَتْ أَعْضَاؤُهُ *conciderunt membra ejus*, i. e. enervata fuerunt et languida, praesertim *manus*, pro qua et dicatur أَرِبْتَ مِنْ يَدَيْكَ pro: *ad inopiam redactus fuisti*, legitur in Golii *Lex. Arab.* p. 62. Ab *adstringendi* significatu, quem praeter alios

alios Arabicum أرب habet, J. A. Tingstadius in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* p. 67. dictionem אָרְבּוֹת יָדָיו exponit *adstrictiones manuum*. „Planissima simul," inquit, „ac elegantissima sese in dictione Esajana prodit oppositio inter *expansionem* et *adstrictionem* manus divinae. Nempe quemadmodum stilo Orientis *expansio manus* liberalitatem, et munificentiam venuste pingit (vid. *Tograi* Carm. vs. 8., coll. Proverb. XXXI, 20. Jesaj. LXV, 2.); ita *adstrictio manus* oppositam retractionis gratiae et severioris punitionis imaginem describit. Unde haud obscurus emergit sensus effati prophetici: *liberale et munificum in illum* (montem Zionem), *sese praebebit summum* Numen, absque clementia autem hunc (Moabum, synecdochice dictum vs. praeced. pro gentibus idololatricis) *deprimet*." Quae interpretatio vel ideo locum habere nequit, quod vocula עִם notionem *conjunctionis*, *societatis*, non vero causae instrumentalis obtinet. J. D. Michaelis in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* P. I. p. 124. et in *Biblioth. Orient. Adpend.* Tom. XIV. p. 62. legere mallet: עַם אָרְבּוֹת יָדָיו *populum insidiarum manuum ejus*, i. e. cui manus Dei insidiantur. Quae conjectura jam proposita erat a Forerio, quamquam alio sensu accepta: „Quod si puncta, inquit, negligas, ut interdum opus est, alius sensus his verbis subesse potest, a superioribus longe diversus, sed non propterea contemnendus; is sic habet: *et humiliabit superbiam ejus populus insidiarum manuum ejus*, i. e. populus, qui hactenus insidiis Moabitarum erat expositus, nempe Israelitae; עַם enim certum est, *populum* significare, cum altera motione [i. e. cum alia Vocali]."

12. וּמִבְצַר מִשְׂגַּב חוֹמֹתֶיךָ הֵשַׁח *Et munitionem sublimitatis murorum tuorum* i. e. *munimenta murorum tuorum sublimium*, ut Hieronymus vertit, *deprimet*. Si de Moabo continuetur sermo, alludere videtur va-

vates ad Hesbuntem, munitissimam Moabitarum urbem, de qua vid. supra ad XV, 4 Propensior tamen sum ad hanc sententiam, loqui vatem hic de eadem urbe munita, de cujus destructione supra vs 2. loquutus fuerat, quam tamen vidimus esse *collective* de unaquaque urbe munita intelligendam. Pro חוֹמֹתֶיךָ legitur חֹמֹתַיִךְ. cum suffixo feminino, in duobus codd. Rossianis, et duobus aliis, ab eodem citatis, a prima manu, porro in Bibliis Soncinensibus. et in versione Syriaca. Si lectionem receptam praeferas, subaudiendum tibi erit nomen עַם *populus*, si alteram, אֶרֶץ *terra*. Pertinet huc observatio Kimchii ad Jerem. III, 19., ubi in textu legitur תִּקְרָאִי et תָשׁוּבִי, quod Masorethae ad marginem correxerunt תִּקְרְאִי et תָשׁוּבִי. Recte enim monet, utramque scripturam subsistere posse; alteram, subintellecta voce עַם *populus*; alteram, si dictum accipias de כְּנֶסֶת *societate*, sive *coetu*, qui Hebraeis debiliore genere effertur. הִגִּיעַ לָאָרֶץ עַד־עָפָר *Attingere faciet* (munitionem) *terram usque ad pulverem*, i. e. efficiet, ut munimenta illa sublimia concidant, pulverique misceantur, quod fit, quando expugnatae urbis murus solo aequatur.

CAP. XXV. 1. *Jova, Deus mi, o Tu, extollam te, celebrabo nomen tuum! Mira enim fecisti, et quae inde a longissimo tempore decreveras, summa fide perfecisti.*

2. *Nam fecisti ex urbe tumulum, urbem munitam in ruinam redegisti; palatia barbarorum* (eo redegisti), *ut amplius non efficiant urbem; numquam restaurabuntur.*

3. *Te igitur potentes venerantur populi, te civitates gentium ferocium colunt.*

4. *Etenim asylum fuisti tenui, asylum egeno, cum in angustiis versaretur, perfugium ab imbre, umbra ab*

ab aestu; nam furor violentorum hominum est sicut inundatio in parietem irruens.

5. *Instar aestus in loco torrido tu tumultum barbarorum deprimis; sicut aestus per umbram densae nubis, ita cantilena violentorum hominum cessabit.*

6. *Parabit Jova, agminum Deus, omnibus gentibus in hoc monte convivium pinguium, convivium vini meri, pinguium medullatorum, vini purissimi.*

7. *Abolebit in monte hoc faciem tegminis, obtegentis omnes populos, et velamen impositum omnibus gentibus.*

8. *Abolebit mortem in aeternum, absterget Dominus Jova lacrymas ab omnibus faciebus, et ignominiam populi sui per orbem terrarum delebit. Nam Jova haec fatur.*

9. *Et dicetur illo die: En Deum nostrum, hic est, in quo speravimus, et qui nos liberavit; hic est Jova, cui confisi sumus; laetamur et gaudemus de salute, quam nobis praestitit.*

10. *Quippe requiescet manus Jovae in hoc monte; et triturabitur Moab subter se, ut conteritur palea in fimeto.*

11. *Et expandet manus suas in medio ejus quemadmodum expandit natator ad natandum; et deprimet fastum ejus, una cum articulis manuum ejus.*

12. *Alta moenium tuorum munimenta prosternet, destruet, facietque ut terram tangat, ad pulverem usque.*

Cap. XXVI.

Sequitur alter piorum hymnus, quo celebrant opem divinae gratiae, quam in aestu gravissimae afflictionis experti fuerant, sui praedicant status felicitatem, se mu-

mutuo exhortantur ad fiduciam in Jova ponendam, et praecipue, oratione ad Deum converſa, judiciorum ejus aequitatem et juſtitiam laudibus efferunt. Subjectus eſt (vs. 20. 21.) epilogus prophetae argumento hymni congruens. Illuſtravit hunc hymnum J. C. Velthusen in Programmate Helmſtadii anno 1778 edito, quod repetitum eſt in *Commentationibus Theologg.* Vol. I. p. 28 ſeqq.

1. Prius hujus verſus hemiſtichium, בַּיּוֹם הַהוּא יוּשַׁר הַשִּׁיר הַזֶּה בְּאֶרֶץ יְהוּדָה, Lowthus, neglectis accentibus, conjunxit cum primis poſterioris hemiſtichii verbis, עִיר עָז־לָנוּ, et ſic vertit: *tunc canetur canticum hoc: in terra Judae urbs munita nobis etc.* pro: *tunc canetur canticum hoc in terra Judae: urbs munita nobis etc.* Chaldaeus pro שִׁיר הַזֶּה poſuit תּוּשְׁבַּחְתָּא חַדְתָּא *canticum novum,* imitatus phraſin שִׁיר חָדָשׁ, de qua vid. not. ad Pſ. XXXIII, 3. Quum in fine capitis praecedentis dictum eſſet, munitiones hoſtium altas atque firmas eſſe dejiciendas et humiliandas; jam oſtendunt pii ab hoſtibus liberati, ſibi longe praeſtantiora munimenta eſſe, quibus confidere queant. Deum ipſum enim, ajunt, defenſorem ſibi eſſe loco urbis munitae, ad omnem hoſtium impetum arcendum probe munitae. Nec tamen ipſum *Jovae* nomen exprimit, ut nec infra vs. 3., ubi directe Deum compellat. Eſt enim elegantiae poëticae, rem aut perſonam, de qua agitur, ſi ex attributis ſuis, aut orationis nexu cognoſci poſſit, mente *cogitatam*, ipſam *nominatim* non exprimere; vid. e. c. Pſ. LXXXVII, 1. 2 Sam. I, 25. et cf. Vitringae *Obſervatt. SS.* L. I. Diſſert. III. Cap. I. §. V. Ita et hoc loco vates Jovae nomen tacet, quo innuit, non tantum perſonam, de qua loquitur, eſſe notiſſimam vel ex iis ipſis, quae ipſi hic vindicat; ſed ſe quoque adeo Dei plenum eſſe, ut velut in ecſtaſin raptus, pro certo habeat, alios non minus ac

ſe

se de hoc Deo Jova unice cogitare. עִיר עָז־לָנוּ *Urbs roboris nobis* est scil. Jova, habemus urbem probe munitam in Deo Jova ejusque potentia, auxilio et defensione. Sic diserte infra vs. 4. *Jova est instar rupis aeternae.* Eadem sententia Ps. XXXI, 3. XC, 1. CXXV, 2. Phrasi hoc loco usurpatae simillima quae Prov. XVIII, 10. legitur מִגְדַּל־עֹז יְהוָה *turris roboris,* firmissima, est *nomen Jovae.* Alterum hujus versus hemistichium, יְשׁוּעָה יָשִׁית חוֹמוֹת וָחֵל proprie sonat: *salutem ponit muros et antemurale,* i. e. salus et securitas, quam Deus urbi illi praestat, ipsi est pro muris et propugnaculis, ut adeo iis non indigeat. Eundemque sensum expressit Dathius: *defensio, quam Deus praestat, instar muri est, et propugnaculi.* Commendat hanc interpretationem locus parallelus, infra Cap. LX, 18. *Non audietur amplius violentia in terra tua; vastatio et fractura inter limites tuos;* וְקָרָאת יְשׁוּעָה חוֹמֹתַיִךְ *et vocabis salutem muros tuos.* Conf. Zachar. II, 9. Jerem. III, 23. Michaelis: *victorias* (scilicet sic vertit יְשׁוּעָה, dubito, an recte) *illi dedit* (Deus) *murum et fossam,* i. e. non muris tuta est, portae adeo numquam claudi dicuntur vs. 2. (quod ex verbis פִּתְחוּ שְׁעָרִים colligit), sed victoriis. חֵל plerique antemurale reddunt, sequuti Alexandrinum, qui περίτειχος ponit. Coccejus *fossam* interpretatus est, Chaldaicum חֵילָא *vallis,* conferens, cui in rei summa adsentitur Michaelis in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* P. III. p. 735—738, in solo etymo inter חֵילָא *vallem,* et حَوْل *circum, quod circa murum est,* fossam, quae murum ambit, dubius haerens. Et pro *fossa* quidem facere videtur praecipue locus Nah. III, 8. de Diospoli Aegypti: *quae habitat in Nilo, circa quam undique aqua,* אֲשֶׁר חֵיל יָם *cujus fossa est mare, et ex mari murus ejus exsurgit.* Nil tamen impedit, quo minus et hic *omnem extra murum*

munitionem intelligas. Hieronymus: „Pro eo quod nos vertimus *antemurale*, Symmachus *firmamentum* interpretatus eſt; ut ipſi muri munitionibus cincti ſint, et vallo foſſaque, et aliis muris, quos in aedificatione caſtrorum ſolent *loriculas* dicere." J. E. Faber *Archäologie der Hebräer.* P. I. pag. 288 ſeqq. *pomoerium, den Zwinger*, voce illa indicari putat, coll. Arab. حَالَ *circumegit*, et حَوْلَ *circum.* Chaldaeus hemiſtichium poſterius ita reddit: פּוּרְקָן יְתֻשַּׂם עַל שׁוּרָהָא וְרַחֲמִין *ſalus ponitur ſupra murum ejus et miſerationes.*

2. פִּתְחוּ שְׁעָרִים וְיָבֹא גוֹי־צַדִּיק שֹׁמֵר אֱמֻנִים *Aperite portas, ut intret gens juſta, ſervans fidem.* Alloquitur cives Hieroſolymitanos eosque hortatur, ut Judaeos, e terris, per quas disperſi erant, in patriam reduces, laete excipiant. שֹׁמֵר אֱמֻנִים *Servans fidelitates*, i. e. qui inter gentes exteras non ad earum religiones defecerunt, ſed Jovae cultum ſumma fide ſervarunt. Cum hoc loco convenit Pſ. CXVIII, 19. 20. Chaldaeus phraſin שֹׁמֵר אֱמֻנִים ſic reddidit: דִּי נְטַרוּ אוֹרַיְתָא בְּלִבָּב שְׁלִים *qui ſervarunt legem cum corde integro.*

3. Difficilis interpretationis ſunt verba יֵצֶר סָמוּךְ תִּצֹּר שָׁלוֹם, et jam a Veteribus varie accepta. Graecus Alexandrinus pro illis haec dedit: ἀντιλαμβανόμενος ἀληθείας, καὶ φυλάσσων εἰρήνην, ſcil. εἰσελθάτω e verſu ſuperiore. Interpretem in ſuo codice pro יֵצֶר legiſſe כישר, omiſſa majore distinctione poſt אֱמֻנִים, Hubigantii eſt conjectura parum probabilis. Hieronymus Hebraea ſic vertit: *vetus error abiit, ſervabit pacem.* Ad quae in Commentario: „Poſt ſermonem Dei reſpondet populus. Hebraice *Jeſer ſamuch*, quod Aquila et Symmachus ſimiliter tranſtulerunt πλάσμα ἐπηρεισμένον [quod tamen ſolius eſt Symmachi; Aquilae interpretationem Epiphanius Montefalconio laudatus ἐστηριγμένον, *fultum, firmatum*

tum exhibet], hoc est, *error noster ablatus est*, sive cogitatio nostra firmata est, quae prius inter te et idola fluctuabat; pro quo nos, ut sensus manifestior fieret, transtulimus: *vetus error abiit.*" Sententia huic loco minus apta. Syrus prima hujus verba junxit versui praecedenti hoc sensu: ܢܛܪ ܗܝܡܢܘܬܐ ܬܛܪ ܠܢ ܫܠܡܐ *qui servat constanter* fidem (scil. ingrediatur, ut Alexandrinus); *servabis nobis pacem.* Chaldaeus: בְּלֵבַב שְׁלֵם נְטַרוּ שְׁלָמָא שְׁלָמָא יִתְעֲבֵד לְהוֹן *cum corde integro servarunt pacem; pax fiet iis.* Sensum liberiore quidem paraphrasi, nec tamen male expressit. Verba simpliciter ita sonant: *figmentum suffultum*, i. e. innixum super te *custodies incolume incolume*, i. e. prorsus incolume; sumpto nomine שָׁלוֹם non pro substantivo, sed pro adjectivo formae קָרוֹב. Nomen יֵצֶר *figmentum* hic ponitur pro יֵצֶר מַחְשְׁבוֹת *figmentum cogitationum*, Genes. VI, 5. VIII, 21. 1 Chron. XXVIII, 9., pro quo Deut. XXXI, 21. ut hic solum יֵצֶר dicitur. יֵצֶר סָמוּךְ est igitur idem quod Ps. CXII, 8. סָמוּךְ לִבּוֹ *fultum cor ejus est*, *quod nil timet*, לֹא יִירָא, ut ibi additur; praecesserat versu 7.: נָכוֹן לִבּוֹ בָּטֻחַ בַּיהוָה *firmum* est *cor ejus*, *fretum in Jova.* Recte locum hunc Jesajanum Jarchi exponit: יצר שהיה סמוך על הקב״ה ונשען עליו בחוזקה שלא זז מאמונתו בשביל שום אימה ויסורין תצור שיהא שלום כי בך היה בטוח לפיכך הגון לך לנצרו *Figmentum* (i. e. mens hominis, s. homo ipse) *quod suffultum est super Deo, eique fortiter innixum, quod non recedebat a fide sua propter ullum terrorem aut supplicia, custodies ut sit incolume; quoniam tibi confidebat, ideo quoque tibi convenit, ut illud custodias.* Videtur tamen Jarchius nomen יֵצֶר de homine ipso, qui est Dei *figmentum*, intellexisse, ut Saadias, qui hunc versum sic vertit: لِخَلْقٍ مَسْنُودٍ تَحْفَظُ ٱلسَّلَامَ يَا سَلَامُ

إنّ

إنَّ بِكَ وَثِقُوا *hominibus suffultis servabis pacem. O pacem! En! in te confisi sunt.* Sed Aben-Esra: מי שיצרו סמוך עליך אתה השם תצרנו בשלום *Cujus cogitatio tibi firmiter innititur, hunc tu, o Deus, servabis incolumem.* Ab usu nominis יֵצֶר plane recedit J. D. Michaelis qui in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* p. 1144. collato Arabico وَصْر، وَصِرَة et وَصِيرَة *pactum*, et סָמוּךְ sumto pro *perpetuo* et *stabili*, vertit: *pactum perpetuum servabis nobis, pacem, pacem*, i. e. pacem perennem; in versione germanica: *du hältst deinen Bund unverbrüchlich, und giebst stäte Sicherheit.* Verba כִּי בְךָ בָּטוּחַ a plerisque verti solent: *qua in te confisum est*, i. e. posita est fiducia; nam Participia passiva saepe usum neutralem admittunt, verbo substantivo omisso, veluti Ps. LXXXVII, 3. נִכְבָּדוֹת מְדֻבָּר בָּךְ *honorifice dictum est de te.* Cf. N. G. Schroederi *Institt. ad Fundam. Ling. Hebr.* Syntax. Verb. Reg. LXI. b. Sed Storrio בָּטוּחַ est forma infinita, *Observatt.* §. XVII. n. I. 4. p. 66. coll. §. XXX, 4. p. 231., valens *confidere*, i. e. fiducia, unde (§. XLI. III) not. ††) p. 250.) vertit: *in te fiducia* (est, collocata est). A. Schultensius in *Animadverss. Philologg.* ad h. l. vertit: *in te est, in quo speretur*, seu, *tu es, cui confidi possit.* Nimirum בְּךָ *in te*, sumit pro *tu*, ut בְּצֵל *in umbra*, pro *umbra* Eccles. VII, 12. (saepe enim praefixam ב redundare, notamque esse Nominativi, pluribus exemplis docuit Schultensius in *Animadverss. Philologg.* ad Job. XXIV, 13. et ad Genes. XXXII, 22.). Porro בָּטוּחַ Schultensio est, *cui confiditur;* hunc enim usum participia passiva passim induunt. Arabibus *Dominus* est مَخْدُوم propr., *cui servitur*, a خَدَمَ *servire;* مَكْتُوم est *cui secretum confidi possit.* Et ut idem plane exemplum

plum habeas. مأمول est *in quo sperari potest*, ab أمل *sperare*; ita de Deo dicere solent: الله خير مسؤول ومأمول *optimus est Deus, qui invocetur et in quo speretur* (שָׁאוּל et אָמוּל, seu בָּטוּחַ). Quamcunque harum interpretationum sumas, sententia eadem manet, simul vero videbis, plane inutilem esse Hubigantii mutationem vocabuli בָּטוּחַ in בִּטְחוּ. Quae conjectura nullo nititur argumento, nisi hoc, quod Chaldaeus vertit אִתְרְחֲצוּן *confisi sunt* (quem sequitur Aquila: ὅτι ἐπ᾽ αὐτῷ πεποίθασι). Nobis quid videatur de intempestivo hoc ex versionibus corrigendi pruritu, saepius diximus. Miror tamen, idem placuisse Michaeli et Lowtho.

4. בִּטְחוּ בַיהוָה עֲדֵי־עַד *Fiduciam ponite in Jova usque aeternitatem*, in aeternum, semper, quo significatu עַד supra IX, 5. habuimus. כִּי בְּיָהּ צוּר עוֹלָמִים *Nam Jah est rupes seculorum*, i. e. tu praestas tuis perfugium numquam defecturum, aeterno iis praesidio es. Eodem sensu Jova vocatur צוּר, *rupes*, Deuter. XXXII, 4. 15. 18. 1 Sam. II, 2. Ps. XVIII, 32. Phrasis autem *rupis seculorum* explicanda est ex loco simili Ps. XC, 1. *Jova, habitaculum*, receptus *nobis fuisti quaque generatione, a seculo ad seculum*, per omnia secula *tu es Deus fortis*. De nomine יָהּ vid. not. supra ad XII, 2. Quae vero ei hic praefigitur litera ב, redundat, ut saepe alias Nominativo pleonastice praefigi solet, vid. not. ad Ps. XVII, 15. XXIX, 4. LV, 19. LXVIII, 5.

5. כִּי הֵשַׁח יֹשְׁבֵי מָרוֹם קִרְיָה נִשְׂגָּבָה *Nam depressit incolas loci celsi, urbis sublimis*. Kimchi: „In hoc cognoscetis, bonum esse confidere Deo, et in eum sperare, quod depressit et humiliavit inimicos vestros, qui habitabant urbes in locis editis sitas et bene munitas.

In-

Intelligit vel unamquamque civitatem illorum excelsam [cf. not. ad XXV, 2. 12.], vel loquitur de aliqua peculiari civitate illorum." Ad alterum hujus versus hemistichium cf. XXV, 12.

6. תְּרְמְסֶנָּה רָגֶל רַגְלֵי עָנִי פַּעֲמֵי דַלִּים *Conculcabit eam*, civitatem illam antea optime munitam, jam solo aequatam *pes*, et quidem *pedes inopes*, *plantae pedum tenuium* illam conculcabunt. Kimchi: „Hoc dicit, Israelitas conculcaturos esse superbiam et elationem eorum, et futuros esse illorum dominos, qui prius servi ipsorum fuerant."

7. אֹרַח לַצַּדִּיק מֵישָׁרִים *Via justo rectitudines*, i. e. est rectissima; pluralis vim Superlativi habet, quasi dicat: *via quae est mera rectitudo.* Sunt qui haec verba intelligant de *rectitudine viarum justi*, quasi sensus sit hic: *via justi recta est*, i. e. nemini injurius est, aequitatem redolent mores justi. Quod tamen iis, quae sequuntur, in quibus justitia divina celebratur, parum congruit. Hoc dicit potius vates, sapienter clementerque cum piis Deum agere, etiam cum affligit. *Viam* inter alia notare constat statum et eventus vitae cujusque, divina providentia circumscriptos. Sic Ps. XXXVII, 5. גּוֹל עַל יְהוָה דַּרְכֶּךָ *devolve ad Jovam viam tuam*, i. e. statum et eventus vitae tuae. Et ibid. vs. 7. אַל תִּתְחַר בְּמַצְלִיחַ דַּרְכּוֹ *ne succense ei*, *cujus via prospera est*, i. e. res statusque vitae. Vid. et Jerem. XII, 1. Hinc scribitur h. l. non אֹרַח הַצַּדִּיק, sed אֹרַח לַצַּדִּיק *via justo* scil. a Deo decreta et definita. Lucem praebet huic loco illa apud Ezechielem XVIII, 25. Judaeorum malignorum querela de rationibus divinae providentiae: לֹא יִתָּכֵן דֶּרֶךְ אֲדֹנָי *non est recte disposita via Jovae*, i. e. ratio, qua agit Deus cum hominibus non est exacta ad rationes justitiae. Hemistichio priori, eo, quem indicavimus, sensu accepto, bene congruit alterum s

יָשָׁר

יָשָׁר מַעְגַּל צַדִּיק תְּפַלֵּס *Rectus, orbitam justi libras,* sive, *ad libellam dirigis.* Vocem יָשָׁר Hebraei interpretes recte notant esse לשון קריאה נגד האל יתברך *Vocativum, ad Deum directum,* quod et Masorethae eo indicarunt, quod eam vocem apposito accentu distinctivo majori *Sakeph gadol* ab iis quae sequuntur distinxerunt. Vertenda est igitur: *o tu, qui rectus es!* Idem epithetōn Jovae tribuitur Deut. XXXII, 4. Ps XXV, 8. XCII, 16. Huic autem Deo *recto* convenit *orbitam* justi libellam dirigere *ad perpendiculum,* sive, *ad lineam exigere,* quae est genuina verbi פִּלֵּס notio. Ita Proverb. V, 21. *Coram oculis Jovae sunt viae viri* cujusque, וְכָל־מַעְגְּלֹתָיו מְפַלֵּס *et omnes orbitas ejus ad libellam exigit.* Sic prodit sensus dicti concinnus: tu, qui rectus es, i. e. aequus, justus, verax, bonus, non committes, ut justo, pio, quicquam accidat, quod cum rationibus justitiae bonitatisque tuae exacte nequeat comparari; in ipsis illis afflictionibus, quae piis graves incumbunt, non negligis respectum justitiae.

8. אַף אֹרַח מִשְׁפָּטֶיךָ יְהוָה קִוִּינוּךָ *Etiam viâ judiciorum tuorum, Jova, exspectavimus te.* Quibus verbis plures interpretes post Kimchium vatem hoc velle existimant, suos Jovae cultores nec illo tempore, quo graviter afflicti fuerint, remisisse quicquam de sincero in Deum affectu et studio. Sed propheta per מִשְׁפָּטִים *judicia* Dei hic omnino intelligit *judicia,* quibus malos punit, uti patet e clausula versus 9. collato cum versu 10. Recte igitur Jarchi haec ita exponit: כאשר צפינו לקיבול הטובה מאתך אף כך קוינו להראותנו אורח משפטי נקמתיך ברשעים - *Sicut exspectavimus, ut a te reciperemus bonum; sic etiam exspectamus, ut nobis ostendas semitam judiciorum ultionis tuae in improbos.* Est itaque sensus, pios Jovae cultores exspectasse Jovam *viâ judiciorum suorum* procedentem ad poenam de hostibus su-

sumendam, et se vindicandos. Vocula אַף *etiam* hanc sententiam cum superiore connectit. Quum, inquiunt, sciremus, *vias tuas* erga *justum* esse *rectas*, et te omnes rationes tuae erga eum providentiae ad libellam exigere; facile intelleximus, te brevi appariturum esse vindicem, et exspectavimus te *viâ judiciorum*, quibus in hostes animadvertores. Est igitur אֹרַח hic pro לְאֹרַח, quod vertendum *in via*, vel *secundum viam*. לְשִׁמְךָ וּלְזִכְרְךָ תַּאֲוַת־נָפֶשׁ *Ad nomen tuum et ad memoriam tui desiderium animae erat.* Te exspectavimus, tui memoriam animus noster studiose servabit.

9. נַפְשִׁי אִוִּיתִךָ בַּלַּיְלָה *Animâ meâ concupivi noctu.* Pro defectivo אִוִּתִךָ in codicibus pluribus scriptum est plene אִוִּיתִיךָ. Chaldaeus: נַפְשִׁי מַחְמְדָא לְצַלָּאָה קֳדָמָךְ בְּלֵילְיָא *Anima mea desiderat orare coram te noctu.* Bene observat Kimchi, vatem ubi loquatur in persona populi Hebraei, nunc loqui in Plurali, nunc vero in Singulari. אַף־רוּחִי בְקִרְבִּי אֲשַׁחֲרֶךָּ *Etiam spiritu meo, intra me mane quaero te.* Quemadmodum אִוִּיתִךָ בַּלַּיְלָה et אֲשַׁחֲרֶךָּ invicem respondent, nihilque aliud exprimunt quam amorem et desiderium Dei *numquam intermissum;* ita נַפְשִׁי et רוּחִי בְקִרְבִּי pleonastice posita sunt, parallelismi membrorum complendi caussa. כִּי כַּאֲשֶׁר מִשְׁפָּטֶיךָ לָאָרֶץ צֶדֶק לָמְדוּ *Quia ubi judicia tua in terra sunt, justitiam discunt incolae terrae,* i. e. quia improbi, ubi judicia tua vident, et malo suo experiuntur, te metuunt, atque ad reverentiam tui et religionem perducuntur. Quoniam in versione Alexandrina legitur διότι φῶς τὰ προστάγματά σου ἐπὶ τῆς γῆς, Michaelis in *Biblioth. Orient. Adpend.* Tom. XIV. p. 66., pro כַּאֲשֶׁר illos אוֹר legisse putat, unde ipse, duabus his lectionibus compositis, legere mallet כַּאֲשֶׁר אוֹר *judicia tua terrae sunt ut ignis lucidus,* confertque ut locum parallelum Hos. VI, 5. וּמִשְׁפָּטֶיךָ אוֹר יֵצֵא *sicut ignis* (fulminis) ex-

exeunt judicia. Verum hanc mutationem non esse necessariam, et sententiam inde prodeuntem parum convenientem contextui, nemo non intelligit.

10. יֻחַן רָשָׁע בַּל־לָמַד צֶדֶק Si (subaudito אם sive וְאִם) *benigne habeatur improbus non discit justitiam.* Si Deus parcat homini sonti, propterea non fit melior. בְּאֶרֶץ נְכֹחוֹת יְעַוֵּל *In terra rectitudinum perverse agit.* נְכֹחוֹת de rectis verisque oraculis dicitur infra XXX, 10., et cum nomine אֱמֶת, tanquam notionis cognatae, jungitur LIX, 14. Hoc loco *optima agendi ratio* praeceptis divinis congrua indicatur. Cui opposita vis *declinandi* inest in verbo עִוֵּל, quod et Arabibus *a justo declinare* significat. *Terra rectitudinum* est ea, ubi recta sunt aliorum incolarum facta. Hinc Hieronymus vertit: *in terra sanctorum.* Reorum nequitia summa describitur, quum nec exemplis rectis meliores fiant. וּבַל יִרְאֶה גֵּאוּת יְהוָה *Nec videt sublimitatem Jovae.* Non animadvertit, Deum esse summum judicem, qui poenas a malis repetit.

11. יְהוָה רָמָה יָדְךָ בַּל־יֶחֱזָיוּן *Jova, elata est manus tua,* parata ad feriendos malos, *nec tamen vident.* יֶחֱזוּ וְיֵבֹשׁוּ קִנְאַת־עָם אַף־אֵשׁ צָרֶיךָ תֹאכְלֵם *Videbunt utique et pudefient: zelus populi, etiam ignis, hostes tuos devorabit,* i. e. qui tuam potentiam agnoscere noluerunt, cognoscent eam, et profitebuntur cum pudore, quum vident, quam benignum te erga pios tuos, et quam terribilem erga hostes tuos exhibere soleas. Paullo aliter Doederlein sensum exprimit in nota ad h. l.: „Fatentur, justas fuisse poenas, et bene promeritas, quum nec indulgentia nec minis divinis commoti ad saniorem mentem redirent." קִנְאַת עָם *Zelus populi* est *zelus Dei* pro populo suo vindicando, voce *constructa objective* sumta, ut saepe. Sic infra LVI, 7. *domus* תְּפִלָּתִי *orationis meae,* quae me habet pro objecto, et

et קִנְאַת בֵּיתֶךָ *zelus domus tuae*, h. e. pro domo tua, Pſ. LXIX, 10. Imitati etiam ſunt Graeci ἑβραΐζοντες, in phraſibus ζῆλος Θεοῦ, ζῆλος νόμου, et quae his ſimiles. Recte Kimchi ad hunc locum illuſtrandum affert Zach. I, 14. *Zelavi magno zelo pro Hieroſolymis et pro Zione.*

12. תִּשְׁפֹּת שָׁלוֹם לָנוּ *Pacem disponas*, praeparato *nobis*, i. e. da nobis res proſperas. כִּי גַּם־כָּל־מַעֲשֵׂינוּ פָּעַלְתָּ לָּנוּ *Omnia enim opera noſtra operatus es nobis*, quidquid nobis evenit boni malive, te curante evenit.

13. בְּעָלוּנוּ אֲדֹנִים זוּלָתֶךָ *Poſſederunt nos domini praeter te*, fuimus hucusque alienis dominis praeter te ſubjecti. לְבַד בְּךָ נַזְכִּיר שְׁמֶךָ *Solummodo per te*, et tuam gratiam et virtutem, vs. 12. celebratam, *commemoramus*, praedicamus *nomen tuum*, potentiam et majeſtatem tuam.

14. מֵתִים בַּל־יִחְיוּ *Mortui non vivent*, non reviviſcent, qui nos oppreſſerunt, et nunc a Jova exſtincti jacent. רְפָאִים בַּל־יָקֻמוּ *Manes non reſurgent*, tyranni iſti non redibant ad nos vexandos. De רְפָאִים vid. dicta ſupra ad XIV, 9. Graecus Alexandrinus haec verba ſic reddidit: οὐδὲ ἰατροὶ οὐ μὴ ἀναστήσωσι, quae non vertenda ſunt cum interprete Arabico الأطبّاء لا يقومون *medici non reſurgent*, ſed, ut Hieronymus vertit, *medici non ſuſcitabunt* ſcil. mortuos. Ad quae in Commentario obſervat, „condemnari (ex hac interpretatione) fabulas poëtarum, qui ab Aeſculapio jactant Virbium ſuſcitatum.“. Vid. Ovidii *Metamorph.* XV, 532. ſeqq. et Servium ad *Aeneid.* VII, 761. Ceterum Graecum interpretem hebraea aliis punctis vocalibus legiſſe רְפָאִים בַּל־יְקִימוּ apparet. Plura de Graeca hujus loci interpretatione diſputavit Jo. Christ. Ortlob in *Exercitat.* *phi-*

philolog. qua phraſis רפאים לא יקמו examinatur, Lipſ. 1704. 4. Particula לָכֵן hemiſtichii ſecundi initio non valet *propterea*, ſed *certe*, *profecto*, ut Job. XX, 2. Num. XVI, 11. Jerem. V, 2. פָּקַדְתָּ וַתַּשְׁמִידֵם *Animadvertiſti* in eos tanquam judex ſeverus *et perdidiſti eos*, וַתְּאַבֵּד כָּל־זֵכֶר לָמוֹ *et deleviſti omnem memoriam* quae *iis*, ante לָמוֹ ſubaudito אֲשֶׁר, pro זִכְרָם.

15. יָסַפְתָּ לַגּוֹי *Addidiſti populo*, nempe multis, qui profugerant, reſtitutis, auxiſti civitatem Hieroſolymitanam, יָסַף *addidit*, hic denotat *auxit*, *ornavit*, *amplificavit*: quemadmodum Pſ. CXV, 14. יֹסֵף יְהוָה עֲלֵיכֶם *Addat Jova ſuper vos; ſuper vos et filios veſtros*, h. e. augeat, ornet; res veſtras proſperet, fortunet. Chaldaeus: אִתְגְּלֵיתָא לְכַנָּשָׁא מְבַדְּרֵי עַמָּךְ *Manifeſtum te reddidiſti colligendo disperſos populi tui.* נִכְבָּדְתָּ *Glorioſus factus es*, variis et magnis beneficiis, quibus populum tuum ornaſti, magnam tibi gloriam conciliaſti. Hemiſtichii poſterioris, רִחַקְתָּ כָּל־קַצְוֵי־אָרֶץ *elongaſti omnes terminos terrae*, ſonſum pervertunt, qui hoc velle prophetam dicunt, Deum, poſtquam gentem Hebraeam auxiſſet et ornaſſet, deinceps eam propter peccata ſua elongaſſe ac disperſiſſe usque ad remotiſſimos terrae fines. Neque ſenſum perſpexit Saadias. qui vertit: أَبْعَدْتَ ٱلظَّالِمِينَ إِلَى أَقَاصِي ٱلْأَرْضِ *elongaſti violentos ad extrema terrae.* Hoc potius dicit vates, Deum ipſos fines terrae, ſcilicet Judaeae, in longum dimoviſſe, ſive dilataſſe, adeoque terram ampliorem reddidiſſe. Valet itaque רִחַק hic idem quod infra LIV, 2. הַרְחִיב *dilatare*.

16. יְהוָה בַּצַּר פְּקָדוּךָ *Jova, in anguſtia deſiderarunt te*, idem quod alias בִּקְשׁוּךָ *quaeſiverunt te*, i. e. precibus ad te confugerunt. Hnmiſtichium alterum, צָקוּן לַחַשׁ מוּסָרְךָ לָמוֹ, recte interpretatur Kocherus:

summissam exprimentes vocem, dum tua illis castigatio fuit. „Ita צָקוּן," inquit, „cum ן emphatico accentum ad se rapiente sit pro צָקוּ a צוק *premere, comprimere, exprimere;* quod de gemitibus et querimoniis, quum arcto de pectore vix eluctatura vox non sine vi et impetu exprimitur, eleganter usurpatum videtur. Vide A. Schultensii *Institt. Gramm.* p. 352. Ejusdem stirpis צָקָה seu צקו aethiopicum *trusit* clavum, vel cuneum; *contudit* in mortario, item Arabicum صق et ضك. Dein לחש 1. *lingere*, lambere (Arab. لحس); 2. *mussitare;* 3. *incantare* (conf. notam nostram supra ad C. III, 3.). צָקוּן, פְּקַדוּךָ, לַחַשׁ personae sunt tertiae omnes, quae Lowthus levicula, ut videtur, de caussa, et coeca quadam LXX. interpretum admiratione prima persona commutare non dubitavit." - Nominis לחש vim propriam *soni debilis ac submissi* alio flexu ad *incantationem*, Lexicis vulgarem, alio ad *preces* translatam fuisse, apposite notavit J. A. Tingstadius in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* p. 68., hac addita observatione: „Neque mirum hoc erit ad similem vocis debilis hominum afflictorum comparationem cum voce necromantium Jesaj. XXIX, 4. attendenti." Ejusmodi preces erant Judaeorum in terris exteris detentorum, quas nonnisi submissa voce effundere audebant, metu eorum, sub quorum imperio vivebant.

17. כְּמוֹ הָרָה תַּקְרִיב לָלֶדֶת תָּחִיל תִּזְעַק בַּחֲבָלֶיהָ כֵּן הָיִינוּ מִפָּנֶיךָ יְהוָה *Ut gravida cum appropinquat partui, doloribus parturitionis corripitur, in doloribus suis clamat, sic fuimus coram te, Jova.* Comparatio haud infrequens prophetis ad significandum statum populi magna calamitate pressi, qua sese expedire nequit, ut puerpera infirma, quae dolores quidem sentit, sed parere nequit; vid. Ps. XLVIII, 7. Jerem. XLIX, 24.

L.

L, 43. Ante תַּקְרִיב supplendum est כַּאֲשֶׁר, *quando*, quod saepius omittitur.

18. הָרִינוּ חַלְנוּ כְּמוֹ יָלַדְנוּ רוּחַ *Gravidi fuimus, parturivimus. tanquam ventum peperimus.* Grotius hic cogitavit de avibus, quae edunt *ova subventanea*, ᾠὰ ὑπηνέμια, de quibus Plinius *Hist. Nat.* X, 58. *Pariunt ova irrita, ex quibus nihil gignitur, quae Hypenemia Graeci vocant.* Rectius vero haud dubie J. D. Michaelis in *Syntagmate Commentatt.* P. II. p. 165. not. a Papenio, provinciae et civitatis Gottingensis medico, edoctus, observat (quod tamen jam ante ipsum vidit Vitringa), rariorem hoc loco morbum intelligi, *empneumatosin*, aut *ventosam molem* dictum, quo quae laborent diu et sibi et peritis medicis gravidae videantur, tandemque post omnes verae graviditatis molestias et labores ventum ex utero emittant; quem morbum passim medici describant, ut Joannes Schenk in *Observatt. medicinalibus.* Lib. IV. p. 681, Franciscus a Castro *de muliebrium morborum medicina*, Lib. II. c. 8. Si sensum metaphorae respicias, *concipere* hoc loco erit *spem liberationis* et *salutis concipere animo*, quemadmodum et Latini verbum *concipere* usurpare solent: ventum autem *parere* significabit, spem illam in inane et irritum cecidisse. Solent scriptores Hebraei omnem *productionem effectus* vocare *partum*; ut *proposita*, *consilia*, spem, conceptionem foetus; et spei frustrationem, *abortum*, vel *partum* nullum et infortunatum. Eliphasus Job. XV, 35. *Qui* concipit *molestiam*, parit *vanitatem* vel iniquitatem. Cf. Jes. LIX, 4. XXXIII, 11. Ps. VII, 15. Sensu plane diverso comma hoc accipit Doederlein: vertit enim hunc versum cum commate praecedente hoc modo: *Ut praegnans, partum editura, prae dolore clamat: ita nos fuimus coram te, 18. praegnantes, parturientes, cum vivus edendus*

 esset

esset partus: sed nec terrae parta salus, nec renati orbis incolae. Et in nota sensum et rationem hujus versionis indicat: „Novam struit antithesin imperii Babylonici et Judaici. Illud plane destructum numquam majorem vigorem obtinebit: Judaeorum respublica exstincta quidem, et quasi emortua, sed restituetur et quasi resurrectione facta novam belli gloriam, novasque provincias obtinebit. Metaphorae ansam dedit tropus de morte sive interitu reipublicae. Ea, si restituitur, vitae redditur. Sed sicut infans non sine matris gravidae dolore in lucem editur, ita Judaei prius, quam *vitalem partum ederent* (יָלַד רוּחַ), seu florentem viderent regni sui statum, multum discruciabantur. At frustra suis viribus aliquid tentatum." Discedit igitur Doederlein ab interpretibus reliquis in eo maxime, quod phrasin יָלַד רוּחַ vertit *vitalem partum edere:* in explicatione membri posterioris omnes habet secum consentientes. Verba יְשׁוּעֹת בַּל־נַעֲשֶׂה אֶרֶץ duplicem patiuntur interpretationem. Nam vox נַעֲשֶׂה vel potest esse prima Pluralis Futuri Cal, quando verba vertenda sunt: *salutem non facimus terram*, sive *terrae*; vel Participium formae Niphal, quando sonant: *salutes non sunt factae in terra*, proprie: *salutes non est factum* in *terra*, quam loquendi rationem quum interpretes aliqui non intelligerent, ab ea discesserunt, quae tamen vix dubium est veram reddere vatis sententiam. Nempe voci יְשׁוּעֹת subest ellipsis apud Hebraeos aeque ac Graecos frequentissimi usus nominis דָּבָר, Graecis πρᾶγμα, χρῆμα, ut Exod. XVII, 12. וַיְהִי יָדָיו אֱמוּנָה *eratque manus ejus* (Mosis) *firma*, propr. דָּבָר אֱמוּנָה *res firmitatis.* Recte sententiam vatis Kimchi exprimit his verbis: דבר הישועות אשר הבטחתנו בל׳ נעשה בארץ *negotium salutis, quam sperare nos jussisti, non factum est in terra.* Accentus distinctivi Paschta voci יְשׁוּעֹת appositi si ratio habetur, vertendum est: quod attinet ad *negotium salutis,*

tis, non factum est in terra, ut ישועת sit Nominativus qui dicitur absolutus. Kocherus, נַעֲשֶׂה pro prima Pluralis Futuri Cal habens, hebraea sic vertit; *salutes non potuimus facere terram*, i. e. salvam non potuimus facere terram; abstracto pro concreto posito, ex idiotismo Hebraeis satis frequente. Veluti Amos IV, 13. עֹשֵׂה שַׁחַר עֵיפָה *qui auroram facit caliginem*; aut quod vel hujus Capitis initio legitur: יְשׁוּעָה יָשִׁית חוֹמוֹת וָחֵל. Atque eodem fere de genere ista: הְיֵה בְּרָכָה *esto benedictio*, Genes. XII, 2, *arbor* תַּאֲוָה *desiderium*, valde desiderabilis, Genes. III, 6.; *erunt dies illi* θλῖψις Marci XIII, 19. Et Pluralis eodem, ut hic, modo adhibetur, Dan. IX, 23. חֲמוּדוֹת אָתָּה *desideria tu es*, i. e. maxime desiderabilis. Et Ps. LXXXVIII, 9. שַׁתַּנִי תוֹעֵבוֹת *posuisti me exsecrationes*, reddidisti me exsecrabilem. Praeferenda tamen nobis videtur prior illa haec verba vertendi ratio, qua נַעֲשֶׂה pro Participio Niphal capitur. Verba hujus versus postrema, וּבַל־יִפְּלוּ יֹשְׁבֵי תֵבֵל *nec cadunt incolae orbis*, hoc dicunt: ceteri populi, a quibus affligimur, suum in nos imperium tuentur, nondum deciderunt de statu suae potentiae. Per יֹשְׁבֵי תֵבֵל *incolas orbis* scil. reliquos praeter Judaeos, significari hostiles populos, cultoribus Jovae oppositos, patet e versu 9. et 21. Kimchi: „Quia hoc erit signum salutis et liberationis nostrae, cum reliquae gentes de statu suo deciderint, ideo quotiescunque ex angustia aliqua liberati fuimus, nequaquam propterea gavisi sumus; nam intelleximus, nondum pervenisse tempus salutis nostrae, quum non vidissemus cecidisse reliquos orbis incolas."

19. Verba יִחְיוּ מֵתֶיךָ non sunt Dei ad populum Hebraicum, ut nonnulli volunt, sed prophetae ad Deum. Nam si populus Hebraicus compellaretur, vel מֵתֵיכֶם vel מֵתַיִךְ scriptum esset. Recte Kimchius observat, suffixum vocis מֵתֶיךָ esse ad Deum referendum, et *mortuos*

Dei esse pios, oppositos impiis, quos ad vitam rediturios supra vs. 14. negavit. Ante נְבֵלָתִי יְקוּמוּן idem Kimchius monet, esse particulam עִם *cum* subaudiendam; hoc sensu: *una cum cadavere meo resurgent*. Jarchius haec pro verbis Dei habet, ex vatis voto jubentis, ut cadavera sua, i. e. suorum, ad vitam redeant. Verum י ad נְבֵלָתִי nequaquam est pro suffixo primae personae habendum, tunc enim esset נִבְלָתִי scriptum (cf. נִבְלָתוֹ 1 Reg. XIII, 24. Deut. XXI, 22., et נִבְלָתָם Levit. XI, 8. 11. Deut. XIV, 8.), sed pro mere paragogico, ut in רַבָּתִי et שָׂרָתִי Thren. I, 1. Cum nomine feminino singulari autem, collective hic accipiendo, jungitur verbum plurale masculinum יְקוּמוּן. Constructio est quoad sensum, quum *cadaveribus* intelliguntur *mortui*, מֵתִים; cf. similes constructiones 1 Sam. VI, 13. 2 Sam. XV, 23. Ceterum *mortuis in vitam redituris* significari hic Judaeos per exteras terras dispersos et a barbaris oppressos olim patriae restituendos et quasi ad vitam revocandos plures interpretes arbitrantur. Sane Ezechiel XXXVII, 1. seqq. hoc ipsa imagine ad eandem rem describendam utitur (cf. vs. 11. 14. dicti Capitis). Hoc tamen loco quum *mortui Jovae*, i. e. pii ad vitam revocandi opponantur mortuis impiis numquam in vitam redituris (vs. 14.), non dubitamus haec proprie intelligenda esse de piis tempore Messiae ad vitam revocandis, quemadmodum Dan. XII, 2. eodem illo temporis articulo multi dicuntur in hanc vitam redituri, alii tamen ad vitam beatam, alii ad ignominiam aeternam. Chaldaeus pro hebraeis יִחְיוּ מֵתֶיךָ נְבֵלָתִי יְקוּמוּן haec posuit: אַתְּ הוּא מְחַיֵּי מֵיתִין גַּרְמֵי נְבִלָתְהוֹן אַתְּ מְקִים *Tu es qui vivificas mortuos, et ossa cadaverum eorum tu suscitas*. Pergit vates: הָקִיצוּ וְרַנְּנוּ שֹׁכְנֵי עָפָר *Expergiscimini et laetas voces tollite, qui incolebatis pulverem*, quibus et Dan. XII, 2. Ps. XXII, 30. *mortui* significantur; cf. not. ad hunc Psalmi loc. Pro Imperativis הָקִיצוּ et רַנְּנוּ Veteres,

omnes.

omnes Futura exprimunt, unde tamen parum tuto colligitur, illos הָקִיצוּ *expergiscantur* et וְרַנְּנוּ *cantant* legisse. כִּי טַל אוֹרֹת טַלֶּךָ וָאָרֶץ רְפָאִים תַּפִּיל *Quia ros olerum est ros tuus, et terra mortuos enitatur.* Sensus est, vim divinam, vitam afferentem, esse instar roris, qui olera e terra educit et progerminare facit, vel flaccida facit revirescere, sic terram rore divinae jussionis madefactam quasi fecundatamque, mortuos quos utero suo conclusos tenebat, emittere atque eniti; eandem illam terram, quae homines deglutire solet, eos veluti parere ac eniti. אוֹרֹת Kimchi recte interpretatur צְמָחִים *herbas, olera*, quae terra irrorata et per rorem veluti novas vires assumens progerminat, ut 2 Reg. IV, 39. Suffixum secundae personae in טַלֶּךָ ad Deum est referendum; *ros Dei* vero est a Deo demissus, vim habens vegetantem et recreantem. Ita apud Hoseam XIV, 6. Jova dicit, se esse Israeli כַּטַּל *instar roris*, ut floreat quasi lilium. Verba וָאָרֶץ רְפָאִים תַּפִּיל ad verbum sonant: *et terra manes cadere faciet*, sed verbum תַּפִּיל significat hoc loco quid quod amplius tenere nequeas, vi quadam *ejicere*, ut te eo liberes, perinde ac gravida, ubi tempus partus adest, se omni modo foetu suo nititur exonerare et liberare, et dum id agit, foetum illum *emittit* ac *ejicit*. Terra, quae mortuos in visceribus suis occultat suo tempore resuscitandos comparatur matri, foetum, quem per certum tempus in utero foverat, emittenti. Alexandrinus interpres hebraea sic reddidit: ἡ γὰρ δρόσος ἡ παρὰ σοῦ ἴαμα αὐτοῖς ἐστι, ἡ δὲ γῆ τῶν ἀσεβῶν πεσεῖται, quae vetus interpres Latinus ita verterat: *ros enim, qui abs te est, sanitas illis est, terra vero impiorum cadet.* Hieronymus sic emendavit: *quia ros luminum ros tuus, et terram gigantum detrahes in ruinam.* In vocis רְפָאִים interpretatione sequutus est Aquilam et Symmachum, et in universum magna cognatio est inter ejus versionem et explicationem Chaldaei, quae talis est: אֲרֵי טַל נְהוֹר

טלך לעבדי אורייתך ודרשיעיא די יהבתא להון תוקפא ואנון עברו על מימרך לגיהנם תמסר *Quia ros luminis ros tuus observantibus legem tuam; at impios, quibus dedisti potentiam, et qui praecepta tua transgressi sunt, Gehennae trades.* Habuit et hic אורות pro Plurali nominis אורה *lux*, Ps. CXXXIX, 12. *Ros luminum* esset ros qui cum luce oriente aut occidua cadet; sed multo concinniorem sensum prodire, si אורות pro *oleribus* capias, nemo erit qui non sentiat.

20. לֵךְ עַמִּי בֹּא בַחֲדָרֶיךָ וּסְגֹר דְּלָתֶיךָ בַּעֲדֶךָ *Vade, populo mi, intra in penetralia tua, et claude ostia tua post te.* Epilogus, quo propheta monet pios, ut quieti et tranquilli se teneant in ingenti illa rerum omnium conversione, per quam terra a malis perpurganda novam faciem induet. Imago petita est ab iis, qui tempestate coorta, vel procella pluviae aut grandinis saeviente, sese in penetralia abdunt, donec tempestas desaevierit, et fudum coelum factum sit. חֶדֶר hic notat *locum refugii et receptus* quemcunque, quem calamitosi urgente necessitate quaerunt. Pro Plurali דְּלָתֶיךָ Masorethae jubent Singularem דַּלְתְּךָ legi, quod ipsum plures codices in textu habent. Chaldaeus haec ita interpretatus est; עֲבֵיד לָךְ עוֹבָדִין טָבִין דְּיַגְּנוּן עֲלָךְ בְּעִדָּן עָקָא *Fac opera bona, quae te protegant tempore angustiae.* Addit vates: חֲבִי כִמְעַט־רֶגַע עַד־יַעֲבָר־זָעַם *Latita paululum ad momentum donec transeat excandescentia.* Phrasis כִּמְעַט־רֶגַע valet *ad exiguum momentum*, quod populariter accipiendum, non physice, quum jam ipsum רֶגַע *momentum* temporis moram omnium minimam, qualis est ictus oculi, significet. Est igitur haec phrasis pleonastica, quae et Esr. IX, 8. legitur. Convenit רֶגַע קָטֹן infra LII, 7., et מְעַט מִזְעָר supra X, 25. זַעַם *Excandescentia* hic intelligenda est Dei, terrae incolas castigantis et purgantis. Ita זַעַם, θυμὸς,

θυμὸς, *ira ebulliens*, *irae severitas* passim de Deo puniente dicitur, ut supra X, 5. 25. XIII, 5. Nah. I, 6. Similis locus est Dan. VIII, 19. ubi Gabriel ad prophetam: *Ecce ego notum tibi facio id quod futurum est* בְּאַחֲרִית הַזָּעַם *in extremo tempore severitatis irae, quia finis erit statuto tempore.* Vid. XI, 36.

21. כִּי הִנֵּה יְהוָה יֹצֵא מִמְּקוֹמוֹ לִפְקֹד עֲוֹן יוֹשֵׁב־הָאָרֶץ עָלָיו *Quia ecce egredietur Jova e loco suo ad visitandam iniquitatem incolarum terrae, quae iis incumbit.* מְקוֹם יְהוָה *Locus Jovae* est coelum, vid. Mich. I, 2. Ps. CXV, 3. Ezech. III, 12. Inde exire fingitur Deus in terram ad vindicanda crimina incolarum terrae. וְגִלְּתָה הָאָרֶץ אֶת־דָּמֶיהָ *Et revelabit terra sanguines suos*, i. e. e suppliciis, quae sumet Deus de impiis, liquebit, oblitum eum non esse sanguinis hominum innocentium, quem fuderint, non aliter ac si cruorem in se effusum terra eructaret. Idem dicunt verba postrema; וְלֹא תְכַסֶּה עוֹד עַל־הֲרוּגֶיהָ *nec obteget amplius occisos suos*, i. e. cadavera piorum occisorum quae in ea sepulta sunt. Reddet illos terra ad vitam revocatos, ut supra vs. 19. dixit. Similiter Jobus XVI, 18. *Terra, ne tegas sanguinem meum*, ad quem loc. cf. not.

CAP. XXVI. 1. *Illo tempore hoc carmen canetur in Judaea: urbem munitam habemus, cui pro muro et propugnaculo salus posita.*

2. *Aperite portas, ut introeat gens justa, quae fidem servavit.*

3. *Animum qui tibi innititur prorsus incolumem servas; quia in te reposita est fiducia.*

4. *Confidite Jovae perpetuo, nam Jah Jova est rupes aeterna.*

5. *Quip-*

5. Quippe deprimit alte habitantes; urbem elatam, prosternit eam, humi eam prosternit, in pulverem detrudit.

6. Conculcabunt eam pedes inopum, gressus tenuium.

7. Via est pio optime complanata; Tu, qui rectus es, orbitam justi ad libellam dirigis.

8. Etiam via judiciorum tuorum exspectavimus te, Jova! Ad nomen tuum et ad memoriam tuam intimum tendit animae desiderium.

9. Animo meo te noctu desidero, quin et spiritu meo interiore te mane quaero; nam quando judicia tua in terra feruntur, justitiam discunt incolae orbis.

10. Impius si obtineat gratiam, non discit probitatem: in terra piorum perverse agit, nec majestatem Jovae curat.

11. Jova, manus tua elata est; sed non adtendunt; viderunt eosque pudebit. Zelus pro populo tuo ignisque hostes tuos consumet.

12. Tu, Jova pacem nobis conciliabis, quippe qui nobis omnia nostra perficias opera.

13. Jova, Deus noster, alii domini praeter te nobis imperarunt: duntaxat per te tuum recolimus nomen.

14. Mortui non reviviscent; exanimati non resurgent: sane animadvertisti in eos, eosque exterminasti; perdidisti omnem memoriam ipsorum.

15. Auges, Jova, hanc gentem, auges hanc gentem, gloriosum te ostendis, longe dimovisti omnes terrae fines.

16. Te, Jova, in angustiis quaesiverunt; summissas fuderunt preces dum tua ipsis castigatio incumberet.

17. Si-

17. *Sicut mulier praegnans, ubi appropinquat partui, dolet; clamat in doloribus suis, ita nos fuimus coram te.*

18. *Parturivimus, doloribus correpti fuimus, erat ac si ventum pareremus: salus non est terrae parta, nec ceciderunt incolae orbis.*

19. *Reviviscent mortui tui, corpora resurgent. Expergiscimini, et orate, o pulveris habitatores! Quia ros olerum est ros tuus, et terra exanimatos enitetur.*

20. *Vade, popule mi! intra penetralia tua, et claude ostium tuum post te; latita ad exiguum momentum, donec transeat excandescentia.*

21. *Nam ecce! Jova e suo proditurus est loco ad visitandam iniquitatem incolarum terrae, quae iis incumbit; et discooperiet suum terra sanguinem, neque suos amplius caesos operiet.*

Cap. XXVII.

Capiti huic, cujus interpretatio pluribus impedita est difficultatibus, multum lucis attulit C. F. Schnurrerus, praestantissimus interpres, in Dissertatione quam in hoc Caput anno 1785. scripsit, inseruitque Dissertationibus suis junctim editis Goth. et Amstelod. 1790. pag. 321—341.

1. בַּיּוֹם הַהוּא *Die illa*, s. tempore illo, quo vates XXVI, 21. dixerat Jovam proditurum e loco suo ad puniendos impios. Tunc igitur יִפְקֹד יְהוָה בְּחַרְבּוֹ הַקָּשָׁה וְהַגְּדוֹלָה וְהַחֲזָקָה *gladio suo duro illo, et magno et valido,* עַל לִוְיָתָן נָחָשׁ בָּרִחַ *contra Leviathanem serpentem rectum,* porro *contra Levithanem serpentem* עֲקַלָּתוֹן *tortuosum*, denique contra הַתַּנִּין אֲשֶׁר בַּיָּם *draconem qui*

qui est in mari, quas belluas vatem hic spectari velle ut distinctae speciei videtur probabile, quia vocem לִוְיָתָן repetit, et distincta singulis vindicat attributa. Quod ad vocem לִוְיָתָן, probavi Bochartus *Hieroz.* P. II. L. V. C. XVI. T. III. p. 737. edit. Lips., designari ea Job. XL, 20. *crocodilum*, tum vero latius usurpari de omnibus magnis *belluis marinis*, ut Ps. CIV, 26. Jam qualis belluae species hic designetur per Leviathanem priorem, unice definiri potest ex epitheto adjecto נָחָשׁ בָּרִחַ. Et vocem נָחָשׁ quidem vix dubium est sumi hic latiore significatione pro bestia, cujus est mobile, volubile et oblongum corpus, quale *serpentis*, ut adeo διάκρισις hujus belluae sola cadat in vocem בָּרִחַ, ambiguae notationis. Verbum בָּרַח notare constat *fugere*, unde בָּרִחַ significare posset *fugacem*, *celerem*; unde Graecus Alexandrinus ὄφιν φεύγοντα vertit. Notat praeterea בְּרִיחַ (Schevate supposito primae radicali) *vectem*, quare Aquila vertit ὄφιν μόχλον, quod sequutus est Hieronymus. Parum distat illud Symmachi, συγκλείοντα *concludentem*. Theodotio: ὄφιν σκιρώμενον *serpentem robustum*. *Serpentem vectem* phrasin נָחָשׁ בָּרִחַ, quae ipsa et Jobi XXVI, 13. de asterismo quodam legitur, interpretatur Bochartus l. c. p. p. 693., ea vero designari existimat ingentem quendam piscem, Graecis ζυγαίναν dictum, ἀπὸ τοῦ ζυγοῦ *a jugo*, quippe haec bellua caput neque rotundum, neque rostratum, neque fastigiatum, quale in piscibus reliquis esse solet, sed in latera extensum atque transversum habet. Cui sententiae tamen obstat primo, quod vox בְּרִיחַ *vectis* a Masorethis Schevate sub prima litera est instructa, deinde, quod haec piscis species, ζυγαίνα vocata, vulgo fuerit ignotior, quam ut probabile sit, prophetam ejus fecisse mentionem; esse autem minus notam, hinc etiam liquet, quod Romani scriptores nulli hujus piscis meminerint, quod Bochartus ipse docet. J. D. Michaelis in *Supplementt. ad Lexx.*

Lexx. Hebrr. P. I. p. 219. seqq. putat, utroque loco, et nostro et Job. XXVI, 13. sidus esse, *serpentem borealem*; quoniam vox בָּרִיחַ proprie id quod laevum, sinistrum est, significet, sinistrum autem Orientalibus, in geographia faciem convertentibus ad orientem, sit septentrionale; נָחָשׁ עֲקַלָּתוֹן *serpentem* esse *Ophiuchi*, in medio fere coelo; denique הַתַּנִּין אֲשֶׁר בַּיָּם *hydram* in australi hemisphaerio. At huic sententiae recte opposuit Schnurrerus, primum, ex eo, quod Arabicum בָּרַח, بَرِح, dicitur de praeda, quae venatori, a dextra ad sinistram transiens, corporis latus *sinistrum* obvertit, non certo effici, בָּרִיחַ significare id ipsum, quod est sinistrum. Deinde, quum certissimum sit, ad Aegyptiacum regnum designandum alibi adhibita esse nomina לִוְיָתָן et תַּנִּין, veluti Ps. LXXIV, 13. seqq. Ezech. XXIX, 3. cap. XXXII, 2. credibile esse, etiam hunc locum referendum esse ad Aegyptum, maxime quod, qui apud Jesajam sit הַתַּנִּין אֲשֶׁר בַּיָּם, ab Ezechiele altero loco dicatur תַּנִּים בַּיַּמִּים, altero disertius etiam הַתַּנִּים הַגָּדוֹל הָרֹבֵץ בְּתוֹךְ יְאֹרָיו *draco magnus recubans in Nili fluminibus*. Et quidem triplici illa appellatione haud videri aliud quodpiam imperium designari quam unum Aegyptiacum. Igitur נָחָשׁ בָּרִיחַ hoc loco non posse esse nomen sideris, quod et conjunctionem non habeat cum Aegypto, et gladio feriri nequeat; sed bestiam aquatilem significet necesse esse, qualis esse soleat imago Aegypti. A. Schultens in *Animadverss. Philologg.* ad Job. XXVI, 13. *serpentem ominosum*, *infaustum*, vertit, quod apud Arabes opinio obtinet, infausti ominis esse, quod prodeunti latus sinistrum obvertat. Sed Schnurrerus monet, quum hujus opinionis apud Hebraeos vestigia certa non appareant, dubitari posse, an voci hebraeae recte illa significatio tribuatur. Ipse autem vocem בָּרִיחַ sensu maxime obvio accipit, ut *fugiens* dictum sit pro *celere*. Verum quum בָּרִיחַ hic manifeste oppositum sit

עם

ירֹ עֲקַלָּתוֹן *tortuoſo*, nos haud dubitamus, voce illa ſignificari *recte ſe projicientem, in longitudinem directe protentum* (und בְּרִיחַ *vectis*), a בָּרַח *recto ſe projicere, trajicere*, ut campum, hinc *fugere*. *Serpens rectus*, ſive *protentus* vero commodo vocatur *crocodilus*, qui ſe non volvit in ſpiras aut gyros, ut dracones, nec corpus inflectere poteſt. Vid. not. noſtr. ad Bochartum l. c. p. 695. ſeqq. Huic opponitur לִוְיָתָן נָחָשׁ עֲקַלָּתוֹן *draco ſerpens tortuoſus*, σκολιὸς, ut recte Hieronymus, Alexandrinus et Symmachus vertunt. Deſignatur *ſerpens draco, ſinuoſa volumina verſare ſolitus*, ut Virgilius Aeneid. XI, 753. dicit. Hinc *Enceladi* (Ἐγκέλαδος), Typhonis Siculi nomen, praeferentis centum draconum capita, cum *immenſis viperarum ſpiris*, a Jove ad inferiora dejecti et Aetna monte obruti, ut docet Bochartus *Geogr. S.* P. II. L. I. Cap. XXVIII. p. 580. ſeq. „Quomodo," inquit, „Graeci fecerint Ἐγκέλαδον ex עֲקַלָּתוֹן, nemo non videt. *Thau* Ebraeum expreſſum per δ, ut in *cidari* ex כֶּתֶר, et *Koph* per γκ, ut in ἀγκύλος *curvus* ex עָקוֹל." Duabus hisce belluis terribilibus jungitur הַתַּנִּין אֲשֶׁר בַּיָּם *draco qui eſt in mari*, monſtrum immane, quod in mari dominium et imperium ſuum exercet. Sub imagine belluarum triplicis generis, quorum primum in fluviis et paludibus, ſecundum in terra, maxime in deſertis, tertium in mari degit, totidem genera tyrannorum immanium et truculentorum ſignificari, vix dubium eſt. Agnovit id Chaldaeus, cujus haec eſt paraphraſis: *Animadvertet Jova gladio ſuo grandi, forti et robuſto* עַל מַלְכָּא דְּאִתְרְבֵב כְּפַרְעֹה מַלְכָּא קַדְמָאָה וְעַל מַלְכָּא דְּאִתְגָּאִי כְּסַנְחֵרִיב מַלְכָּא תִנְיָנָא וְיִקְטוֹל יַת מַלְכָּא דְּתַקִּיף כְּתַנִּינָא דְּבְיַמָּא *in regem, qui magnus factus eſt; ut Pharao, rex primus, et in regem, qui ſeſe extulit ſicut Sanherib, rex ſecundus, et occidet regem, qui fortis eſt ſicut draco qui eſt in mari.* Hebraei quoque interpretes recentiores fere conſentiunt

ſentiunt deſignari iſtis belluis majora quaedam imperia Jeſajae aetate adverſaria populo Hebraeo, quae quidem Jarchius demonſtrat Aegyptium, Aſſyrium, et Tyrum.

2. בַּיּוֹם הַהוּא כֶּרֶם חֶמֶר עַנּוּ־לָהּ *In die illa*; tum, abolitis hoſtibus truculentis, *vineam vini quod attinet cantate de ea.* Quod femininum לָהּ ponitur, pro maſculino לוֹ, quum ad כֶּרֶם reſpiciat, conſtructio eſt, quam dicunt, ad ſenſum; nam intelligitur ſub *vinea* reſpublica Hebraea, בַּת־צִיּוֹן *filia Zionis*, quae eadem imagine ſupra V, 1. ſeqq. ſiſtitur; quare et vs. 3. 4. ſuffixa feminina ponuntur. Chaldaeus: בְּעִדָּנָא הַהִיא כְּנִשְׁתָּא דְיִשְׂרָאֵל דְּהִיא כְּכַרְמָא נְצִיב בְּאַרְעָא טָבָא שַׁבַּחוּ לַהּ *Tempore illo coetum Iſraelis quod attinet, qui eſt ſicut vinea plantata in terra bona, cantate ei.* Pro חֶמֶר (cum *Reſch*) in pluribus codicibus, inter quos etiam nonnulli typis expreſſi, legitur חֶמֶד (per *Daleth*), quomodo et Graecum Alexandrinum legiſſe apparet inde, quod *ἀμπελὼν καλὸς ἐπιθύμημα* reddidit. Et כַּרְמֵי־חֶמֶד *vineae deſiderii*, i. e. deſideratiſſimae, pulcherrimae memorantur Amos V, 11. ad quem loc. cf. not. Quare hoc loco plures interpretes כֶּרֶם חֶמֶד *vineam deſideratam*, i. e. dilectam, amoenam, praeferunt illi, quod in codicibus aliis et hodie in libris typis deſcriptis longe pleriſque exſtat, כֶּרֶם חֶמֶר, quod non uno modo vertitur. Sunt qui *vineam meri* (*οἴνου ἀκρήτου*) vertant; minus commode, quum omne vinum, ut natura naſcitur, ſit *merum.* Quod incommodum obſervans Bochartus, qui hunc locum attingit in *Geogr. S.* P. II. L. I. Cap. XXIX. p. 615. כֶּרֶם חֶמֶר interpretatur *vineam multo vino fertilem*, cui opponatur כֶּרֶם בּוֹקֵק *vitis vacua*, Hoſ. X, 1. Sane hebraico חֶמֶר reſpondens arabicum خمر notat *vinum*, a خمر *fermentavit.* Phraſis autem כֶּרֶם חֶמֶר *vinea vini* nihil habebit inſoliti, ſi cogitemus, nomen

per ſe ambiguum eſſe, et *plantarium quodvis*, ſingulari cura horti inſtar cultum, adeoque cum vineam, tum olivetum, tum hortum quemcunque ſignificare poſſe, quod docuit etiam J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1353. Inde igitur fit, ut, quotiescunque non ex tota oratione clarum eſt, quodnam plantarii genus ſit intelligendum, id adjecta determinatione ſignificetur, atque ut Jud. XV, 5. כֶּרֶם זַיִת *olivetum*, ſic hic כֶּרֶם חֶמֶר *vinea* dicatur. Kimchi חֶמֶר collato Arabico حُمرة *rubedo*, et أحمر *ruber*, interpretatur *vinum rubens*, quale apud Veteres commendabilius habebatur albo. Hinc Homero paſſim memoratur αἴθοψ οἶνος. Et Prov. XXIII, 31. dicitur: *ne adſpicias* יַיִן כִּי יִתְאַדָּם *vinum cum rutilaverit*. Ita כֶּרֶם חֶמֶר eſſet *vinea vini rufi*, i. e. generoſioris. Praeferenda tamen prior interpretatio, qua כֶּרֶם חֶמֶר eſt *plantarium vini*, vinea. Quae quum ita ſint, utrumque, כֶּרֶם חֶמֶר et כֶּרֶם חֶמֶר, bonum ſenſum exhibet; neque utrum horum ſit genuinum hodie quis definiverit.

3. Ordo et ſtructura orationis, ut Schnurrerus monet, requirebat, ut, cum formula carminis proponatur, ejusque non a Jova, ſed ab hominibus recitandi, nomen rei ipſum poneretur, non pronomen, et Jovae mentio fieret in perſona tertia, hoc fere modo: יְהוָה נֹצֵר אֹתוֹ הַכֶּרֶם. Sed erat illa aetas minus ſtudioſa artis atque elegantiae; et poſſit ſubintelligi formula אָמַר יְהוָה. Suffixum femininum vocis נְצַרֶה, uti vocum אַשְׁקֶנָּה, עָלֶיהָ, אֶצְּרֶנָּה, reſpiciunt nomen כֶּרֶם, quod hic ut femininum tractatur, vid. not. ad vs. 2. Verba לִרְגָעִים אַשְׁקֶנָּה vulgo vertunt: *ſingulis momentis irrigo eam.* Sed לִרְגָעִים Schnurrerus apte illuſtrat ex Arabico رَجْعٌ, quod univerſe dicitur de ea re, quae iteratur, ex frequentiſſimo uſu verbi رَجَعَ *rediit*, et ſpeciatim de pluvia

via adhibetur, *si una alteram subsequatur.* Itaque לִרְגָעִים אַשְׁקֶנָּה est, *repetitis vicibus*, saepe multumque *eam rigabo.* Doederlein vertit: *circumeo eam*, a שׁוּק *circumire*, et conferre jubet Pf. LXV, 11. Quod vero Michaelis in *Additamm. ad Biblioth. Orient.* P. XIV. p. 72. affert, אַשְׁקֶנָּה referri posse ad verbum נָשַׂק *accendit*, ut sensus sit, *alio tempore eandem accendam*, id Schnurrerus merito ab hoc loco plane alienum judicat. פֶּן יִפְקֹד עָלֶיהָ *Ne quis invadat eam.* Verbum פָּקַד sequente עַל est *venire contra aliquem* animo nocendi ut apparet collatis locis Jerem. IX, 25. XIII, 21. Vertendum est impersonaliter, *ne quis invadat, invadatur*, scilicet supplendum est Participium, פֹּקֵד, ut notum. Quum in multis codicibus, tam manu quam typis exscriptis, pro יִפְקֹד legatur אֶפְקֹד, et voculam פֶּן non exprimant versiones veteres, praeter Vulgatam, quae habet, *ne forte visitetur contra eam;* Lowthus, Hubigantio auctore, legendum putat: אֶפְקֹד עָלֶיהָ *observabo eam, ejusque curam geram.* Sed recte negat Michaelis, cum quo et Schnurrerus consentit, vocem פֶּן repudiari posse, quod primo in nullo codice Kennicotti desideretur, deinde, quod omnino est gravius, quod non satis tuto consequatur, a veterum exemplis illam abfuisse, denique quod probabilis ratio concipi non queat, quomodo in seriem orationis irrepere eadem potuerit. Ipse Michaelis interpretatur, *nullum foliorum ejus desiderabitur*, Joseph. Kimchium sequutus, cui Gussetius quoque accessit in *Commentar. Ling. Hebrr.* voce מן p. 668.

4. Locus, si quis alius, impeditus et ab interpretibus varie tentatus. Sed ante omnia notandum, Graecum Alexandrinum et Syrum pro חֵמָה *iracundia* legisse חוֹמָה *murus*, quam vocem prior horum, Graecus, ad versum superiorem traxit. Ejus enim membrum posterius

rius vertit ita: ἁλώσεται γὰρ νυκτὸς, ἡμέρας δὲ πεσεῖται τὸ τεῖχος. Versum hunc quartum vero hoc modo reddidit: Καὶ οὐκ ἔστιν, ἣ οὐκ ἐπιλάβετο αὐτῆς· τίς με θήσει φυλάσσειν καλάμην ἐν ἀγρῷ; διὰ τὴν πολεμίαν ταύτην ἠθέτηκα αὐτήν· τοίνυν διὰ τοῦτο ἐποίησε Κύριος ὁ Θεὸς πάντα ὅσα συνέταξε· κατακέκαυμαι. Quae Hieronymus Latine sic interpretatur: *Non est, quae non apprehenderit eam. Quis ponet me custodem stipulae in agro? propter adversariam hanc repuli eam. Idcirco fecit Dominus omnia quae disposuit; combusta sum.* Et in Commentario sensum hujus et praecedentis versus sic exponit: „Juxta LXX. hic est sensus, ut ex persona accipiamus ecclesiae: ego civitas firma, civitas multis vallata hostibus, quae frustra dedi pocula inimicae meae synagogae. Capietur enim nocte, et corruet murus ejus, nullaque erit de adversariis potestatibus, quae non apprehendat eam. Rursum loquar: quid mihi prodest custodire eam, quae stipulam in se habeat, non frumenta, quae ita inculta est, ut veprium plena sit et spinarum, quam salvare volui? Sed quia hostiliter mecum agit, recessi ab ea. Idcirco faciet Dominus, quod minatus est, ut omnes in ea ardeant Romano igne circumdati.“ Ita discrepant Graeca ab Hebraeis, uti nos ea legimus, ut vix cum iis componi possint. Illud tamen haud dubium est, eum verbum יַחֲזֵק initio versus 5. ad initium hujus traxisse. Pressius Hebraeis inhaeret Syrus, cujus haec est interpretatio: ܫܘܪܐ ܠܝܬ ܠܟܝ ܡܢ ܗܘ ܕܝܢ ܣܡ ܒܟܝ ܟܘܒܐ ܘܚܘܫܒܐ ܒܥܓܠ ܐܦܘܚ ܒܗ ܘܐܘܩܕܝܘܗܝ ܐܟܚܕܐ *murus non est tibi* [Gabriel Sionita in Polygl. vertit interrogative: *myrum nonne habes?*]; *quis ergo posuit in te vepres et spinas? brevi flabo in eam, et comburam eam simul.* Cum Syro et Alexandrino pro חֵמָה reponendum esse חֹמָה arbitratur Hubigantius. „Induuntur,“ inquit, „Deus et vinea sermone alterno le-

loquentes. Conqueritur vinea, quod non claudatur muro, quia, tunc regnum Juda patebat incursionibus Assyriorum: *Non sunt mihi parietes; quis dabit mihi veprium sepem?* Respondet Deus, se non modo non murum nec sepem vineae suae additurum, sed facturum, ut conculcetur ab Assyriis.“ Dathius quoque חֵמָה legit, et non solum tria priora hujus versus verba, verum et quae sequuntur, מִי־יִתְּנֵנִי שָׁמִיר שַׁיִת, populo Judaico, sub vineae imagine inducto, tribuit, et illa sic vertit: *muro cinctus non sum; utinam sentibus et propribus munitus essem!* Reliqua, בַּמִּלְחָמָה אֶפְשְׂעָה בָהּ אֲצִיתֶנָּה יָּחַד, quae Dei respondentia putat, reddit ita: *belli tempore eam ingrediar, ejusque curam geram;* videlicet אֲצִיתֶנָּה explicat e Syriaco צות *attendit ad aliquid.* Verum *curam* alicujus rei *gerendi* notionem Syriacum ܨܬ, minime habet; significat enim *aures arrexit, auscultavit, ad aliquid attendit.* Sed fatetur Dathius ipse, suam interpretationem sibi tam parum, quam aliorum versiones satisfacere. Iis qui pro חֵמָה statuunt חֹמָה legendum esse accensendus est et Schnurrerus, qui hanc versus hujus interpretationem dedit: (dices, vinea) *murus* quidem *mihi non est; sentibus et vepribus o si munita sim tempore belli!* (quum dicitur:) *invadam eam penitusque comburam.* חֵמָה tamen omnes quotquot hodie exstant codices exhibent, et jam Hieronymus legit, qui presse inhaerens Hebraeis, prouti nunc leguntur et distinguuntur, ea sic transtulit: *Indignatio non est mihi: quis dabit me spinam et veprem in proelio? Gradiar super eam, succendam eam pariter.* Ad quae in Commentario: „Juxta Hebraicum hic sensus est: ego, qui diebus et noctibus semper meam vineam conservavi, ne exterminaret eam aper de sylva, ne bestiae devorarent, nunquid indignationem non habeo, et nescio ferire peccantem, et reddere unicuique quod me-

meretur? Unde dicit: quis me docebit, ut durus sim, et meam vincam clementiam et in proelio atque certamine truculentus incedam, ut gradiar super vineam, quam antea servavi, et succendam eam, quam meo sepseram muro? An potius id aget fortitudo mea, ut iram differam, et salvem eos? Ἐμφατικῶς autem juxta Hebraicum legendum est: quis me faciet durum atque crudelem, ut vincam naturam meam?" Minus tamen congruit haec sententia toti orationis contextui, in quo de beneficiis a Jova in populum suum collatis agitur. Illi magis consentaneus videri possit sensus, quem Ludovicus de Dieu proposuit. Ejus interpretatio ita se habet: *iracundia non est mihi: quis ponet me veprem, sentem in bello, ut gradiar adversus eam, et eam simul incendam?* id est, desiit ira mea in populum meum, nec quisquam est, qui eam adeo accendere rursus queat, ut in bello efficiar populo meo sentis ac vepris, atque incedens adversus eum totali incendio eum perdam. Obstat tamen huic interpretationi, quod senti ac vepri non convenit, vineam accendere, et consumere. Equidem id agere posset accensa ipsa; sed sic aliud rursus requiritur subjectum, scilicet ignis, ad comparationem supplendam; est enim *sentis* et *vepris*, ligni sterilis et inutilis, ab igne succendi et consumi; non vero, quid aliud accendere et consumere. Josephus Kimchi, cui filius, Davides, adstipulatur, versum exposuit hoc modo: *iracundia mihi non est*, i. e. non sum ad iram pronus, tarde irascor (Nah. I, 3.), *quaecunque* vero vinea *dabit mihi veprem* et *spinam cum bello*, *per eam incedam*, *incendam eam pariter*, i. e. si quae vero gens mihi obsistere et in pugnam mecum descendere audeat, adversus eam ego bellator progrediar eamque perdam. מִי capit Kimchi pro *quicunque*, ut מִי אֲשֶׁר, quomodo et infra LIV, 15. Judic. VII, 3. et saepius usurpatur. Tum vero numquam jungitur Futuro, sed semper Participio vel

vel Nomini, ut docent loca a Noltenio in *Concordantt. Particular.* ſub מִי no. 3. allata. Quod ceterum Kimchi יִתְּנֵנִי capit pro יִתֶּן לִי, ut Joſ. XV, 19. (*terram auſtralem* נְתַתָּנִי pro נָתַתָּ לִי *dediſti mihi*), Job. IX, 18. Jerem. IX, 1., in eo conſentientem habet Vitringam, qui verba מִי יִתְּנֵנִי שָׁמִיר שַׁיִת בַּמִּלְחָמָה ſic interpretatur: *quis ponat*, i. e. det, objiciat, opponat *mihi ſentem ac veprem in bello?* i. e. quis me cum ſente et vepre in bello committat? quis, qui ſentis et vepres eſt, mecum bellum experiri velit? Similiter Kocherus: *excandeſcentia mihi non eſt; quis mihi opponet ſentem vepremque in bello? gradiar contra, incendam illud pariter*, i. e. ſi nonnumquam in populum meum animadverto gravius, non ira id, ſed gratiae affectu fit; at ſi quis per contumaciam opponat ſentem — et quae porro ſequuntur. Sed quum formula מִי יִתֵּן reliquis omnibus V. T. locis ſit optantis vox *utinam!* valens, nec hoc loco ea aliter capienda erit, quamvis et ſic interpretatio difficilis et dubia maneat. Quare haud ſcio, an locus recte exponatur hoc modo: *iracundia non eſt mihi* amplius in vineam meam. Antea iratus fuerat Deus vineae ſuae, ſeu de Iſraelitis improbis et contumacibus poenas ſumſerat; jam negat eam a ſe amplius male habitum iri; quod tamen conditionem complectitur, ſi modo fructus exſpectatos proferat. Jam pergit: *utinam ſentem* et *veprem* haberem *in bello! progrederer in eum, comburerem eum ſimul. Sentis* et vepris videntur dici Judaeorum hoſtes, qui non minus noxii iis fuerunt, quam ſentes et vepres vineae nocere ſolent. Sententia loci haec videtur eſſe: ſi quis hoſtis vineae meae nocere adgrederetur, eum brevi, inſtar ſenticeti, cui ignis injicitur, abſumerem. Eadem imago ſupra IX, 17. X, 17. Nomina שָׁמִיר שַׁיִת per ἀσυνδετὸν ponuntur, ut Exod. I, 2. רְאוּבֵן שִׁמְעוֹן, et Habac. III, 11. שֶׁמֶשׁ יָרֵחַ *ſol et luna.* Suffixa feminina vero, ־נָּה et ־ָהּ neutraliter, ut perſaepe fit,

 uſur-

usurpantur recteque referuntur ad שָׁמִיר שַׁיִת. Eundem sensum, quo hunc versum nos capimus, expressit Chaldaeus: הָא גְבוּרָן סַגִּי קֳדָמַי הֲלָא אִם יְשַׁוּוּן בֵּית יִשְׂרָאֵל אַפֵּיהוֹן לְמֶעְבַּד אוֹרַיְתָא אֶשְׁלַח רוּגְזִי וְחֶמְתִּי בְּעַמְמַיָּא דְּמִתְגָּרָן בְּהוֹן וְאֵשֵׁיצִנּוּן כְּמָא דְמְשֵׁיצֵי אֶשָּׁתָא הוּבָאִי וְכוּר כַּחֲדָא *Ecce facta ingentia multa a me sunt patrata. Nonne si composuerit domus Israel faciem suam, ut faciat, secundum legem, mittam iram meam et furorem meum in populos, qui irruunt in eos, et consumam eos sicut consumit ignis tribulum et spinam pariter?*

5. אוֹ יַחֲזֵק בְּמָעֻזִּי יַעֲשֶׂה שָׁלוֹם לִי *Aut* s. *nisi apprehendat munimentum meum* et *faciat pacem mecum*, i. e. nisi ad me confugeret, quasi ad certum et tutum perfugium, mecumque pacem coleret. Quo significatur, hostes Judaeorum non aliter evasuros esse poenas divinitus in eos immittendas, nisi se iis adgregent, et Jovam cum iis colerent. Particula אוֹ hic valet *nisi*, ut Levit. XXVI, 41. *Contrarius illis ibo abigamque eos inter hostes* אוֹ אָז יִכָּנַע לְבָבָם *nisi tunc humilietur cor eorum.* Phrasis יַחֲזֵק בְּמָעֻזִּי *apprehendet munimentum* s. *perfugium meum*, convenit cum Syriaca ܐܚܕ ܓܘܣܐ *prehendere perfugium* (vid. Castelli *Lexic. Syriac.* p. 26. edit. Michaelis), et ducta est inde quod ad asyla confugiens illa amplectebatur, veluti angulos altaris, ejus religione tutus futurus, quemadmodum 1 Reg. I, 50. de Adonia dicitur: וַיַּחֲזֵק בְּקַרְנוֹת הַמִּזְבֵּחַ *apprehendit cornua altaris*, idemque 1 Reg. II, 28. de Joabo. Neque tamen cum Vitringa מָעוֹז יְהוָה *robur Jovae* significare dixerim *cornua altaris Jovae*, quod *robur* animantium plurium est in cornibus. יַעֲשֶׂה שָׁלוֹם לִי Et nisi *faciat pacem mihi*, i. e. mecum, ut Jos. IX, 15. in historia Gibeonitarum: וַיַּעַשׂ לָהֶם יְהוֹשֻׁעַ שָׁלוֹם *et fecit iis* i. e. cum iis *pacem*. Chaldaeus: אִם יִתְקַטְּנוּן בְּפִתְגָּמֵי אוֹרַיְתִי

אוֹרָיְתִי אִתְעֲבֵד שְׁלָמָא לְהוֹן *si tenuerint verba legis meae, fiet iis pax.*

6. הַבָּאִים יַשְׁרֵשׁ יַעֲקֹב יָצִיץ וּפָרַח יִשְׂרָאֵל *Ventura* quod attinet *radices aget Jacobus, germinabit et florebit Israel.* Pergit in translatione a vinea desumta ad significanda Judaeorum incrementa. Nominativus absolutus הַבָּאִים ponitur pro phrasi plena בַּיָּמִים הַבָּאִים, *venturis diebus*, quae Cohel. II, 16. legitur. Alii הַבָּאִים vertunt *advenientes*, intelliguntque redituros e terris exteris, per quas dispersi erant, Judaeos. Ita Chaldaeus, qui verborum הַבָּאִים יַשְׁרֵשׁ יַעֲקֹב hanc dedit explicationem: יִתְכַּנְשׁוּן מִגּוֹ גָּלְוָתְהוֹן וִיתוּבוּן לְאַרְעֲהוֹן תַּמָּן יִתְיַלְדוּן דְּבֵית יַעֲקֹב *congregabuntur de medio exilii eorum, et revertentur in terram suam, ibi nascentur posteri Jacobi.* Junius et Tremellius: *ut advenientes Jacobi posteri radicentur faciet.* Kocherus: *advenas radicari faciet Jacob.* Sed הַשְׁרִישׁ ut שֹׁרֶשׁ constanti usu valet *radices agere* sive *radices facere*, estque formae activae respectus ad *radices*, ut liquet e Ps. LXXX, 10. ubi de vite, populi Judaici imagine: וַתַּשְׁרֵשׁ שָׁרָשֶׁיהָ *et radices suas radicavit*, i. e. late egit. Job. V, 3. אֱוִיל מַשְׁרִישׁ *stultus radices agens.* יָצִיץ hic non vertendum est *florebit;* neque enim *flos* illud est, quod primo loco ex radice consequitur; sed, quod Schroederus docuit in *Observatt. Selectt. ad Origg. Hebrr.* p. 155., צִיץ saepius est *propullulare.* „Comparatio," inquit, „fit cum arbore, quae postquam radices egit, in altam stirpem emicat, atque profert ramos, frondes, flores, fructusque; quae postrema omnia uno verbo פֶּרַח comprehenduntur." Sensum horum verborum recte expressit Chaldaeus: יִפְשׁוּן וְיִסְגּוּן דְּבֵית יִשְׂרָאֵל *crescent, et multiplicabuntur viri domus Israelis.*

7. הַכְּמַכַּת מַכֵּהוּ הִכָּהוּ אִם־כְּהֶרֶג הֲרֻגָיו הֹרָג *Num secundum plagam percutientis eum percussit eum? num se-*

secundum caedem interfectorum ejus occisus est? Negat vates, Deum ea severitate usum esse erga populum suum, qua erga hostes, quos ad internecionem deleverit. מַכֵּהוּ *Percutiens eum* scil. populum Judaicum, capiendum est collective de hostibus in universum, qui subinde Hebraeos vexarunt et oppresserunt; ii prostrati divinitus non emerserunt unquam, sed regnis imperiisque suis spoliati plane perierunt. In hemistichio altero הֲרֻגָיו *occisis ejus* nonnulli intelligunt hostes Judaeorum, occisos causa Israelis, sive populi Judaici; quasi suffixum ad *Jacobum* vs. 6. sit referendum, ut Jerem. L, 28. נִקְמַת הֵיכָלוֹ *ultio templi ejus*, Jovae, est vindicta ab hostibus sumenda templi Jovani causa. Sed spectare videtur suffixum potius ad מַכֵּהוּ *percussorem*, i. e. hostes populi Judaici, ut הֲרֻגָיו sint qui ex hostibus sunt occisi, ut XXVI, 21. הֲרוּגֶיהָ *occisi ejus* scil. terrae sunt ii qui in terra sunt occisi.

8. In verbis בְּסַאסְּאָה בְּשַׁלְחָהּ תְּרִיבֶנָּה explicandis difficultatem potissimum creat vocabulum סַאסְּאָה, quod, quoniam alias non occurrit, fieri non potuit, quin partes in varias interpretes distraheret. Horum varias sententias diligenter collegit et dijudicavit Aurivillius in Dissertat. *de vocibus nonnullis rarioribus in Propheta Esaja* (in ejus Dissertatt. junctim a Michaele editis, p. 549.). Nos potiorum tantummodo mentionem faciemus. Interpretes veteres et Judaei raro consensu vocabulum illud סַאסְּאָה ad סְאָה, quatenus *mensuram* putetur significare, referunt. Sic Aquila et Symmachus: ἐν σάτῳ σάτον, et Theodotion: ἐν μέτρῳ μέτρον. Chaldaeus: בְסָאתָא דַהֲוֵיתָא כָאֵיל בַּהּ יְכִילוּן לָךְ *mensura, qua metiens fueras metientur tibi;* Syrus: ܒܟܝܠܐ ܕܟܠܬ ܬܕܘܢܝܘܗܝ *mensura qua mensus est judicabis eum;* et Hieronymus: *in mensura contra mensuram*, quod idem

porro

porro in vulgatam versionem latinam transivit. Hinc recentiorum plurimi praeeuntibus Rabbinis, *mensurae* quidem notionem tenuere, sed inflexam adeo, ut explicarent, *moderate, modice, non ultra mensuram.* Sic Vitringa: *modice, cum eam* (plagam, מַכָּה, ex versu anteo. repetendum) *immitteres* (qua significatione verbum שָׁלַח saepius usurpatur, veluti Levit. XXVI, 25. coll. Amos IV, 10. Malach. II, 2.), *cum illa objurgabas.* Eandem *mensurae* significationem tenens, sed vocabulum nostrum in duas voces distinctas dividens, בְּסְאָ סְאָה, Michaelis vertit: *mensura pro mensura, Mass für Mass.* Sed illum vocis סַאסְּאָה significatum haud pauci recentiorum in dubium vocarunt potissimum ideo quod סְאָה non mensuram quam demumcunque, in universum, notat, sed definitam, nec nisi aridorum, videlicet Ephae partem tertiam. Dein, quod forma vocis, quia duplicatas duas radicales offert, soletque hujusmodi duplicatio radicalium significatum intendere potius ac fortiorem facere, magnae potius ac duplicatae veluti mensurae vim cogitandam praebeat. Non sint audiendi, qui, referente Simonis in *Lexico*, סַאסְּאָה *acumen redarguendi* esse volunt, collato aethiopico סאסא *facundia.* Castellus in *Lexico Heptagl.* col. 2446. habet haec: „סַאסְּאָה, f. mensura; *al. a* סַאסֵא, migrare fecit, ה *Affixum; vid.* סאא *sic conveniret cum sequ.* שִׁלְּחָהּ Esaj. XXVII, 8." Ad vocem autem סָא, col. 2444. sic disserit: „סָא, migravit, *i. q.* נסע *transtulit;*" Davide de Pomis et Guidone Fabricio auctoribus. Forsan ex hoc fonte hausit Koppius, in nott. ad Lowthium, dum significationem *migrandi* adoptat, ita quidem, ut formam sumat Infinitivi, et ה finale, uti et ante in Libro radicum David Kimchi, habeat pro affixo, eandem personam respiciente, ac ה ultimum in proximo בְּשַׁלְּחָהּ. Nec diffitendum, apte satis, non forma solum, sed et sensu, tum cohaerere utramque vocem, integramque periodum:

בְּסַאסְּאָה

בְּסַאסְּאָה בְּשַׁלְּחָהּ תְּרִיבֶנָּה haud incommode verti posset: *dum migrare eam coges, dum dimittes eam, caussam adversus eam ages tuam.* Sed supra allatae auctoritates ad stabilendam significationem *migrandi*, an sufficiant, recte dubitat Schnurrerus. Praeterea Aurivillius monet, primum, ה finale in סַאסְּאָה, quia puncto Mappik careat, formam femininam prodere magis, quam affixum aliquod pronominale. Deinde punctationem, quam exhibeant vulgares libri, quae Infinitivum argueret, videri dubiam, si fidem mereatur nota marginalis ad בְּסַאסְּאָה in Codice Ms. Upsaliensi Pentateuchi et Haphtararum: ס״א בְּסַאסְּאָה וכן נ״ל עיקר, i. e. *liber alius*, vel etiam, *libri alii habent* בְּסַאסְּאָה *et sic videtur mihi fuisse in origine.* Consentit Menasseh Ben Israel in Bibliis Hebraicis ab se editis Amstel. 1635. 4., in quibus eadem voci subjecta puncta sunt, haud dubie, quod in antiquis is etiam codicibus eadem repererat. Forma vocis tum rectissime haberetur Nominalis feminini generis. Nihilominus Infinitivum et *migrandi* significationem ursit Hubigantius, postquam legere jusserat בְּסַעְסְעָהּ, et radicem סעס posuerat, quorum prius nuda conjectura invitis codicibus, hus usque exploratis, omnibus, peperit; alterum Grammaticae insuper analogiae repugnat. Sunt, qui ex Arabica dialecto allaturi suppetias, nunc verbum زَعْزَعَ *movit, commovit*, cogitarint, nunc سَاسَا et شَأْشَأَ, ὀνοματοπεποιημένα, quae ambo adhibentur de clamore eorum, qui voce *sa sa asinos et pecora alia ad potum* vocant, et posterius de *increpatione ovium* usurpatur; hinc locum nostrum vertunt: *cum valida increpatione litigasti cum ea, dum immitteres illam*, scil. *plagam.* Hanc interpretationem praecipue commendare statuit Herm. Muntinghe in *Dissert. Phil. Crit. ad quaedam Vet. Test. loca, praes.* Nic. Guil. Schroeder, Groning. 1775. Observ. X. Verum per-

perquam est dubium, num Hebraeis etiam verbum illud Arabicum usitatum fuerit, quod praeterea levius quid et minus decorum significat, quam ut inde vox nostra illustrari possit. Doederlein vocabulum סַאסְּאָה eandem cum שׁוֹאָה notionem habere existimat (quum litterarum ס et שׁ permutatio satis frequens sit) *tumultus*, *impetus cum fragore et vi magna conjunctus*, veluti turbinis alicujus (רוּחַ קָשָׁה). Verbum שַׁלַּח interpretatur *emittere*, quasi solutis vinculis, sive liberius proferre, quod et ipsum de spiritu sive vento dicatur Ps. CIV, 30. (שַׁלַּח רוּחַ). Denique רִיב de sententia judicis intelligit, qua reus condemnatur. Hinc prodit haec versio: *Impetum quidem* (hostis), *dum vehementius erumpit*, *tu condemnas*, coerces, punis. Nempe suffixa feminina refert ad vocem סַאסְּאָה. Sed desideratur exemplum significationis, quam Doederlein verbo רִיב tribuit. Schnurrerus de recta interpretatione vocis סַאסְּאָה proferenda ipse plane desperavit, nec eam expressit in versione hujus capitis. Aurivillius in Dissertat. supra laudata vocem hebraeam ex arabico ساء (pro سوأ) *malus fuit*, *male habuit*, et in Conjug. II. *arguit mali*, *vitio vertit*, explicari posse autumat, habetque סַאסְּאָה pro nomine a Piel (סאסא) derivato, quod *exprobrationem*, *accusationem* denotet, unde locum sic vertit: *gravi accusatione*, *quum eam* (gentem) *dimittes*, *caussam adversus eam ages tuam*. J. A. Tingstadio in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* p. 41. vox hebraea est forma paragogica Infinitivi quadrata Pilhelica verbi סוא vel סאא, quod conferendum putat cum Arabico شأى *dispersus fuit*, unde hebraea sic interpretatur: *ita dimittendo* (gentem Israeliticam) *ut inter barbaros dispergeretur*, *causam cum illo egisti justam*. Quae interpretatio tamen fundamento nequaquam solido nititur, quum verbum arabicum potius *praecessit*, *praevertit* significet, et in VIII. demum Conjugatione

gatione *ab invicem recesserunt, dispersi fuerunt.* Nobis tamen quae *mensurae* significationi a veteribus omnibus expressae obvertuntur, tanti non videntur, ut illam deseramus. Habet vero סַאסְּאָה, forma duplicata vocis סְאָה *mensura*, ut pleraeque ejusmodi formae, vim augmentativam, et significat *mensuram exactissime mensurantem*, i. e. justissimam. Quae notio toti huic orationi accommodatissima est. Quum enim versu superiore Jacobitas eadem severitate, qua hostes eorum, punitos fuisse negatum esset, in hoc versu meritam tamen atque ad justitiae leges exacte mensuratam poenam eos dedisse asseveratur. Cf. Jerem. X, 24. יַסְּרֵנִי יְהוָה אַךְ בְּמִשְׁפָּט *castiga me, Jova, sed justâ mensurâ.* Et XXX, 11. *Quum sim gentes omnes, quo te dispersero, prorsum perditurus, te tamen non prorsum perdam,* וְיִסַּרְתִּיךָ לַמִּשְׁפָּט *ad castigabo te in judicio,* cum modo et moderatione, *et insontem te non habebo.* Quod repetitur XLVI, 28. בְּשַׁלְּחָהּ nonnulli cum Vitringa vertunt: *eum immitteres eam* scil. plagam, ut suffixum femininum ad מַכַּת versus 7. initio referatur. Sed quum שִׁלַּח et *dimittere* significet, et verbi ejus usus solennis in dimissione conjugis sit, vid. Deut. XXIV, 1. 3. Jerem. III, 1. 8. infra L, 1.; malumus vertere: *in dimittendo eam* s. *cum dimitteres eam* tanquam adulteram, ut sensus sit, Deum, quum potuisset ex severitate justitiae suae Judaeos ex lege tanquam uxorem adulteram tradere morti, eo tamen moderamine cum gente foedifraga egisse, ut eam miserit in exilium, suo tempore in patriam reducendam. Suffixa feminina ad בְּשַׁלְּחָהּ et תְּרִיבֶנָּה ad idem subjectum, ad quod ejusdem generis suffixa vs. 3. respiciunt, videlicet ad כֶּרֶם *vineam*, quod nomen in toto hoc carmine ut femininum tractatur, vid. not. ad vs. 2. 3. Neque quo minus בְּשַׁלְּחָהּ vertamus *quum dimitteres eam*, hoc obstat, quod *vinea* proprie dici non possit *dimitti*, nam uti poetis Hebraeis non infrequens est, tropicis pro-

propria admiſcere, ita nec a permiſcendis variis metaphoris abstinent. Vid. nonnulla ejusmodi catachreſeos exempla in Glaſſii *Philol. S.* p. 1278. תְּרִיבֶנָּה *Litigabas cum ea* vinea ſ. conjuge tua; conſtruitur alias cum particulis אֵת vel עִם, hic vero cum Accuſativo perſonae, uti et Deut. XXXV, 8. Job. X, 2. *Litigare, contendere* Deus dicitur cum homine, quando eum ob peccata increpat, eique graviter ſuccenſet, et vindictam in eum exercet, Jerem. II, 9. Amos. VII, 4. Pſ. CIII, 9. Quod autem propheta, ſermone ad Jovam converſo dicit תְּרִיבֶנָּה, ſecunda perſona, nihil habet, quod lectorem offendere debeat; quum, uti et monet Schnurrerus, familiare ſit Hebraeis, prophetis maxime, in ſtylo concitatiore variare ſermonem atque ad aliam ſubinde perſonam ſeſe convertere. Ita hoc loco ad tertiam perſonam redit, dum in altero hemiſtichio addit: הָגָה בְּרוּחוֹ הַקָּשָׁה בְּיוֹם קָדִים *amovit* eam *vento ſub duro die* flantis *euri.* Verbum הָגָה Hieronymus et Chaldaeus *meditandi* ſignificatu ceperunt, quo ſaepius uſurpari conſtat. Ille enim vertit; *meditatus eſt in ſpiritu ſuo duro per diem aeſtus;* ad quae in Commentario: „propterea Deus in ſpiritu ſuo duro atque vehementi meditatus eſt, ſive loquutus contra eam in die aeſtus, hoc eſt, in perſequutionis tempore, quando ardentior indignationis tempus eſt atque poenarum." Similiter Chaldaeus: הֲגֵי עֲלֵיהוֹן בְּמֵלָּא מַתְקִיף עֲלֵיהוֹן בְּיוֹם לְוָט *meditatus eſt contra eos ſermonem, corroboravit ſe contra eos in die maledictionis.* Sed minus commodus hic, ubi a vento imago deſumta, *meditandi* eſt ſignificatus. Recte notat Kimchi, הָגָה hic הֵסִרָה *amovendi* notione capiendum eſſe, ut 2 Sam. XX, 13. כַּאֲשֶׁר הֹגָה מִן־הַמְסִלָּה *cum amotus eſſet a via.* Et Prov. XXV. 4. הָגוֹ סִיגִים מִכָּסֶף *amovendo ſcorias ab argento*, atque vs. 5. הָגוֹ רָשָׁע לִפְנֵי מֶלֶךְ *amovendo impium* qui eſt *coram rege.* Hoc loco poſt הָגָה ſubaudiendum eſt אוֹתָהּ *eam* ſcil. vineam, i. e. vi-

vites. Recte Saadias vertit نسفها removit eam. בְּרוּחוֹ הַקָּשָׁה *Vento suo duro*, i. e. vehementi, violento, qui statim קָדִים *eurus* vocatur, obvia quaevis abripiens, cf. Jerem. XVIII, 17. Job: XXVII, 21. Hoc vult vates, Deum, cum a patria abducti sunt Judaei ab hostibus, eos quasi turbine ejecisse.

9. לָכֵן בְּזֹאת יְכֻפַּר עֲוֺן־יַעֲקֹב וְזֶה כָּל־פְּרִי הָסִר חַטָּאתוֹ *Sed hoc ipso expiabitur iniquitas Jacobi, et hic* erit *omnis fructus τῦ amovere peccatum ejus*, i. e. peccati sui amoti. Voculam לָכֵן hic ea significatione esse sumendam, quae apud Arabes in usu est, *verumtamen*, *sed*, scite Schnurrerus observat. Cf. not. ad Hos. II, 15. Sensum enim loci recte hunc esse ait, graviter puniri quidem a Jova, atque vastata patria et deleta urbe in exilium agi populum ex Jacobo oriundum, verumtamen hanc rem eum effectum esse habituram, ut poena persoluta culpa quoque omnis populi deleta sit atque sublata. זֶה neutraliter sumendum respicit id, quod proxime de expiando populi crimine dictum est. חַטָּאת non est delictum ipsum, neque, quod Koppio videtur, perpetrati criminis poena, sed id, in quo peccatum versatum est. Hoc sensu nomen occurrit etiam apud Hoseam X, 8. וְנִשְׁמְדוּ בָּמוֹת אָוֶן חַטַּאת יִשְׂרָאֵל *destruentur nefanda illa loca excelsa, objectum peccati Israelis;* nec non Deut. IX, 21. וְאֶת־חַטַּאתְכֶם אֲשֶׁר־עֲשִׂיתֶם אֶת־הָעֵגֶל לָקַחְתִּי וָאֶשְׂרֹף אֹתוֹ בָּאֵשׁ *objectum peccati vestri, quod confeceratis, nempe vitulum, sumtum combussi.* Eandem vero vocis חַטָּאת vim et potestatem etiam hoc nostro loco obtinere, ex eo perspicitur, quod latior formula, הָסִר חַטָּאת, statim illustratur ac definitur commemorandis nominatim aris, lucis, simulacris. בְּשׂוּמוֹ כָּל־אַבְנֵי מִזְבֵּחַ כְּאַבְנֵי־גִר מְנֻפָּצוֹת *Dum ponet, reddet omnes lapides altaris ut lapides calcis dispersos.* Pronomen in voce בְּשׂוּמוֹ, Schnurrero notante, non est referendum

ad

ad populum, ut multi interpretes existimant; sed pertinet omnino ad eam personam, ad quam verbum הֵסִיר respicit; populus autem Judaicus dici vere non potest ipse removisse atque abjecisse instrumenta vanae religionis: sed Jova est, qui aras diruit, lucosque et statuas dejecit tum, cum omnem terram Judaicam vastandam diripiendamque traderet Babyloniis. Igitur ad Jovam referri debet בְּשׂוּמוֹ. מִזְבֵּחַ est collective capiendum pro מִזְבְּחוֹת *altaribus* idolorum cultui et superstitioni consecratis. Formula, *lapides altarium reddere ut fragmenta calcis dissipata*, inde orta esse videtur, quod, ubi structura lapidum calce vinctorum diruitur, fragmenta calcis induratae sparsa conspiciuntur. Codex bibliothecae Bodleianae Oxoniensis, qui est inter Kennicottianos primus, pro גִּר exhibet קִיר, *paries*, quod haud ineptum quidem huic loco, nequaquam tamen est necessarium. לֹא־יָקֻמוּ אֲשֵׁרִים וְחַמָּנִים *Non stabunt*, consistent, *statuae et imagines* deorum. De אֲשֵׁרִים et חַמָּנִים vid. not. ad XVII, 8. Bene Saadias utroque hoc loco vertit: السَّوَارِي وَٱلْأَنْصَابُ *columnas et simulacra.*

10. כִּי עִיר בְּצוּרָה בָּדָד *Nam urbs munita solitudo*, i. e. vastata et deserta erit. Urbe munita plures interpretes Hierosolymam intelligunt. Sed ii laborent necesse est in ostendendo nexu hujus orationis cum superiore. Quum enim in eo sit vates, ut praedicat Judaeae genti instaurationem et prosperitatem sui status, et hostium internecionem, mirum videatur, prophetam jam praeter et contra argumentum totius vaticinii praedicere desolationem hujus urbis. Dubium vix esse potest, eandem hic intelligendam esse urbem, quae supra XXV, 2. קִרְיָה בְצוּרָה, porro XXVI, 5. קִרְיָה נִשְׂגָּבָה, et XXIV, 10. קִרְיַת תֹהוּ vocatur, quibus locis vidimus indicari ur-

urbes munitas Hebraeis adversarias. Eaedem hic superstitionis et idololatriae sedes et scaturigines evertendae dicuntur. Ceterum in phrasi בְּצוּרָה בָּדָד vox בָּדָד proprie valet *solitudo* vel *solitarium quid*, alias enim בְּדוּדָה scribendum fuisset. Quod sequitur, נָוֶה מְשֻׁלָּח וְנֶעֱזָב כַּמִּדְבָּר; sunt qui vertant: *caula disjecta et derelicta instar deserti;* nec adeo male, quum נָוֶה haud raro *caulam* denotet, ut Bochartus *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. XLIV. T. I. p. 519. edit. Lips. pluribus docuit. Sic diceret vates, commodam ovium mansionem futuram esse dissipatam et relictam instar deserti, ut נָוֶה et מִדְבָּר sibi invicem opponantur. Similiter Schnurrerus vertit: *etenim urbs munita est solitudo instar pascui absque gregibus, derelicta instar deserti.* „נָוֶה," inquit, „dictum est pro כְּנָוֶה, etenim formula נָוֶה מְשֻׁלָּח, in qua, ut et in verbis קֵן מְשֻׁלָּח Jesaj. XVI, 2., metonymia est, qualis est in dictione הָעִיר הַיֹּצֵאת Amos V, 3., הָאָרֶץ מֵשֵׁב et similibus, respondet voci מִדְבָּר, quemadmodum parallela quoque sunt בָּדָד et נֶעֱזָב. Sensus itaque est, in urbe olim munitissima eam nunc esse hominum infrequentiam, eamque solitudinem, qualis soleat esse in pascuo, unde abacti ejectique sint greges." Sed quum statim addatur, fore, ut in loco urbis illius munitae pastum eant vituli, pate., phrasi נָוֶה מְשֻׁלָּח וְנֶעֱזָב significari *mansionem* hominum *dissipatam et desertam*, i. e. cujus incolae abacti et dissipati sunt, ut locus ipse instar deserti appareat, cf. not. ad Jes. XVI, 2. De *mansione*, domicilio *hominum* legitur נָוֶה Prov. III, 33. XXI, 20. XXIV, 15. Bene Saadias: وَمَاوِيهِم مُخَلَّاةٌ مَتْرُوكَةٌ *et mansio eorum desolata* et *derelicta.* Sensus igitur est, urbem, de qua agitur, palatiis aedibusque splendidissimis destructis convertendam esse in desertum, quod pascentes greges pererraturi sint. Quod diserte dicunt verba quae sequuntur: שָׁם יִרְעֶה עֵגֶל וְשָׁם יִרְבָּץ וְכִלָּה סְעִפֶיהָ *ibi*

pascet

pascet vitulus, et ibi recubat, absumetque ramos ejus. Urbis solum ipsum agri faciem habebit gramine fruticibusque obducti, ut vituli ibi pastum ire possint. סְעִיפֶים sunt *ramusculi* arborum fruticumque, quos boves aeque ac herbas carpere notum est, vid. BOCHARTI *Hieroz.* P. I. Lib. II. c. 31. T. I. p. 302. edit. Lips. Dicuntur *rami urbis*, quod sint eo in loco, quem antea urbs occupaverat. Neque opus est significatione vocis Arabicae شَعَفَةٌ *vertex montis*, qua Koppius utitur, nec non Michaelis, qui vertunt, *ac depascent colles ejus.* Saadias: حَتَّى تُفْنِي أَغْصَانَهَا *ita ut consumant* (البَهَايِمُ *pecudes*) *ramos ejus.* Chaldaeus posterius versus hemistichium ita exposuit: בַּהּ יְגִיחוּן צַדִּיקַיָּא וְיִבְזוּן יַת נִכְסָהָא וִישֵׁיצוּן מַשְׁרִיתְהָא מִלְּמִפַּק *Eam* (urbem munitam) *expugnabunt justi, et diripient facultates ejus, et consument exercitum ejus ne prodire queat.* Ex mente interpretis vates hic figurate effert quod supra XXVI, 5. proprie dixerat: *Quia depressit civitatem alte evectam, conculcabit eam pes, pedes pauperum, gressus tenuium.* Quod sequutus Vitringa per *vitulos* indicari putat homines pios, florentes (coll. XI, 6.), et per *ramusculos* arborum reliquias copiarum, facultatum, bonorum, quae urbi ab hostibus vastatae supersint. Sed recte monet Dathius, non esse argutandum in explicandis membris singulis orationis poeticae, et quae posteriore hujus versus et priore proximi versus hemistichio leguntur pertinere ad exornandam descriptionem urbis penitus desolatae.

11. Primum hujus versus membrum, בִּיבֹשׁ קְצִירָהּ תִּשָּׁבַרְנָה, Hieronymus vertit: *in siccitate messis illius conterentur.* Sic praeiverat Symmachus: ἐν τῷ ξηρασθῆναι τὸν θερισμὸν αὐτῆς συντριβήσονται. Convenit Saa-

dias:

dias: اذا يبست فروعها تكسرت *cum exaruerint segetes ejus frangentur.* Ceperunt hi interpretes nomen קְצִיר significatu *messis*, vel *frugum*, *quae tempore messis abscinduntur*, ut Levit. XIX, 9. XXIII, 22. et saepius. Inter recentiores eodem adhibito significatu Dathius vertit: *cum arescet messis illius, frangentur.* Sensus, si eum in se spectes, haud quidem esset incommodus, futurum esse, ut cum aruerit messis urbis istius munitae, i. e. si justum poenae tempus advenerit, (cf. Apocal. XIV, 15.), confringatur et destruatur. Obstat tamen huic interpretationi, quod ea adscita non facile reddideris rationem vocis תִּשָּׁבַרְנָה *confringentur*, neque enim convenit *civitati*, עִיר, quae parum commode *frangi* dicitur, nec notioni *messis*. Accedit, quod propheta, si illud voluisset, scripturus fuisset potius: *cum maturuerit messis ejus* (ut Joel IV, 13.), pro eo quod hic legitur *aruerit*. Praeterea *matura messis* non solet incendi, ut statim subjicitur, sed colligi. Quare satius erit, cum Aben-Esra et Kimchio amplecti alteram nominis קָצִיר significationem, qua notat עֲנַף הָעֵץ *ramum arboris*, *palmitem*, quo sensu vox inter alia occurrit Job. XXIX, 19: וְטַל יָלִין בִּקְצִירִי *et ros pernoctat in ramo meo.* Est scilicet *ramus* vel *surculus*, qui facile amputatur, sive praeciditur, quae est originaria significatio thematis קָצַר. Quod verbum femininum plurale תִּשָּׁבַרְנָה cum nomine masculino singulari construitur, nil habet admodum insoliti, nam cum nomine collectivo, quale hic קָצִיר est, verbum plurale saepe jungitur. Et ad generis diversitatem quod attinet, dici possit animo scriptoris hic obversatum esse nomen סְעַפֹּתֶיהָ, femininum proxime praecedentis סְעִיפֶיהָ, vel פֹּארֹתֶיהָ, *rami ejus*, quae utraque forma Ezech. XXXI, 8. occurrit; sic ibid. vs. 12. legitur תִּשָּׁבַרְנָה פֹארֹתָיו. Vel adhibetur verbum femininum plurale neutrali sensu. Quicquid sumas, non est dubium,

dubium, alludi ad arborem, a qua metaphoram jam sumserat versu superiore, cujus rami et palmites arefacti facile confringuntur, et igni subministrant pabulum, quod addit: נָשִׁים בָּאוֹת מְאִירוֹת אוֹתָהּ mulieres veniunt et incendunt eam, sive neutraliter, illud omne ramorum arefactorum et confractorum. מְאִירוֹת hic non sunt illuminantes, sed incendentes, ita הֵאִיר et Mal. I, 10. usurpatur: לֹא תָאִירוּ מִזְבְּחִי חִנָּם non incendetis ignem in altari meo frustra. Ipsum nomen אוּר ignem notare constat. In altero hemistichio ratio additur, cur urbs illa adversaria sit destruenda, quod incolae ejus sint לֹא־עַם בִּינוֹת non populus intelligentiarum, i. e. indocilis et imprudens, adeoque indignus, qui longiore conditoris sui venia fruatur et indulgentia.

12. וְהָיָה בַּיּוֹם הַהוּא Et futurum est die illo, cum hostium potentia penitus infracta fuerit. Praedictionibus de hostium interitu exitioque prophetae solent spem reditus Hebraeorum e terris, per quas dispersi sunt, in patriam, et reipublicae restituendae jungere. Et hoc quidem loco reipublicae Hebraicae restauratio nova plane imagine sistitur: יַחְבֹּט יְהוָה מִשִּׁבֹּלֶת הַנָּהָר עַד־נַחַל מִצְרָיִם Excutiet Jova a fluxu fluvii usque ad amnem Aegypti. Verbum חָבַט, quod aliquod excutere vel succutere significat, usurpatur tam de tritico aut leguminibus, quae bacillo excutiuntur spicis, sive aristis aut tegumentis, quibus involvuntur, ut Judic. VI, 11. et infra XXVIII, 27., vel de fructibus arborum, ut ficubus, olivis, quae vehementiore arborum succussione vel decussione excutiuntur, et excussae colliguntur, ut Deut. XXIV, 20. Atque verbum לָקַט, quo vates in hemistichio altero utitur, cujus propria vis et potestas est humi legere, ostendit imaginem desumtam esse a fructibus arborum decussis, grana enim, quae baculo excutiuntur, acervantur quidem, sed non solent singuli humi

colligi. Excussurus autem Deus dicitur regiones מִשִּׁבֹּלֶת הַנָּהָר עַד־נַחַל מִצְרָיִם *inde a fluxu fluminis usque ad torrentem Aegypti*, i. e. ab Euphrate ad confinia Aegypti, quomodo limites terrae Abrahamo promissae Genes. XV, 18. 19. nec non regni Salomonei 2 Chron. IX, 26. definiuntur. Significatur ingens aliqua totius illius Euphratem inter et Aegyptum tractus commotio, qua Hebraei ab iis, qui illas terras vi et injuria occupatant, et quorum sub potestate oppressi vivebant, separarentur et libertati restituerentur, quemadmodum poma cum excutiuntur ab arbore, cujus partem fecerant, separantur. Ejecti igitur peregrini locum cedent iis, quibus ille terrarum tractus a Deo olim assignatus fuerat, ut ibi in posterum nationem distinctam, piam, felicem constituant. In phrasi מִשִּׁבֹּלֶת הַנָּהָר certum haberi debet, per נָהָר hic intelligi Euphratem, ut supra VII, 20. VIII, 7. XI, 15. שִׁבֹּלֶת vero Kimchi recte explicat חוזק מרוצת הנהר *validiorem cursum fluvii*, quomodo manifeste sumitur Ps. LXIX, 3. *Veni in profunda aquarum*, וְשִׁבֹּלֶת שְׁטָפָתְנִי *et fluxus obruit me*; et ibid. vs. 16. אַל־תִּשְׁטְפֵנִי שִׁבֹּלֶת מַיִם *ne obruat me fluxus aquarum*. E cognato Arabico سبيل *viae semita*, colligere licet, vocem proprie significare *ductum*, *meatum*, vel qualemcunque rem aliam, quae se longius extendit. Fluvii respectu est *fluctus* se cum impetu quam longissime potest protendens. J. D. MICHAELIS in *Supplemm.* p. 2277. per שִׁבֹּלֶת הַנָּהָר *inundationem fluminis* designari putat Euphratem, qualis circa Babylonem verno tempore ripas supergressus restagnat, inque maris morem campis innatat. Simile quid dedit Saadias, qui vertit: من ثياب الفرات *inde a locis humidis Euphratis*. Per נַחַל מִצְרָיִם *torrentem Aegypti*, qui et 1 Reg. VIII, 65. 2 Chron. VII, 8. australis Cananaeae limes constituitur, non intelligi

ligi Nilum, sed fluvium quendam urbi Rhinocolura, sive Rhinocolurae, in ipsis Palaestinae et Aegypti confiniis sitae, vicinum, post RELANDUM *Palaest.* p. 285. 969. sequ. solidis argumentis ita comprobavit CONR. IKENIUS in Dissertat. *de finibus terrae promissae* (quae est *tertia* Voluminis II. *Dissertatt. philologico-theologicar.* post auctoris obitum a J. A. Schacht editar. Trajecti Batav. 1770. 4.) §. V—XII., ut dubitationi non relictus sit locus. Cf. et J. E. Fabri not. ad *Observatt. super Oriente* ex Anglico a se germanice factas P. II. p. 209. In locum veteris Rhinocolurae successit oppidum العريش *el-Arisch* dictum, prope quod fluvius, idem haud dubie, qui in V. T. *fluvius Aegypti*, appellatur (vid. Ikenium l. c. §. XII. XIII. et seqq.). Quare recte Saadias hoc loco vertit: إلى وَادِ ٱلْعَرِيشْ *usque ad torrentem el Arisch.* Hieronymus: „Pro *torrente Aegypti* LXX. Rhinocoruram transtulerunt, quod est oppidum in Aegypti Palaestinaeque confinio, non tam verba Scripturarum, quam sensum verborum exprimentes." Additur: וְאַתֶּם תְּלֻקְּטוּ לְאַחַד אֶחָד בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *et vos colligemini ad unum unus, filii Israel*, i. e. singuli sive per singulos, ita ut unus ad alium aggregetur. Qui post ingentem illam tractus Euphratem inter et Aegyptum commotionem superstites erunt Judaei colligentur et in unum populum congregabuntur, qui vero per alias terras dispersi vixerint omnes, quasi signo dato, in patriam redibunt, contribulibus sese aggregaturi, quod versu proximo dicitur.

13. יִתָּקַע בְּשׁוֹפָר גָּדוֹל וּבָאוּ הָאֹבְדִים בְּאֶרֶץ אַשּׁוּר
Clangetur buccina magna, venientque perituri in terra Assur. אֹבֵד non *perditum*, sed *pereuntem* et *periturum* notat, ut Deut. XXVI, 5. אֲרַמִּי אֹבֵד אָבִי *Aramaeus periens pater meus*, i. e. miser, vagabundus.

Cf. Job. XXIX, 13. Prov. XXXI, 6. „Reditus Israelitarum ex Aegypto et Assyria describitur sic, ut buccina grandi clangatur, veniantque et ex Assyria et Aegypto exules Hierosolymas. In quo orationis schemate ineptissimum esset quaerere, quidnam illud sit, cujus imaginem buccina, eaque praegrandis, hic sustineat? Etenim constat solemne fuisse cum Judaeis, tum aliis populis, ad excitandam convocandamque multitudinem adhibere buccinas. Sensus itaque est, fore, ut velut classico avocati advolent, et Hierosolymas, ad restauranda ibi pristina sacra concurrant, qui essent per Assyriae Aegyptique latos fines dispersi Judaei." SCHNURRER.

CAP. XXVII. 1. *Die illa animadvertet Jova gladio suo duro illo, et magno et valido in Leviathanem, serpentem rectum, atque in Leviathanem, serpentem tortuosum; interficietque draconem marinum.*

2. *Die illa de vinea canite sic:*

3. „*Ego Jova custodio eam, subinde eam rigabo: ne quis damnum illi inferat, noctu diuque eam custodiam.*

4. *Iracundia mihi non est* (amplius in vineam meam). *Utinam sentem* et *veprem haberem in bello! progrederer in eum, comburerem eum simul.*

5. *Nisi apprehendat munimentum meum*, et *faciat pacem mecum, pacem*, inquam, *mecum faciat.*

6. *Consequente tempore radices aget Jacob, pullulabit germinabitque Israel, et replebunt orbem proventu.*

7. *Num plaga, quali* percussi sunt *percussores ejus, eum percussit? Num caede, quali caesi illorum, caesus est ipse?*

8. *Justa mensura, cum dimitteres eam, cum ea litigasti; amovit eam valido suo vento die* flantis *euri.*

9. *Verum hoc ipso expiatur crimen Jacobi, eritque hic omnis fructus peccati ejus amoti, quum reddet omnes*

ara-

ararum lapides ut calcis frusta dispersa; non resurgent statuae et imagines.

10. Quippe urbs munita erit solitudo; commoratio posthabita et derelicta instar deserti; ibi pascet vitulus, ibique recubabit, atque absumet ejus ramos.

11. Cum aruerint rami ejus, frangentur, mulieres venient et incendent id. Neque enim populus prudens est, idcirco creator ejus misericordia, et conditor ejus clementia non utitur erga ipsum.

12. Et futurum est illa die, ut excutiat Jova inde a fluxu Euphratis ad amnem Aegypti usque; vosque colligamini sigillatim, Israelitae.

13. Futurumque est illa die, ut clangatur buccina grandi, veniantque, qui perituri erant in Aegypto et qui exulabant in Assyria, atque adorabundi se prosternant coram Jova in monte sancto, Hierosolymis.

CARMEN VICESIMUM SECUNDUM.

CAP. XXVIII.

ARGUMENTUM.

Regno Ephraimitico ob fastum et consiliorum vesaniam vates ruinam praenunciat (vs. 1—4.). Reliquo populo suo, seu regno Judaico, Jovam praesidio quidem et ornamento fore spem facit (vs. 5. 6.); sed in proceres et reipublicae administratores, qui vaticinia prophetarum Jovae irrisionibus excipere solebant, et mendaciis imprudentibusque consiliis confisi spes inanes concipiebant, et vano tumore inflati erant, graviter invehitur, iisque minatur, ipsos, nisi omitterent irridere Jovae prophetas, in exsilia missum iri extra terram, quam vitiis criminibusque nimium foedaverint. In illorum reprehensione, et in poenarum iis imminentium denuntiatione major vaticinii pars versatur (vs. 7 usque ad fin.).

Vaticinium hoc editum esse labente jam et inclinata paene Ephraimitarum republica, versus quatuor priores haud obscure produnt. Neque nos conjectura aberrare veremur, si hunc sermonem assignemus illi ipsi tempori, quo Ephraimitae, et ad illorum exemplum factiosi haud pauci Judaeorum proceres, adversus potentiam Assyrii praesidium quaerentes, contra verorum prophetarum contestationes, se stultissimo consilio vertebant ad Aegy-

ptios

ptios, eorumque sollicitabant opem (vid. infra XXX, 2. XXXI, 1.), quae stulta stupidorum hominum consilia versu primo hujus vaticinii sub imagine *temulentiae* perstringuntur. Referendum igitur erit hoc vaticinium ad initia Hiskiae, antequam Samaria a Salmanassare expugnata, populusque cum rege in Assyriam abductus esset, 2 Reg. XVIII, 9. 10. Societatem foederis, quod Pecah, Israelitarum rex, cum Damasci rege, Rezino, inierat, ad regnum Judae communi opera occupandum, quo tempore Judae rex, Ahasus, Assyriorum regi sese mancipavit, ut ab insultibus Syrorum atque Israelitarum ipsum vindicaret, respici hoc sermone existimat J. C. Harenberg in peculiari Commentatione in hoc Caput, quae inserta legitur *Bibliothecae Bremens.* Class. I. Fasc. 2. et 3. p. 253. seqq. Sed quae inde a Cap. XIV, 28. in hoc libro perscripta legimus, Hiskiae aetate consignata fuisse, vidimus ad I, 1. (Vol. I. p. 9.). Nec reperitur in hoc vaticinio, quod nos cogat, Ahasi aetati illud assignare, contra cum eo, quem supra indicavimus, temporis articulo omnia optime conspirant.

Doederlein et Dathius Capite hoc, et duobus quae proxime sequuntur (XXVIII. XXIX. XXX.), unum carmen continuari existimant; Henslerus Capite demum XXXIII. hujus vaticinii finem constituit. In alia omnia abit Koppius, qui non hoc tantum Caput, verum etiam sequentia in plura carmina minora dissecat. Equidem cum Doederleinio et Henslero hactenus consentio, quod ea, quae proxime sequuntur, Capita ad idem tempus, quo nostrum, referenda putem; sed quod viri illi doctissimi existimant, unum in his capitibus continuari carmen, aegre mihi persuadeo. Ceterum in re dubia et incerta, quae maxime sensu atque opinione nititur, quemque suum sensum sequi necesse est.

1. Per

1. Per עֲטֶרֶת גֵּאוּת שִׁכֹּרֵי אֶפְרַיִם *coronam elationis ebriorum Ephraimi*, et צִיץ נֹבֵל צְבִי תִפְאַרְתּוֹ אֲשֶׁר עַל־רֹאשׁ גֵּיא־שְׁמָנִים *florem marcidum decoris ornamenti ejus, qui est super vallem pinguium*, indicatur *urbs* Samaria, non, ut quidam volunt, *regnum* aut *rex*; argumento est, quia *corona ebriorum Ephraimi*, et *flos marcidus ornatus ejus* dicitur esse *super caput* sive *verticem vallis pinguissimae*. Intelligitur ipse *mons Samariae*, in quo haec urbs exstructa fuit ab Omri, Achabi patre (1 Reg. XVI, 24.), cui monti subjecta erat vallis pinguis et fertilis soli, ut passim testantur qui regiones illas invisere, veluti Maundrell (vid. *Sammlung von Reisen in den Orient: herausgeg. von* Paulus P. I. p. 76.), qui de urbe, olim Samaria, deinceps ab Herode rege instaurata, Sebaste dicta, refert, *sitam eam esse in monte oblongo rotundoque figura ovi, prius a valle fertili ac ferace; dein corona collium circumdatam esse.* Furer in *Itiner.* p. 93. *E regione horum ruderum mons est peramoenus, planitie admodum frugifera circumseptus, super quem olim Samaria urbs condita fuit.* Haec utique urbs suo tempore celebratissima, Hierosolymae aemula, et ipso situ cultuque munitissima, recte dici poterat *corona fastiosa*, respectu habito ad figuram ejus et ornamenta superborum aedificiorum, quibus se efferebat urbs dum floreret. Eadem vero urbs hic vocatur et *flos marcidus decoris Ephraimi*, quod illa jam eo tempore exitio suo proxima esset, et post Samaritidem brevi ante vexatam, exhaustamque a Phule, Tiglatho, et ipso Salmane (in initiis Hoseae, ut patet e 2 Reg. XVII, 3.), instar floris decidui inciperet marcescere. Imago *coronae capiti ebriorum Ephraimitarum impositae* desumta est, Grotio observante, a more veterum, qui in epulis et compotationibus serta et corollas e virentibus floribus contextas capitibus suis imponere solebant. Eundem morem

Ju-

Judaeis receptum fuisse, patet e libro Sapient. II, 7. 8. גֵּיא־שְׁמָנִים *Vallis pinguedinum* est fertilissima; cf. supra ad V, 1. Qui in hemistichio priori שִׁכּוֹרֵי אֶפְרַיִם *ebrii Ephraimitae* iidem in posteriori הֲלוּמֵי יָיִן *contusi a vino*, obtusi vino dicuntur. Ita Graecis ebrius οἰνόπληξ, quod tanquam attoniti et fulmine tacti mentes compotes esse desinunt ebrii, ut omnino mente capti Latinis vocantur *icti*, vid. Heinsium ad Propert. III, 6. 14. Similiter Tibullus I, 2. 3. ebrium dicit *multo percussum tempora Baccho.* Ceterum quod Ephraimitae hic *ebrii* vocantur, plerique interpretes perstringi existimant illorum luxuriam et assiduam helluationem. Sed recte monet Vitringa, significari potius mente et judicio turbatos, qui in consiliis de salute et securitate reipublicae a sana ratione aberrantes, ebriorum instar in stuporem acti essent, quales infra XXIX, 9. vates dicit *ebrios, sed non vino, titubantes, sed non a sicera.* Quem locum respiciens Alexandrinus interpres sic vertit: μεθύοντες ἄνευ οἴνου.

2. Verba הִנֵּה חָזָק וְאַמִּץ לַאדֹנָי proprie sonant: *ecce robustius et validus est Domino*, ad quae subaudit Jarchi רוּחַ *ventus*, Kimchi יוֹם *dies*, alii חַיִל *exercitus.* Verum sunt voces חָזָק et אַמִּץ potius neutraliter capiendae, ut vertendum sit: *ecce robustum et validum quid est Domino* scil. paratum, gravem calamitatem immittet. Neutraliter voces illas et Graecus Alexandrinus interpres expressit etsi ceterum non satis accurate: ἰδοὺ ἰσχυρὸν καὶ σκληρὸν ὁ θυμὸς τοῦ Κυρίου. Bene Chaldaeus: הָא מָחָן תַּקִּיפָן וְחַסִּינָן אָתְיָן מִן קֳדָם יְיָ *ecce plagae fortes et validae veniunt a Jova.* כְּזֶרֶם בָּרָד שַׂעַר קָטֶב *Ut effusio, imber grandinis, ut turbo exitii*, exitialis. Ante שַׂעַר repetenda est a כְּזֶרֶם comparandi particula. שַׂעַר significatu haud differt a סַעַר et שְׂעָרָה *turbinem* notantibus. Harenbergius et E. Scheidius (*Dissertat. ad Cantic. Hiskiae*, p. 181. not.) per שַׂעַר קָטֶב intelligen-

ligendum existimant ventum illum perniciosissimum, qui Arabibus سموم venenatus, et حروم calidus dicitur, siquidem homines in viis versantes ardore suo enecat; cf. not. ad Job. XXVII, 21. Evertit is obvia quaeque, et impetu furit vehementissimo. Et Scheidius quidem nomen שַׂעַר proprium illius venti nomen putat, collato Arabico سعر, quod proprie *accendit*, *excitavit ignem* denotat, et hinc: *percussit eum fervidus ventus*; קֶטֶב autem, quod proprie *scissionem* notat, collato Arabico قطب *secuit*, *scidit*, apte hic usurpari de *aura venenata*, quae totum corpus aestu suo *perfundit*, et ad intima viscera *penetrat*. Sed etyma non sunt tam presse sectanda. קֶטֶב Hebraeis de *exitio* usurpatum fuisse, patet e Ps. XCI, 6. Hos. XIII, 14., ubi τῷ דֶּבֶר *pestis* συνώνυμον est. In codicibus haud paucis et libris editis pro שַׂעַר legitur שַׁעַר (cum *Schin*) *porta*, quod aegre sensum admittit. Ludovicus de Dieu, subaudito ante שַׁעַר praefixo בּ vertit: *in porta exitium*, et per *portam* intelligit forum, rem publicam. Alii: *per portam exitium* scil. magno impetu irruet. Neutrum satis aptum. Sunt, qui שַׂעַר קֶטֶב *horrorem exitii* vertant, quasi idem sit quod שַׂעֲרוּרָה *horridum quid*, Jerem. V, 30. XXIII, 14. Sed veteres omnes exprimunt שַׂעַר per *Sin*. כְּזֶרֶם מַיִם כַּבִּירִים שֹׁטְפִים הִנִּיחַ לָאָרֶץ בְּיָד *Ut imber aquarum violentarum inundantium, qui vi dejicitur in terram.* Verbum הִנִּיחַ hic sumendum est impersonaliter, receptissimo usu linguae. Proprie reddendum esset: *quem*, scil. imbrem grandinis, quis *dimittit in terram*, h. e. qui imber grandinis demittitur in terram. בְּיָד *Manu*, hic ponitur pro בחוזקה *vi*, *fortiter*, *violenter*. Sic recte Alexandrini: ὡς χάλαζα — βίᾳ καταφερομένη. Aben-Esra: כי השם החזיר אלה הזרמים והניחם לארץ ביוד החזקה *Quia Deus descendere faciet hos imbres eosque demittet*

b

tet in terram manu sua valida. Alii: *sicut imbre aquarum violentarum inundantium dejiciet* scil. Deus *ad terram vi* coronam Ephraimi.

3. בְּרַגְלַיִם תֵּרָמַסְנָה עֲטֶרֶת גֵּאוּת שִׁכּוֹרֵי אֶפְרָיִם *Pedibus conculcabuntur: corona fastosa ebriorum Ephraimi*, i. e. *quicquid* illis coronae erit. Verbum plurale femininum neutrali sensu adhibetur. Vel, ut Kimchius vult, עֲטֶרֶת hic ponitur sensu collectivo. Metaphora desumta est a *coronis floreis*, quae detractae de capite pedibus contritae plane evilescunt, et nullae fiunt.

4. Ad verbum hic versus vertendus: *Et erit flos marcidus decoris ejus ornatissimi, qui est super caput vallis pinguissimae, ut fructus praecox ante aestatem, quam quisquis viderit, simul atque viderit, dum adhuc in manu ipsius est, deglutit.* Per בְּכוּרָה בְּטֶרֶם קַיִץ *praecocem* fructum *ante aestatem* intelligitur *praematura ficus*; ut recte observat Kimchius, et jam vidit vetus interpres Graecus, qui vocem בִּכּוּרָה vertit πρόδρομος σύκου. Arabibus quoque consonum بَكُور est *praecox palma*, itemque *fructus omnisque alia res cito ad maturitatem pertingens.* Sic apud Hoseam IX, 10. legitur: *ut uvas in deserto inveni Israelem*, כְּבִכּוּרָה בִתְאֵנָה בְּרֵאשִׁיתָהּ *ut praecocem in ficu in initiis suis.* Michas VII, 1. בִּכּוּרָה אִוְּתָה נַפְשִׁי *praecoquum desiderat anima mea.* Apud Jeremiam XXIV, 2. memorantur תְּאֵנִים טֹבוֹת מְאֹד כִּתְאֵנֵי הַבַּכֻּרוֹת *ficus valde bonae sicut ficus praecocium*, ubi interpres Graecus: τὰ σῦκα τὰ πρώϊμα. Hesychio ad voc. Πρόδρομοι sunt τὰ προχειμάζοντα σῦκα. Pleraeque ficus mense demum Augusto maturescunt, sed sunt, quae hyemem clementem perdurant, ac primo vere et maturitatis tempore et suavitate reliquas praecellunt, ideoque avidissime petuntur. Vid. Shaw *Travels*, pag.

pag. 370. „Talem praecocem ficum simulac hujusmodi fructuum cupidus adspexerit, statim carpit, nec seponit, ut majorem maturitatem ac dulcorem acquirat, sed *dum in manu illam tenet devorat*, בְּעוֹדָהּ בְּכַפּוֹ יִבְלָעֶנָּה. „Aptissimum," inquit Vitringa, „emblema, in rem prophetae. Solent saepe reges urbes a se bello expugnatas *servare*, ac reliquas facere, saltem per aliquod tempus, in usum suum; sed Assyrii regis Salmanassaris in Samariam, a se expugnandam, is dicitur affectus, ut eam instar fructus praecocis carptam, simul ac in potestatem ejus veniret, *deglutiret*, h. e. everteret, et plane deleret."

5. Everso Israelitico regno Jova superstitem Judaicam rempublicam conservabit et instaurabit. יִהְיֶה יְהוָה לַעֲטֶרֶת צְבִי וְלִצְפִירַת תִּפְאָרָה לִשְׁאָר עַמּוֹ *Erit Jova in coronam decoris et in cidarim ornamenti reliquiis populi sui.* Opponuntur haec *coronae fastosae* Ephraimitarum (vs. 1.), innuitque propheta, Deum fore ornamento Judaeis, propter quod merito laudarentur, non ut divitias Ephraimitis, quae caducum et laude indignum ornamentum iis praebebant. Quod hic exstat nomen צְפִירָה, diversum ab illo quod Ezech. VII, 7. 10. legitur, a verbo צָפַר, arabice ضَفَرَ *plexuit comam*, proprie, ut ضَفِيرَةٌ, *circum plexum, in se contextum*, notare videtur, hic vero ornamentum capitis in altum assurgens, quale cidaris, fascia, fere ex sindone, qua caput obvolvendo rediminut teguntque gentes Orientis. Hieronymus *sertum exsultationis*, Chaldaeus כְּתַר תּוּשְׁבַּחְתָּא *cidarim laudis* vertit. Per שְׁאָר עַם יְהוָה *reliquias populi Jovae* indicantur tribus Judae et Benjaminis, quae decem tribubus deportatis reliquae futurae erant.

6. Et

6. Efficiet Jova, ut domi ac militiae, in pace atque in bello, bene ſe habeant Judaei. Quod ita enunciat: וּלְרוּחַ מִשְׁפָּט לַיּוֹשֵׁב עַל־הַמִּשְׁפָּט *Et in ſpiritum judicii* ſcil. Jova erit *ſedenti ſuper judicium*, i. e. efficiet, ut intelligant judices quid rectum ſit, deinde, ut, quod juſtum judicaverint, exſequantur. Cf. ſupra I, 26. Per יוֹשֵׁב עַל־הַמִּשְׁפָּט *ſedentem* ſ. collective *ſedentes ſuper judicium* ſignificantur qui judiciis praeſunt et juri dicundo. Chaldaeus ſenſum prioris partis hujus verſus recte ſic expreſſit: לְמֵימַר קְשׁוֹט דִּין לְדְיָתְבִין בְּבֵית דִּינָא לְמִדַן דִּין דִּקְשׁוֹט *in verbum veritatis judicii ſedentibus in domo judicii, ut judicent judicium rectum.* In explicandis verbis, quae ſequuntur, וְלִגְבוּרָה מְשִׁיבֵי מִלְחָמָה שָׁעְרָה, quae proprie ſonant: *et in fortitudinem* erit Jova *reducentibus bellum ad portam*, veteres et recentiores diſſentiunt. Interpretatio Graeca Alexandrina, prouti in codice Vaticano legitur, eſt: καὶ ἰσχὺν κωλυόντων ἀνελεῖν. Sed in codice Alexandrino eſt: καὶ ἰσχὺν κωλύων ἀνελεῖν, quomodo et Hieronymus legit, qui interpretis Graeci verba ſic expreſſit: *et fortitudinem vetans interficere.* Nec non Arabicus interpres: ويمنع القوة ان تقتل *et impediet fortitudinem ut interficiat.* Quorum tamen nullus verba Hebraea fideliter reddit. Minus accurate quoque Symmachus transtulit: ὡς δύναμιν ἀποστρέφουσαν ἀπὸ πολέμου. Theodotion: καὶ ὡς κράτος ἀναστρέψασι πόλεμον ἀπὸ πύλης. Vix putem Theodotionem ignoraſſe, שָׁעְרָה ſignificare *ad portam*, ſed videtur verba hoc ſenſu cepiſſe: praelium *ad portam* commiſſum illuc avertent. Sed *ad portam* eſſet לַשַּׁעַר. Ceterum cum Theodotione convenit Syrus: ܘܠܡܗܦܟܢܝ ܩܪܒܐ ܡܢ ܬܪܥܐ *qui avertunt bellum a porta.* Nec non Saadias: جبروة لمن يرد الحرب عن المحال *et in forti-*

titudinem et qui repellit bellum a domicilio. Hieronymus: *et fortitudo revertentibus de bello ad portam.* Quam interpretationem a magiſtro ſuo Hebraeo accepiſſe videtur, qui Chaldaeum eſt ſequutus, haec verba ſic exponentem: וּלְמִתַּן נִצְחָנָא לִדְנָפְקִין בִּקְרָבָא לַאֲתָבוּתְהוֹן בִּשְׁלָם לְבָתֵּיהוֹן *ad dandum victoriam iis, qui exeunt bellatum, ut redeant incolumes ad domos ſuas.* Sed phraſis מְשִׁיבֵי מִלְחָמָה non fert hanc interpretationem; valet proprie: *reducere bellum*, i. e. retundere, retroagere bellum *ad portam* ſcil. hoſtium, unde facta fuerat invaſio; fugare hoſtes ad portas urbium ſuarum munitarum, in quas ſeſe recipere conabuntur, ut recte Kimchi haec verba exponit. Verbum הֵשִׁיב ubique habet ſignificatum tranſitivum, et ה finale vocis שַׁעְרָה eſt utique *ſignum motus ad locum.* Quod nonnulli voluerunt, *repellentibus bellum ante portam*, nec convenit voci שַׁעְרָה, nec rei ipſi ſatisfacit. Non eſt enim magnum facinus virtutis heroïcae, bellum apud portam inſtaurare ac retundere, ſed ad ipſam portam hoſtium retundere ac retroagere, ut in hiſtoria Joabi oppugnantis Ammonitarum metropolin 2 Sam. XI, 23.: *Et fuimus adverſus ipſas*, retroegimus illos, *ad oſtium portae.* Et in hiſtoria Hiskiae 2 Reg. XVIII, 8. *Percuſſit Philiſthaeos ad Gazam usque et limites ejus.*

7. Etſi vero Judaeorum res ſalvas praeſtiturum Jovam vates promittat, tamen et hujus populi ductores et proceres easdem poenas commeruiſſe dicit, quas Ephraimitis irrogandas eſſe comminatus ſupra fuerat. Transfert autem imaginem ebrietatis ejusque turpitudinem ad deſcribendum eum ſtatum, quo mentes procerum, prophetarum et ſacerdotum Judaicorum ad veſaniam prolapſae erant, ob quam ſupra vs. 1. primores Ephraimitarum שִׁכּוֹרִים *ebrii* dicuntur. וְגַם אֵלֶּה בַּיַּיִן שָׁגוּ *At etiam illi*, Judaei, *in vino* ſ. *per vinum errant*, i. e. tan-

tanquam ebrii, qui titubantibus cruribus huc illuc feruntur. נִבְלְעוּ מִן־הַיַּיִן *Abſorpti ſunt a vino*, q. d. non tantum vinum ingurgitant, ſed ipſi quaſi eo abſorpti ſunt, mente et viribus illo privati, ut non jam homines videantur. שָׁגוּ בָּרֹאֶה *Errant in viſione* ſcil. prophetae, falſa viſa proferunt, vel, prae ebrietate incerta pro certis afferunt. רֹאֶה, quod alias *videntem*, prophetam, notare conſtat, hic pro רְאִי, *viſio*, poni, res ipſa docet. Ad *ſacerdotes* (כֹּהֵן), quorum erat, de rebus, ad jus et religionem ſpectantibus, ſanum judicium ferre, et ſententiam juſtam in omnibus proferre, pertinent poſtrema hujus verſus verba: פָּקוּ פְּלִילִיָּה *titubant, vacillant* (ita enim verbum פוּק ſumendum eſſe, patet ex Jerem. X, 4. 1 Sam. XXV, 31. Nah. II, 11.) *judicio ferendo.* פְּלִילִיָּה eſt *cauſſae aeſtimatio, quae fit in judicio*, vid. ſupra XVI, 3. Ceterum in hoc verſu oratio prophetae tota ſic concepta formataque eſt, ut *ebrii errantis*, vagantis, titubantis ſtatum perfecte exprimat: ipſa enim veluti errabunda eſt, dum eandem rem vocesque repetit, iterat, varioque modo idem dicit.

8. Pergit in deſcriptione hominum, qui ad ebrietatem graviſſimam vino indulgent ita, ut omnia vomitu repleant. קִיא צֹאָה *Vomitus foeditatis*, i. e. foedus. צוֹאָה plerique a verbo יָצָא *exivit* putant *excrementa* notare. Sed pertinet potius ad radicem צָאָה, Syriace ܨܐܐ *foedavit, turpavit*, unde ܨܘܐܐ *foeditas*, et ܨܐܐ *foedus*. בְּלִי מָקוֹם *Defectus* eſt *loci*, i. e. non ſupereſt locus, qui non plenus ſit ſordibus. Cf. N. G. Schroederi *Syntax.* Reg. XCIII. not.

9. Quinque qui deinceps ſequuntur verſus (9—13.) dici vix poteſt quantum exercuerint interpretes veteres et recentiores. Haud pauci eorum hoc verſu 9. verba prophetae continuari exiſtimant, diſſentiunt vero circa

ſubjectum de quo haec dicat vates. Alii enim, ut J. D. Michaelis, ſignificare his verbis prophetam putant, incaſſum laboraturum, quisquis temulentos iſtos homines, ſanioris quippe doctrinae lacte dudum deſuetos, erudire atque ad ſaniorem mentem revocare vellet. Alii vero, inter quos Dathius, quam inepti hi ipſi potatores ad docendum alios, ipſi nimirum infantibus ſimiles eſſent, declarare voluiſſe prophetam ſtatuunt, ut hic verſus ita ſit explicandus: אֶת־מִי יוֹרֶה דֵעָה *quem docebit* ſcil. vel נָבִיא, vel כֹּהֵן, e verſu praecedente repetendus, talis ſacerdos et propheta improbus, *ſcientiam* legum Jovae? אֶת־מִי יָבִין שְׁמוּעָה *Quem percipere faciet auditionem*, i. e. doctrinam alto ore prolatam ut a multis audiri queat, intelligentiam honeſti et juſti: גְּמוּלֵי מֵחָלָב עַתִּיקֵי מִשָּׁדָיִם *Ablactati ſunt a lacte, depulſi ab uberibus*, i. e. ipſi ſimiles ſunt inſipientia infantibus; quis autem puerilis indolis hominibus confidat, iisque praeceptoribus et moderatoribus utatur? Qui ſenſus etſi per ſe planus et facilis ſit, tamen ideo non eſt admittendus, quod non congruit iis, quae ſequuntur, quibuscum hic verſus arctius cohaeret, quam cum ſuperioribus, cum quibus ne hic verſus conjungatur innui videtur ſpatio in codicibus hebraeis hunc inter et ſuperiorem verſum interjecto. Praeferenda igitur eſt Lowthii ſententia (quam et J. F. Schelling in *Animadverſſ. philologico-critt. ad difficiliora Jeſajae loca* p. 90. ſeqq. ſuam facit), referri inde ab hoc verſu temulentorum illorum hominum ipſorum voces, quas in prophetae contemtum jactarint. Hos quippe propheta, quos et propterea vs. 14. *irriſores*, et infra XXIX, 24. רוֹגְנִים *disciplinae impatientes* dicit, doctrinamque ſeveriorem prophetarum reprehendentes et meliora verba ab iis expoſcentes facit, quibus denique qua talibus interitum praeſagit XXIX, 20., hos ipſos, inquam, etiam hic vs. 9. 10, loquentes introducit prophetamque cavillantes, quod eos parvulorum inſtar habeat,

habeat, praeceptorum et monitorum multitudine obruat, omnium minutiarum nimis morosus cum praeceptor tum censor sit. Quare hunc versum a Schellingio recte sic verti haud dubitamus: *Quem, dicunt, docebit scientiam, quemve erudiet praeconio? parvulos vix lacte desuetos, a mammis disjunctos?* Voces גְּמוּלֵי et עַתִּיקֵי in statu constructo positae sunt, non obstante praefixo מ ante חָלָב et שָׁדַיִם, cujusmodi structurae exempla vid. ad IX, 2. שִׂמְחַת בַּקָּצִיר *laetitia in messe.*

10. כִּי צַו לָצָו צַו לָצָו קַו לָקָו קַו לָקָו זְעֵיר שָׁם זְעֵיר שָׁם *Nam praeceptum ad praeceptum, praeceptum ad praeceptum, canon ad canonem, canon ad canonem, parum hic, parum illic.* Sunt, qui haec verba prophetae ipsi tribuant, vel sensu eo, ut conqueratur, fatuis antistibus, infantum instar, prima adhuc rudimenta solidioris doctrinae esse ingeminanda, quippe quae nondum ab illis capiatur; vel quod impiam turbam arguat, ac sic neglectis divinis legibus, humana modo urgeret statuta, inepta illa, damnosa, et modum ultra omnem cumulata. Sed non est dubium, continuari hoc versu eorundem, qui versu superiore loquentes introducti sunt sermonem, qui prophetae per contemtum objiciunt, quod ipsos instar infantes tractet, et praeceptorum monitorumque multitudine obruat. Minus probabilis Koppii est sententia, et ab Aurivillio in *Dissertat. de vocibus nonnullis rarioribus in propheta Esaja* (in Ejusd. *Dissertatt. a J. D. Michaelis junctim editis* p. 553. seqq.) ad h. l. adscita, qua propheta mimesi usus, voculis, per se nihil certi significantibus, expressisse putatur, quod accidere solet strenue potis, ut proloqui nil possint, quod aut ipsi, aut alii intelligant, sed nunc hanc syllabam vocis cujusdam, nunc aliam repetant tentando, nunc hujus, nunc alterius dictionis particulam (זְעֵיר שָׁם זְעֵיר שָׁם) balbutiendo deblaterent. Verum

enimvero ad צַו quod attinet, nil obstat, quo minus hic accipiatur pro nomine, ut Hos. V, 11. occurrit, *praeceptum* notante, a verbo צִוָּה *praecepit*, *jussit*. Kimchius צַו notare ait מִצְוָה קְטַנָּה *praeceptum parvum*, additque, illos prophetae objicere, quod ipsos pro pueris habeat, quibus minutatim praeceptum unum post alterum sit instillandum, quasi non nisi minutarum rerum capaces sint. Per vocem קַו idem fere intelligendum esse patet, quod per צַו, adhibuitque vates in his voculis inter se junctis figuram paronomasiae. Est vero קַו proprie *amussis*, vel *linea*, qua finitur terrarum tractus atque ab alio secernitur, aut qua quidpiam ad amussim exigitur, unde petita translatione, significantur ea ipsa voce *regulae*, *praecepta*. Objiciunt igitur profani isti homines prophetae, aliud eum super aliud continuo praeceptum, aliam super aliam continuo regulam ingeminare. Haud longe ab hac interpretatione discedit Hieronymus, qui verba haec esse profanorum Judaeorum putat, sermone hoc illusorio prophetis sua verba reddentium. Reddit enim hebraea ita: *qui manda, remanda, manda, remanda; exspecta, reexspecta, exspecta, reexspecta, modicum ibi, modicum ibi.* Habuit צַו et קַו pro Imperativis verborum צַוָּה et קַוָּה, praefixum ל vero pro mero indice sermonis alterius, et in Commentario sensum his verbis declaravit: „Haec sunt verba eorum, qui prophetis ventura annuntiantibus, et nisi fecissent quae praecepta erant tormenta minitantibus, solebant dicere: *manda, remanda*, id est, *praecipe, praecipe*, impera quae facere debeamus. Quumque abuterentur Dei patientia, qui differt iram, ut praebeat misericordiam, qui solebant etiam hoc ex persona prophetarum ludentes dicere: *exspecta paulisper, exspecta modicum*, venient quae futura praediximus. Haec autem universa loquebantur in populo, quia Dei sermonibus non credebant.“ Et ad versum 14.:

„Quod

„Quod ſupra diximus, cum irriſione ſolitos principes Judaeorum prophetis dicere: *manda, remanda, ſpecta, reexſpecta*, et cetera his ſimilia, per quae oſtenditur, nequaquam eos prophetarum crediſiſſe ſermonibus, ſed prophetiam eorum habuiſſe deſpectui, praeſens oſtendit capitulum, per quod appellantur *viri illuſores.*" Sententiam irriſorum Chaldaeus hac evolvere conatus eſt paraphraſi: *Juſſi ſunt facere ſecundum legem, ſed quod juſſi ſunt nolunt facere, et vaticinati iis ſunt prophetae, ut, ſi reſipiſcerent, remitterentur ipſis peccata; ſed verba prophetarum non ſusceperunt, inceſſerunt pro arbitrio ſuo, nec deſiderarunt perficere legem meam. Exſpectant, rati fore ut ſtabilis reddatur ipſis religio perverſorum dogmatum et idolorum, nec exſpectant domui ſacroſanctae convenientem. Exiguum quaſi quid eſt in oculis eorum domus ſanctuarii ad cultum ibi exercendum. Quaſi pauxillum et res nauci eſt de ipſorum ſententia habitatio mea.* Graecus Alexandrinus interpres pro צַו legiſſe צַר *anguſtia*, haec ejus interpretatio arguit: Θλίψιν ἐπὶ θλίψιν προσδέχου, ἐλπίδα ἐπ᾽ ἐλπίδι, ἔτι μικρὸν, ἔτι μικρόν. Syrus צַו idem quod צוֹאָה (vs. 8.) ſignificare putavit, et קַו a קוֹא *vomere, evomere* derivavit, vertit enim: ܨܐܬܐ ܥܠ ܨܐܬܐ ܘܬܝܘܒܐ ܥܠ ܬܝܘܒܐ *ſordes ſuper ſordes, et vomitus ſuper vomitum.*

11. Quae hoc verſu et duobus proximis ſequuntur iterum minus recte a nonnullis, ut a Dathio, pro deſcriptione tantum ulteriore ſummae iſtorum hominum, de quibus antea ſermo erat, corruptionis habentur, quae nimirum tanta ſit, ut barbaro ſermone et peregrina lingua uti videatur iis is, qui illis verae felicitatis viam monſtrare velit, utque potius jactent ut verbum Dei illam ſuorum praeceptorum regularumque multitudinem.

Nec profecto melius Doederlein versum 11. sic cum superiore connectit, ut *ridiculum sermonem ac verba barbara*, prout ipse ebraica vertit, iis ipsis temulentis doctoribus tribuat; verba deinde vs. 12. et 13. sic sumit, quasi per illa significaretur, quod si quis etiam populum admoneat, ut huc, ad verum quippe prophetam, se vertat, hic enim esse tranquillitatis locum, omittendos vero esse fessos illos, h. e. ebrios vates, adeo tamen illi hanc melius forte alicujus sententientis interpellationem audire nolint, ut potius projecta illa sua praecepta dictaque balbutita oraculi divini nomine vendat. Aliena sane et coacta haec omnia, rectiusque Lowthus cumque eo J. D. Michaelis comminationem divinam a versu jam 11. incipere statuunt. Habet quippe particula כִּי, abs qua haec oratio vs. 11. orditur, verissime observante Schellingio, aperte vim adversativam, idemque significat quod latinum *sed, vicissim*. Opponit itaque propheta iniquae irrisorum, quam hactenus descripserat, cavillationi comminationem justioris, qua Deus erga eos usurus sit, cavillationis. Recte Hieronymus: „Statim infert propheta: nequaquam vobis Deus his verbis loquetur, ut praecipiat quid facere debeatis, et praestolemini quae ventura sunt, sed loquetur vobis in furore praesenti: כִּי בְּלַעֲגֵי שָׂפָה וּבְלָשׁוֹן אַחֶרֶת יְדַבֵּר אֶל־הָעָם הַזֶּה *Nam cum irrisionibus labii et cum lingua alia*, i. e. vicissim erga istos cavillatores utetur sermone illusorio et longe diverso ab eo, quo adhuc erga eos usus esset. לַעֲגֵי שָׂפָה sunt proprie *sannae labiorum*, a לָעַג, Syriace ܠܥܓ, *balbutire*, et quia cui illudere volumus barbara, blaesa, balbutientia, et quae intelligere nequit, occlamamus, לְעָגִים *sannas* notat, seu sonos inconditos et irrisorios.

12. אֲשֶׁר אָמַר אֲלֵיהֶם זֹאת הַמְּנוּחָה הָנִיחוּ לֶעָיֵף וְזֹאת הַמַּרְגֵּעָה וְלֹא אָבוּא שְׁמוֹעַ *Qui ad eos dixerat: haec est requies, date quietem lasso, et haec est tranquillitas,*

sed

sed noluerunt audire, i. e. ille, qui, qua ratione ad veram animi tranquillitatem pervenire possent, iis significaverat, cui vero morem non gesserunt, jam longe alio erga eos utetur sermone. Kimchi: „Dicit eis: זאת הַמְּנוּחָה *haec est requies*, si auscultaveritis verbis Domini, et feceritis praecepta ejus, erit vobis in terra vestra requies. Praeterea dixit prophetis et sacerdotibus: הָנִיחוּ לֶעָיֵף *requiem praestate lasso* Israeli, qui tot tantisque calamitatibus defatigatus est." In אָבוּא, quod est ab אָבָה *voluit*, א est paragogicum, ut Jos. X, 24. הֶהָלְכוּא *qui iverunt*. Eodem modo Arabes tertiae Pluralis Praeteriti masculinae addunt ا otiosum, ut كَتَبُوا *scripserunt*.

13. Tum vero illis cavillatoribus, justa Dei poena, וְהָיָה לָהֶם דְּבַר־יְהוָֹה צַו לָצָו וגו׳ *erit iis verbum Jovae aliud super aliud continuo praeceptum*, et quae porro sequuntur, i. e. erit iis Jovae id ipsum, quod calumniati sunt, legum praeceptorumque tam confusa multitudo, ut nusquam sciant, quo pedem figant, sed quovis gressu impingant, lapsent, irretiantur.

14. Quum proceres Judaeorum se prudentia et astutia singulari munissent adversus omnem eventum, qui reipublicae videri posset fore exitialis, et principes regesque potentiores, a quibus calamitas metuenda erat, sibi variis artibus faventes fecissent et amicos: non videbatur facile tempestas, si quae oriretur, in ipsos desaevitura esse. Sed propheta iis nomine Jovae denuntiat, ipsos illos principes, a quorum amicitia et favore salutem suam suspenderant, quorumque foedus ambitiose affectaverant, reipublicae extremam calamitatem allaturos esse. Alloquitur dominatores populi Hierosolymitani, מוֹשְׁלֵי הָעָם הַזֶּה אֲשֶׁר בִּירוּשָׁלִָם, quos vocat אַנְשֵׁי לָצוֹן *viros irrisionis*, i. q. לֵצִים *irrisores*. Verbum לוּץ,

 Arab.

Arab. لَاصَ pro لَوَصَ, proprie notat *torquere*, et *torquendo*, *flectere*, *inflectere* (vid. Schultens *Commentat.* ad Proverb. I, 6. p. 4.). Hinc transfertur ad ridiculam *intorsionem* linguae, labiorum, oculorum, digitorum et cet. quae instituitur ad aliquem *subsannandum*, atque *ludificandum*. Latinorum *Sanna*, *Sannio*, *etc.* eandem in se continere metaphoram, alii jam monuerunt. Scholiastes Persii in Sat. I. „*Sanna* dicitur *os distortum cum vultu*, quod facimus, cum alios deridemus." Vid. Vossium in *Etymolog.* et Gesnerum in *Thesauro L. L.* ad *Sanna*. Per *irrisores* autem h. l. intelliguntur homines impii et protervi, qui monita divina et ipsi irrident, et aliis ridicula facere student.

15. Homines istos impios, qui se prudentibus suis consiliis omnium malorum securos existimarunt, loquentes jam inducit: כָּרַתְנוּ בְרִית אֶת־מָוֶת וְעִם שְׁאוֹל עָשִׂינוּ חֹזֶה *pepigimus foedus cum morte, et cum inferno ferimus pactum.* חֹזֶה esse *pactum*, *foedus*, parallelismus cum בְּרִית extra omnem dubitationem ponit, idemque est חָזוּת, vs. 18. Vertunt etiam ita Alexandrinus et Chaldaeus, quorum hic שְׁלָמָא *pacem*, ille συνθήκας posuit. J. D. Michaelis in *Supplemm.* P. III. p. 703. hoc nomen recte illustrat ex arabico خون, quod in Conjug. III. *consensit*, *concordavit*, in VI. *fidejussit*, *praes fuit*, *pactum foedusque iniit* denotat. Neque tamen necesse est, pro חֹזֶה efferre חָזֶה, ut Michaelis vult l. c., qui חֹזֶה pro Participio activo habet. Sed est nomen substantivum formae פֹּקֶר, quale רֹאֶה, supra vs. 7., יֹרֶה *pluvia prima*, Jes. XVI, 9., זֹרֶה *quod ventilatur*, Jes. XXX, 24. Conf. Simonis *Arcan. Formar.* Sect. V. Cap. IV, p. 358. 359. Ceterum *foedus pactumque facere cum morte et cum inferno* metaphorica est loquutio, qua is, de quo adhibetur, negatur in periculo mor-

mortis versari, quasi ei esset cum ea foedus. Ejusmodi loquendi genus est et apud LUCANUM, *Pharsal.* IX, 898., ubi de Psyllis, quos putabant Veteres morsus serpentium non timere:

Profuit in mediis sedem posuisse venenis,
Pax illis cum morte data est.

Unde hunc Jesajae locum illustravit J. F. GRONOVIUS *Observatt.* L. IV. Cap. 5. Ergo qui hic loquentes inducuntur profani et impii tutos se et adversus omnem calamitatem securos profitebantur, quod essent in foedere cum iis regibus et populis, a quibus solis exitium ipsis metuendum erat. Quamquam enim 2 Regg. VIII, 7. legimus, Hiskiam adversus regem Assyrium rebellasse, primis tamen imperii sui annis tributum Ahaso impositum, regi Assyrio perpendit. שׁוֹט שׁוֹטֵף כִּי־יַעֲבוֹר לֹא יְבֹאֵנוּ *Flagellum inundans quando pervaserit, non perveniet ad nos*, i. e. nos tuti erimus ab exercitu illo, qui terras finitimas invasurus et vastaturus est. Sic apud Danielem Cap. XI, vs. 10. de hoste potente: *et propere veniet*, וְשָׁטַף וְעָבַר *et inundabit, ac transibit*, h. e. pervadet, quae vox hic proprie adhibetur. Vates hic, ut alias saepius, affectans elegantiam paronomasiae in vocibus שׁוֹט שׁוֹטֵף duas metaphoras, licet diversi generis, inter se miscet. *Flagelli* enim proprie non est *inundare*. Verum quia idem ille exercitus, qui Israelitas magnis plagis affecit, eaque de caussa rectissime *flagellum* dicebatur, simul instar *fluminis* extra ripas suas saevientis obvia omnia occupat et vastat: propheta, duas illas metaphoras inter se commiscens, eundem exercitum vocat exercitum inundantem. Est autem utraque metaphora vatibus Hebraeis, de exercitu hostili loquentibus, solennis, vid. Jes. VIII, 7. 10. 24. Similis nostris auribus inconcinna phrasis legitur in Corano Sur. LXXXIX, 12. صَبَّ عَلَيْهِمْ رَبُّكَ سَوْطَ عَذَابٍ effu-

effudit super eos dominus tuus scuticam poenae. Non itaque opus est cum Schellingio statuere, שׁוֹט שׁוֹטֵף *flagellum inundans* per hypallagen dici pro *inundatione flagellante*, i. e. puniente. Pro שׁוֹט Chethibh rariorem formam שַׁיִט exhibet; nisi Jod cum Cholem merum sit defectivae, quae olim in pluribus codicibus reperiebatur, scripturae, שֹׁט, symbolum, uti vult Hillerus in *de Arcano Kethib et Keri* p. 128. 253. יְבֹאֵנוּ hic idem valet, quod יָבוֹא אֵלֵינוּ *veniet ad nos.* Pro כִּי־יַעֲבוֹר in textu (Chethibh) est Perfectum כִּי־עָבַר, quod genuinum videtur. Nam scriptura marginalis profecta videtur a male sedulo scriba, qui sequenti Futuro יְבֹאֵנוּ verbum antecedens congruens reddere voluit. כִּי שַׂמְנוּ כָזָב מַחְסֵנוּ וּבַשֶּׁקֶר נִסְתָּרְנוּ *Quia posuimus mendacium latibulum nostrum, et in falsitate nos occultavimus,* quae verba variam sustinet interpretationem, et ad speciem sententiam videntur exhibere paradoxam. Quum enim profani proceres populi Judaici hic introducantur tanquam qui explicent rationem suae securitatis respectu malorum merito metuendorum; vix intelligitur, qua fronte et specie sibi illam promittant securitatem ex hac ratione, quod *mendacium* et *falsitatem* sibi procurassent ut latibulum, sub quo tempore saevientis tempestatis tuto laterent. Sunt inter interpretes, qui velint, prophetam hic, ut in superioribus, rebus nomina dare non ex sensu loquentium, sed ex sensu suo; et ex eventu a se praeviso: quare quod proceres Judaeorum ex suo sensu dicerent, se fiduciam posuisse in magno quodam principe et icto cum eo foedere, prophetam, ut illorum recensendo sententiam eadem opera eam refelleret, id ita extulisse, illos *mendacium* posuisse *latibulum suum*, et in *falsitate* confisos esse. Quum enim magni principes saepe fidem suam fallant, saepe etiam eandem praestare aliis prohibeantur, vates illos merito vocat *mendacium* et *falsitatem*, quibus fidere ineptum sit, ut Ps.

LXII,

LXII, 10. אַךְ הֶבֶל בְּנֵי אָדָם כָּזָב בְּנֵי אִישׁ *Certe vanitas ſunt filii hominum*, i. e. plebeji, *mendacium* ſunt *filii Viri*, i. e. nobiles, ſpectabiles. Pſ. CXLVI, 3. אַל תִּבְטְחוּ בִנְדִיבִים *Ne ponite fiduciam in ingenuis*, *in filio hominis*, *in quo nulla ſalvandi facultas eſt.* Aben-Esra voculam כִּי hic accipit pro אַף־כִּי *etiamſi*, ut ſenſus ſit: flagellum inundans et pervadens nullum nobis damnum afferet, *etiamſi* latibulum noſtrum poſuerimus mendacium et falſitatem, quomodo illa particula et Pſ. XLI, 5. uſurpatur: *ſana animam meam*, כִּי חָטָאתִי לָךְ, *etiamſi tibi peccavi.* Sed ſententiam loci, quae etiam ex hoc obſervato dubia manet, non declarat. Kimchius per *mendacium* et *falſitatem* hic intelligi putat vaticinia et conſilia falſorum prophetarum, quibus ſiſi foedus contraxerant cum magno et ſibi metuendo principe, ut ſibi procurarent ſecuritatem. E Vitringae ſententiae Jeſajas, intelligens foedus a proceribus Judaeorum cum potente illo principe et imperio, quod ille reſpicit, percutiendum eſſe ex *metu*, ac proinde ſimulate, animo fraudulento et doloſo, et ſimul proſpiciens, foedus illud doloſe pactum ipſis non praeſtiturum ſalutem, utroque hoc reſpectu illos introducit ita loquentes, et aſtutum conſilium, quod receperant, explicantes: *ipſos mendacium poſuiſſe latibulum ſuum, et ſub falſitate ſe occultare* ſtuduiſſe. Illi quidem haec verba ſic intelligi voluerunt: nos aſtutia noſtri ingenii foedere pacto cum principe terribili, a quo metuere poteramus exitium, nobis et reipublicae certam procuravimus ſalutem ſecuritatemque, licet foedus a nobis falſo animo et ex ſimulatione cum illo principe ſit initum. Sed propheta hoc ſenſu ex ſua mente alium involvit. Quum enim praevideret, foedus hoc doloſum illos deluſurum exitiumque ipſis allaturum eſſe, illud vocat *mendacium* et *falſitatem.* Notat factioſos illos, qui auctores fuerunt conſilii de petenda ope et auxilio Aegyptiorum adverſus Aſſyrios, vid. Argument.

16. Im-

16. Impiorum istorum jactantiam de falso fiduciae suae fundamento Jova ita refellit, ut piis et sibi fidentibus melius ac certius aliquod fiduciae fundamentum repraesentet. הִנְנִי יִסַּד בְּצִיּוֹן אָבֶן *Ecce me* scil. eum, qui *fundavit in Zione lapidem*, i. e. ecce me, qui fundavi, elliptice pro הִנֵּה אָנֹכִי הוּא אֲשֶׁר יִסַּד; sicut infra XXIX, 14. הִנְנִי יוֹסִף, fere ut מִי אֲנַחֲמֵךְ *quis ego sum, ut te consoler*, infra LI, 19. Conf. de hac loquendi ratione Storrii *Observatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 388. Verba אֶבֶן בֹּחַן פִּנַּת יִקְרַת מוּסָד מוּסָּד ad verbum sonant: *lapidem probationis* s. *probatum anguli pretiositatis fundamenti fundati*, i. e. lapidem probatum, angularem, pretiosum, firmissime fundatum. Nempe omnia illa substantiva, quae adjectivorum potestatem obtinent (conf. not. ad Jes. II, 20.), non ex se invicem, sed ex uno vocabulo אֶבֶן pendent, quo ante singula repetito, ipsa in statu absoluto versari potuissent. אֶבֶן בֹּחַן vulgo redditur *lapis probatus*. Ita Hieronymus sequutus Aquilam, Symmachum, Theodotionem, qui δόκιμον habent. In interpretatione Vetere Graeca, in qua attributa lapidis transposita sunt, voci בֹּחַן videtur ἐκλεκτὸς respondere. Ea nunc ita sonat: λίθον πολυτελῆ, ἐκλεκτὸν, ἀκρογωνιαῖον, ἔντιμον. Petrus, eundem hunc locum recensens 1 Epist. II, 6., habet λίθον ἀκρογωνιαῖον, ἐκλεκτὸν, ἔντιμον. Si Petrus usus fuerit versione Graeca, probabile est, vocem πολυτελῆ in hac versione vacare, et quum ad marginem adscripta fuerit ad illustrandam vocem ἔντιμον (יִקְרַת), deinceps in contextum irrepsisse. Quicquid ejus fuerit, vox ἐκλεκτὸς exprimit hebraeum בֹּחַן, quod Hebraei interpretes quidem per מִבְצָר *munimentum*, vel *munitam* explicant, ex ea significatione vocis בַּחַן, qua notat *turrim exploratoriam*, ut infra XXXII, 14., cf. supra XXII, 13. Eodem haud dubie respexit Chaldaeus, qui vocem per תַּקִּיף *fortem*, *validum* reddidit. Verum interpretatio vulgo recepta bene se habet. Est enim *lapis*

lapis probatus, proprie *lapis probationis*, talis lapis, cujus soliditas et firmitas ita explorata et certa est, ut aedificio alicui substerni possit in fundamentum. Ad eandem *firmitatis* notionem pertinent etiam cetera epitheta. Vocatur enim פִּנַּת (אֶבֶן) lapis *anguli*, s. *angularis*, est autem *angularium lapidum*, non tantum sustinere aedificium, sed et illud compingere, quod ut faciant, supponuntur lapides esse primarii totius aedificii, magni, quadrati, solidi, in quos aedificii latera concurrunt. Nomen יִקְרַת non, ut quidam volunt, cum proximis מוּסָד מוּסָּד, sed cum אֶבֶן, quod praecedit, est conjungendum, ut אֶבֶן יְקָרָה et alias, veluti 1 Reg. X, 2. 10. 11., de *lapidibus pretiosis* dicitur. Forma status constructi, יִקְרַת, hic pro statu absoluto ponitur, observante recte Kimchio: יקרת שם כמו יקר והתי״ו במקום הא״ וא״איננו סמוך כמו שפירשתי במלת ציצת *Nomen* יִקְרַת *hic idem valet quod* יְקַר, *occupatque* Thau *locum literae* He, *nec censenda est vox esse in statu constructo, ut declaravi ad vocem* צִיצַת, supra vs. 4., quod nomen similiter formam status constructi habet, quum vere constructa non sit. Adde ex hoc ipso sermone exempla alia hujus ἀνωμαλίας in vocibus גְּמוּלֵי et עַתִּיקֵי pro גְּמוּלִים et עַתִּיקִים supra vs. 9. Plura collegit Buxtorfius *Thes. Grammat.* L. II. Cap. 4., e quibus colligere licet, subinde vel *emphaseos*, vel *conjunctionis* sive *cohaerentiae* significandae causa absque ullo regimine statum constructum adhiberi. Ita et hic status constructus in vocibus פִּנַּת et יִקְרַת supplere vicem *copulae* videtur, et meram significare cohaerentiam attributorum horum inter se et cum lapide, hoc sensu: *fundabo in Zione lapidem, lapidem probatorium, angularem, eximium, firmiter fundatum*, quod verbis מוּסָד מוּסָּד exprimitur, quae non iisdem in omnibus codicibus occurrunt instructa punctis. In nonnullis legitur מוּסַד מוּסָּד *fundamentum fundamenti.* Ita Jarchi: מוסד מוסד' הראשון פתח לפי

שהוא

In שהוא דבוק, מוסד של מוסד מוסד שהוא מוסד נמור *verbis* מוסד מוסד *prius recipit* Patach, *quia eſt in ſtatu conſtructo:* fundamentum fundamenti, i. e. *fundamentum, quod eſt fundamentum perfectum*, abſolutum. Verum id ſi voluiſſet vates, vix dubium, eum מוּסָד מוּסָרִים ſcripſiſſe, quemadmodum dicitur קֹדֶשׁ קָדָשִׁים *ſanctiſſimum*, שִׁיר הַשִּׁירִים *carmen praeſtantiſſimum*, עֲדִי עֲדָיִים *ornatus excellentiſſimus* (Ezech. XVI, 7.) et plura alia hujus generis. Ergo omnino tenendum eſt, quod in libris emendatioribus ſcriptum reperitur, מוּסָד מוּסָּד, et poſterius illud מוּסָּד pro Participio accipiendum, ut Kimchi et Aben-Esra monent. Conferantur ſimilia conſtructa Exod. XII, 9. בָּשֵׁל מְבֻשָּׁל *coctile coctum*, Pſ. LXIV, 7. חֵפֶשׂ מְחֻפָּשׂ *ſcrutatio ſcrutata*, et Prov. XXX, 24. חֲכָמִים מְחֻכָּמִים *ſapientes ſapientes redditi.* Addit vates: הַמַּאֲמִין לֹא יָחִישׁ *qui crediderit non trepidabit.* Verbi חוש, Arabice حوش ſive حيش, tres ſignificatus Lexicographi Arabum exhibent: 1) أسرع *feſtinare*, 2) فزع *timere*, 3) استحيا *pudore ſuffundi*, inter ſe non raro in rei natura conjunctos, dum qui timet conſternatus hic illuc rapitur, atque ita tandem pudore confunditur, vid. Pocockii *Nott. Miſcell. ad Portam Moſis* Cap. I. p. 11. Illarum ſignificationum *tertiam* praeferunt Alexandrini (ὁ πιστεύων ού μὴ καταισχυνθῇ), Paulus (Rom. IX, 33. πᾶς ὁ πιστεύων ἐπ᾽ αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται), et Petrus (1. Epiſt. II, 7. ὁ πιστεύων ἐπ᾽ αὐτῷ, οὐ μὴ καταισχυνθῇ); *ſecundum* Chaldaeus (לֹא יִזְדַּעְזְעוּן *non commovebuntur*) et Syrus (ܠܐ ܢܕܚܠ *non timebit*); *primam* recentiorum plerique. Mihi quidem *ſecunda* h. l. aptiſſima videtur. Vides autem ſimul, inutilem eſſe Grotii et Cappelli conjecturam, Alexandrinos legiſſe לֹא יֵבוֹשׁ. Sententia haec eſt: ego, Jova, tuebor et conſervabo rem Judaicam, non vos, quos perire ſinam. Exprimit vero vates protectio-

tectionem, qua Hierosolymam conservaturus sit, imagine fundationis novorum moenium, quae non constarent silicibus, aut lapidibus temere collectis, sed ingentibus lapidibus quadratis, quales adhibentur ad firmandos turrium angulos. Doederlein: „Cum vates impii, quos dixerat, frustra securitatem, tutaque refugia promittant; Deus firmius praesidium ac revera tutius aperit. Unum salutis securitatisque remedium Deus praestat. Sed figurata est promissio. Belli injuriae nimbi sunt (vs. 17.), quorum vires e petrarum cacumine fractas tutus spectat viator. Conf. Virgilii *Aeneid. X*, 204. Talem petram, receptui minante diluvio idoneam, et tam alte fundatam, ut maris procellarumque bella rideat, cultoribus suis in Zione struxisse Jova affirmatur, eo fine atque effectu, ut, qui ei fisus fuerit, tutus ab inclementia aeris, invictam haberet sedem, nec aliorsum turpi se protrahere fuga (יָחִישׁ) cogeretur. Eam Messiae imaginem esse, *Petrus* docet 1 Epist. II, 4—6., per quam omnis salus et parta et praestita fidelibus." Eodem fere redit Pottii explicatio, quam ad 1 Petr. II, 7. protulit. „Mihi, inquit, in hoc loco perlegendo tam ad verba contumeliosa, quae Judaeis, in describenda impietate eorum, commate praecedente tribuuntur, שַׁיִט . שׁוֹטֵף, כִּי־עָבַר לֹא יְבֹאֵנוּ quam ad minas divinas, apte ad convicia illa vs. 17. sic expressas, וְסֵתֶר מַיִם יִשְׁטֹפוּ, attendenti, propheta, *felicitatem* atque *securitatem* eorum, qui ad Deum confugiunt, adumbraturus, ex his ipsis verbis a fluvio, omnia inundante, secumque rapiente, repetitis, et ad exprimendam *calamitatem* ipsorum translatis, in tropum oppositum, a lapide angulari, in quo unicam *inconcussae firmitatis* atque *securitatis* notionem teneri velim, repetitum, deductus esse videbatur, ita ut sensus hujus commatis, inter convicia Judaeorum, minasque divinas interjecti, tropo remoto, rediret fere ad haec: *En Deus, qui Sionem montem inhabitat,*

 omni-

omnipotens est, ita ut is, qui ad eum confugit, inconcussa fruatur securitate atque felicitate." Judaei veteres hoc loco Messiam describi existimarunt, unde scriptores N. F. eum diserte ac directe ad Christum Jesum transferunt, Rom. IX, 33. X, 11. 1 Pet. II, 6. 7. 8. Cujus interpretationis indicium olim extitisse in paraphrasi Chaldaica probabile est inde quod Raymundus Martini in *Pug. Fid.* L. II. Cap. 5. p. 342. edit. Carpzov. loci hujus paraphrasin sic describit: הָא אֲנָא מְמַנֵּי בְּצִיּוֹן מֶלֶךְ הַמָּשִׁיחַ מֶלֶךְ תַּקִּיף וְגִבּוֹר *ecce ego constituo in Zione regem Unctum, regem validum et fortem.* Sed in paraphrasi Chaldaica, prouti in editis libris hodie legitur, vox הַמָּשִׁיחַ desideratur. Nostra sic habet: הָא אֲנָא מְמַנֵּי בְּצִיּוֹן מֶלֶךְ מֶלֶךְ תַּקִּיף וְגִבָּר וְאֵימְתָן *ecce ego constituo in Zione regem, regem robustum, fortem, et formidabilem.* Elias quoque Levita in *Methurgeman* et Buxtorfius in Lexico sub voce משיח, qui loca in Paraphrasi de Messia exposita diligenter percensuerunt, hunc locum praetereunt, ut certum sit, in illis quibus usi sunt, exemplis Paraphraseos non occurrisse. Verum enim vero vocem הַמָּשִׁיחַ in quibusdam codicibus excidisse, quacunque id factum fuerit de causa, colligi inde potest, quod Jarchi, qui Paraphrasi Chaldaicae passim in sua interpretatione adhaeret, hic vidit Messiam, licet contribules ipso posteriores, Aben-Esra et Kimchius, Hiskiam demonstrent. Verba: *ego sum is qui fundavit in Zione lapidem*, ita exponit. כְּבַר גְּזוּרָה גְּזֵרָה לְפָנַי והעמדתי מלך המשיח שיהא בציון לאבן בחן *Jam certo decretum definitumque est apud me et constitui regem Messiam, qui in Zione sit in lapidem fundatum.* Quod vero hic locus a Judaeis veteribus de Messia acceptus fuerit, caussam Pottius scite repetit ex Ps. CXVIII, 22., in quo loco, taevo apostolico unanimi consensu de Messia explicari solito, quum Messias conferri cum *lapide angulari* crederetur, factum videtur, ut omnia V. T. loca,

loca, in quo de *lapide angulari* ſermo erat, ad regnum Meſſiae adumbrandum revocarentur.

17. Jam convertit ſe vates ad denunciandas poenas, impiis iſtis irriſoribus qui cum morte foedus ſe pepigiſſe jactabant, imminentes. וְשַׂמְתִּי מִשְׁפָּט לְקָו וּצְדָקָה לְמִשְׁקָלֶת *Et poſui veritatem pro norma, et judicium pro perpendiculo*, id eſt, judicium exercebo, quod juſtitiae exacte conveniat, quod fit, ubi merita hominum beneficiis aut poenis exacte penſantur. וְיָעָה בָרָד מַחְסֵה כָזָב וְסֵתֶר מַיִם יִשְׁטֹפוּ *Et everret grando receptum mendacii, et latibulum aquae inundabunt*, i. e. calamitates divinitus in Judaeos immittendae, et hoſtiles exercitus validi ac numeroſi, ad imperium Jovae in Judaeam mittendi, eamque afflicturi, obruturi, vaſtaturi, ipſis adiment eam ſecuritatem, quam ſibi *doloſo foedere* promiſerant. יָעָה conferendum eſt cum Arabico وعى, proprie *colligere*, i. q. Hebraicum אָסַף, tum transfertur ad eum, qui *omnia aufert, nihil relinquens*, in quarta conjugatione, *totam peregit truncationem, nulla relicta parte*. Ab *auferendo* dictae יָעִים *paleae*. Quin et Aethiopibus ועי eſt, *totum abſumere*.

18. וְכֻפַּר בְּרִיתְכֶם אֶת־מָוֶת *Et abolebitur foedus veſtrum cum morte*. Quoniam locutio כִּפֶּר בְּרִית nusquam alias legitur, Jerem. XXXIII, 21. vero de *foederis abolitione* occurrit גַּם־בְּרִיתִי תֻפַר אֶת־דָּוִד עַבְדִּי *etiam foedus meum irritum factum eſt cum Davide, ſervo meo;* Hubigantius, quem ſequuti ſunt Lowthus et Seckerus, noſtro loco כֻּפַּר in הֻפַר mutandum exiſtimavit. Sed inutilem eſſe hanc mutationem, apparebit, ſi verbi כפר ſignificationes perpendamus. Eſt enim כָּפַר Hebraeis proprie *quid obducere*, atque inde, quum *obducta et oblita* dispareant, *delere, abolere*. Ita vicina *abstergendi* poteſtate Prov. XXX, 20. apud Syrum Chaldaeumque כַּפַר pro hebraico מָחָה adhibetur. Hoc loco alla-

alluditur ad foedera scripto comprehensa, quae abolentur et irrita fiunt, si scriptura *inducatur* et *obliteretur*, quibus vocibus usi sunt Romani, ubi de ceratis tabulis aut pugillaribus, quibus in scriptione uti solebant, inductis loquuntur. Nec offendet peritiores, quod cum verbo generis masculini conjunctum sit nomen feminimum בְּרִית, quum talis generis enallage tam in Hebraea, quam in Arabica lingua admodum frequens sit. Exempla vide in Buxtorfii *Thesauro Gramm.* Lib. II. Cap. X. p. 437., et in Michaelis *Grammatica Arab.* Cap. X. §. 70. No. 4. p. 242. edit. 2dae. Quando verbum ante nomen positum est, illud genere masculino adhiberi amat; quando autem illud sequitur nomen, semper genere feminino ponitur, cujus rei exemplum vides statim hoc nostro versu, in חֲזוּתְכֶם — תָקוּם. In verbis quae sequuntur, שׁוֹט שׁוֹטֵף כִּי יַעֲבֹר וִהְיִיתֶם לוֹ לְמִרְמָס *flagellum inundans si transierit, et eritis ei conculcationi*, particula ו ante הְיִיתֶם meram notat *consequentiam*, ut saepe alias, estque sensus: *consequens erit, ut ab eo conculcemini.* Sunt autem in hac sententia tres metaphorae, quae propheta ἐμφάσεως causa inter se permiscet, quia rei ipsi conveniebant, i. e. exercitui hostili, de quo loquitur, qui exercitus speciem haberet *flagelli*, quatenus ordinatus esset ad Judaeos puniendos et castigandos, *fluvii*, rempublicam obruturi et inundaturi (cf. supra vs. 15.), et *herois* irati obvium prosternentis et conculcantis, vel copiarum equestrium, pedites sibi objectos conculcantium.

19. מִדֵּי עָבְרוֹ יִקַּח אֶתְכֶם *E capacitate transitus sui prehendet vos*, i. e. a quo transierit, ubicunque irruet, auferet vos. De Particula מִדֵּי vid. Schroederi *Syntax.* Reg. CXI. a. Verbum לָקַח hic *auferendi* significatu est capiendum, ut Jerem. XV, 15. Ps. XXXI, 14. locisque pluribus aliis. כִּי־בַבֹּקֶר בַּבֹּקֶר יַעֲבֹר בַּיּוֹם וּבַלָּיְלָה —

Nam

Nam quolibet mane transibit interdiu et noctu, i. e. sine intermissione affligetur. Quemadmodum continuis pluviis totae inundantur regiones, ita impetu hostili repetito et continuo tota Judaea coercebitur. וְהָיָה רַק זְוָעָה הָבִין שְׁמוּעָה *Et erit tantum commotio, intelligere rumorem*, quod Grotius bene reddidit, *et pavori erit, vel famam intelligere.* Est enim hic μετάθεσις sive σύγχυσις constructionis voculae רַק, apud Hebraeos in particulis satis familiaris, vid. Glassii *Philol. S.* p. 662. ed. Dathii. Sic 1 Cor. XV, 19. *Si in hac vita* speramus in Christum μόνον, pro, *si in hac solum vita speramus in Christum.*

20. כִּי־קָצַר הַמַּצָּע מֵהִשְׂתָּרֵעַ *Brevior est lectus, quam ut in eo se extendat.* Nam verbum שָׂרַע conferendum est cum Arabico شرع *extendere, in longum protendere*, ut probavit A. Schultensius in *Animadverss. Philoll.*, in loc. Jarchius recte explicat: מהשתטח להאריך אבריו *quam ut se extendat ad protendendum membra sua.* וְהַמַּסֵּכָה צָרָה כְּהִתְכַּנֵּס *Et tegumentum arctius, quam ut quis se eo involvat.* Lowthus מֵהִתְכַּנֵּס legendum jubet. Sine necessitate. Nam כְּהִתְכַּנֵּס vertendum esse, *quum* se quis condere, *involvere*, aut cooperire volet, quisque sponte intelligit. De sensu hujus imaginis non consentiunt interpretes. Hieronymus: „Loquitur sub metaphora mariti pudicissimi, qui adulterae dicit uxori: unus lectulus me et adulterum tecum capere non potest, et pallium breve maritum et moechum cooperire non praevalet. O igitur Jerusalem, ad quam et in Ezechiel [XVI. et XXIII.] sub persona uxoris loquitur fornicantis, et quam in Oseae principio scortum vocat et adulteram, si vis meis complexibus copulari, abjice idola; si servieris idolis, me habere non poteris." Quam quidem interpretationem Hieronymum accepisse a magistro suo Judaico, colligere licet ex hac Jarchii anno-

annotatione: רבותינו דרשוהו על עבודת אלילים שהכניס מנשה להיכל קצר המצע הזה מהשתרע עליו שני רעים *Rabbini nostri exponunt hoc de cultu idolorum, quem Manasse in templum introduxerat. Brevius est hoc stratum* (i. e. templum), *quam ut se extendere possint, i. e. quam ut principatum tenere possint in illo duo socii.* Ipse vero Jarchius sensum ita exponit: כי אביא עליכם שונא דוחק אתכם אשר לא תוכלו להספוק עבודתו כשיציע מצעו עליכם יקצרו לו מהשתרע תשובב עליו *Inducam super vos inimicum, qui vos premat, cujus servitio non poteritis satisfacere, quando ille super vos stratum suum extendet, id ei brevius erit, quam ut se extendere possit.* Quod obscurius est; nec clarius fit eo quod ad hemistichium alterum explicandum addit: הניסוך שימשול עליכם יהיה מקומכם דחוק לו בהתכנסו לתוכו *principi, qui vobis dominabitur, erit locus vester angustior, quando ipse illum ingredi volet.* Kimchius hoc velle vatem existimat, occupata ab hostili exercitu terra Judaica, sola relicta urbe Hierosolymitana, eam angustiorem fore, quam ut omnes capiat Judaeos, unde multi eorum sint perituri. Sed videtur vates adagiali hac loquendi formula hoc potius dicere, facultates Judaeorum ad sui praesidium et defensionem non sufficere. Eodem modo videtur Chaldaeus hunc versum intellexisse; illius interpretatio talis est: ארי יתקצר חיליהון משעבוד תקיף ושלטון מעיק יסגי מרינא *nam abbreviata est virtus eorum prae servitute dura, et dominium oppressoris augebit dominatum.* Nec male Doederlein hujus versus sensum exponit: „Angustiis pressi erunt. Id figurate describit propheta, metaphora a dormientibus desumta, quibus si vel lectus brevior, vel tegumentum, quo totos se obvolvere solent orientales, somnum capturi (conf. Niebuhr *Beschreibung von Arabien*, p. 10.), angustius obtigit, turbata noctis quies.“

21. כִּי כְהַר פְּרָצִים יָקוּם יְהוָה *Nam sicut in monte Perazim* in Philisthaeos quondam surrexit Jova, ita ad Judaeos sibi adversarios profligandos *surget Jova.* Respicit ad cladem illam, qua Philisthaei apud montem Perazim magno numero coacti ad Davidem, novam regem populi Judaici oppugnandum, affecti sunt, Deo Davidi non dubias ferente suppetias, vid. 2 Sam. XV, 20. 1 Paral. XIV, 11. Male Chaldaeus haec verba retulit ad terrae motum Uziae, regis, tempore, qui Amos I, 2. memoratur. כְּעֵמֶק בְּגִבְעוֹן יִרְגָּז *Sicut in valle in Gibeone,* i. e. prope Gibeonem (quomodo particula ב et Jos. V, 13. 1 Reg. XV, 27. sumitur) *commovebitur* ira in adversarios suos. Alludi videtur ad memorabilem illam pugnam, qua reges Cananaeae junctis viribus Gibeonem urbem obsidentes dum a Josua caedebantur simul lapidibus grandinis e coelo missis prostrati magna clade interierunt. Ad quem eventum, Jos. X, 11. narratum, hunc locum et Chaldaeus refert. Alii vero respici volunt praelium illud apud Gibeonem commissum, quo Davides Philisthaeos ingenti clade affecit, de quo 2 Sam. V, 25. 1 Paral. XIV, 6. Addit: לַעֲשׂוֹת מַעֲשֵׂהוּ זָר מַעֲשֵׂהוּ *ad perficiendum opus suum*, sed *peregrinum* erit *opus suum*, i. e. alio plane modo cum Judaeis aget, quam quo adhuc cum iis agere consueverat; quos ante semper beneficiis ornaverat, eosdem ut hostes tractabit. Quod ipsum membro ultimo aliis tantum verbis exprimitur: וְלַעֲבֹד עֲבֹדָתוֹ נָכְרִיָּה עֲבֹדָתוֹ *et ad peragendum factum suum, factum alienum* a consueto cum populo suo agendi more.

22. וְעַתָּה אַל־תִּתְלוֹצָצוּ *Nunc igitur ne vobis ipsi illudatis.* Forma Hithpaël הִתְלוֹצֵץ Kimchi *frequentativam*, seu *irrisionem continuo actu*, sannae indulgere, significari existimat. Sed nulla est causa, cur hanc Conjugationem non significatione reciproca capiamus, qua ple-

rumque gaudet, ut hoc dicat propheta: cavete, ne irriſionibus veſtris, quibus propheticas minas omnes ſoletis irridere, vobis ipſi illudatis, ſeu, ne in perniciem veſtram veſtri joci convertantur. פֶּן־יֶחֶזְקוּ מוֹסְרֵיכֶם *Ne firma fiant vincula veſtra*, ſ. fortius conſtringantur, i. e. ut, ſi non totum, ſaltem partem poenarum vobis imminentium effugiatis. Deus dicitur homines *vincire* ubi eos criminum gravium reos puniendos conſtringit et in arctum compingit, ut elabi nequeant. Cf. ſupra XXIV, 22. Severa enim ſupplicia in illos decreta eſſe, confirmat his verbis: כִּי־כָלָה וְנֶחֱרָצָה שָׁמַעְתִּי מֵאֵת אֲדֹנָי *nam conſumtionem et excidium audivi a Domino*, i. e. patefecit mihi Deus, ſe ſumma ſeveritate ad internecionem usque crimina improborum gentis Judaicae proſequuturum eſſe. De verbis כָּלָה וְנֶחֱרָצָה vid. not. ſupra ad X. 23.

23. Koppius inde ab hoc verſu usque ad Capitis finem, novum oraculum contineri putat. Sed bene cohaerent ea, quae ſequuntur, cum antecedentibus. Divinorum judiciorum conſilia et modos edocet propheta: Deum in caſtigandis improbis diverſimode, ſed ſumma cum ſapientia agere: „judicium, uti prius dixerat, vs. 17., exigere ad amuſſim, et juſtitiam ad perpendiculum;" temporum, hominum, rerum diſcrimina, omnia ſeveritatis et lenitatis momenta exquiſitiſſime expendere. Haec involvit allegoria continua, exemplo ducto ab agricultura et tritura, ut recte obſervavit Lowthus *de Sacr. Poeſ. Hebraeor.* Prael. X. p. 107. edit. Lipſ. Conferri meretur Paulsen *vom Ackerbau der Morgenländer* p. 96. ſeqq. et 127—138. Ceterum hoc verſu attentionem poſtulat vates, quae neceſſaria eſt ad intelligendam ſequentem parabolam, cujus πρότασις quidem copioſe traditur, ἀπόδοσις vero perpaucis verbis vs. 29.

24. הֲכֹל הַיּוֹם יַחֲרֹשׁ הַחֹרֵשׁ לִזְרֹעַ *Num quotidie arat agricola ad seminandum?* כָּל הַיּוֹם *Omni die*, quod non significat ὅλην τὴν ἡμέραν, uti habent omnes Graeci interpretes; et Vulgatus: *tota die.* Saepe enim arator *totâ die* arat, antequam sulcet, occet ac serat, cum ager major est, quam ut haec omnia uno die fieri queant. יְפַתַּח וִישַׂדֵּד אַדְמָתוֹ *Sulcat et occat terram suam?* יְפַתַּח, proprie *aperiet*, hic referri ad *sulcos*, qui per arationem in terram inducuntur, nemo facile dubitarit. Nam etsi hac significatione verbum illud nullibi alias occurrat, tamen est orationi prophetae, et rei ipsi conveniens, cum terra, quae arationi subigitur et invertitur, et in quam inducuntur *sulci*, vere *aperiatur*; et alias constet, verbum פִּתַּח gaudere significatione *caelandi*, ut Zach. III, 9. quae notio affinis est: terra enim scinditur aratro et infinditur. Estque poetae etiam (Virgilii, *Eclog.* IV, 33.), *infindere sulcos aratro.* Per יְשַׂדֵּד designatur *occatio*, cum grandiores glebae franguntur et comminuuntur, ut Hos. X, 11. Job. XXXIX, 13. Cf. J. D. Michaelis *Supplemm.* p. 2282.

25. הֲלֹא אִם־שִׁוָּה פָנֶיהָ וְהֵפִיץ קֶצַח *Nonne postquam complanaverit superficiem ejus*, agri sui, *sparget nigellam?* Particula ו verbo הֵפִיץ praeposita hic non est copula *et*, sed *tunc* notat, ut alias saepe. קֶצַח esse *nigellam, anethum*, ostendit Celsius *Hierobot.* P. II. p. 70—72. Condimentum esse, et cibis, panibusque saporandis adhibitum fuisse, observant veteres. Dioscorides Lib. III. c. 93. *Σπέρμα μέλαν, δριμὺ, εὐῶδες, κατάπλασσόμενον εἰς ἄρτους.* Plinius L. XX. c. 17. *Melanthii, vel Melanspermi semen gratissime panes condit.* כַּמֹּן eodem modo Arabibus, Graecis, Latinisque enuntiatum, كَمُّون, *κύμινον*, *cyminum*, *Kümmel.* Ne quem vero homonymia errorem pariat, cum species cumini plures

Y 5 sint,

sint, observandum est, Ebraeorum cuminum genuinum illud esse, quod doctores botanici *cuminum sativum* vocant, vel *cuminum semine longiore*, vel etiam *cuminum Romanum*. Quae autem planta Germanis *cuminum* dicitur, veteribus herbarum magistris, Dioscoridi et Theophrasto, *carum* fuit, observante Celsio *Hierobot.* P. I. p. 516. וְשָׂם חִטָּה *Aut ponit*, mandat terrae, *triticum*. ו hic disjunctive verti debet, neque enim triticum cum memoratis fruticibus seritur. Sed de שׂוֹרָה nomini חִטָּה ut epitheton addito dissentiunt interpretes. Graecus Alexandrinus plane non expressit. Hieronymus vertit: *et ponet triticum per ordinem*, quasi שׂוֹרָה idem sit quod מְשׂוּרָה et Arabicum سُورَة, *ordo*, *series*, *mensura*, Aben-Esra quoque et Kimchi explicant per בְּמִדָּה *in mensura*, ne, si nimia tritici copia in arctiore spatio sereretur, sese invicem culmi suffocarent, unde scriptores veteres, qui de re rustica scripserunt, non omittunt notare, quae mensura singulorum seminum seri in certo spatio debeat. Chaldaeus: כְּזָרְעֵי חִטִּין עַל בַּיָּיר *sicut seminantes triticum super agro inculto.* Qua interpretatione tamen hebraei שׂרָה significatio non exprimitur. Jarchi: שורה לשון שורה זורעה באמצעו, ונמצאת שורה על השעורין והכוסמין i. e. שׂרָה *hic significat* שׂוֹרָה principatum tenens, *sparsum* quippe *in medio* agri triticum *deprehenditur principatum tenere super hordeum et speltam.* Quod sequuti plerique recentiorum שׂרָה *principale*, *praestans* exponunt; et R. Abendana quoque in Additamentis ad Michlol Jophi interpretatur יָפָה *speciosum.* Nobis tamen praeferenda videtur Hieronymi supra allata expositio, ex qua שׂרָה et גְּבֻלָה in fine versus quodammodo sibi respondent. Nec minor dissensus est de eo quod sequitur, וּשְׂעֹרָה נִסְמָן; etsi enim prius horum nominum *hordeum* notare non sit dubium, alterum tamen minus certum est. LXX. ceperunt pro genere

genere sati, verteruntque per κέγχρον. Hieronymus pariter *milium* reddidit, nec dissenserunt Aquila et Theodotio, ut e Procopio liquet. Horum auctoritatem sequitur quoque J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1781., quamvis unde milio id nominis inditum sit, quum reliquae linguae Orientales ignorent, dicere non habeat. Verum quo minus pro peculiari sati genere vox נִסְמָן accipiatur, impedit accentus conjunctivus *Munach* nomini שְׂעֹרָה appositus, qui proximum נִסְמָן cum eo ita connectit, ut pro hordei attributo habendum sit. Et sic tamen significatio vocis dubia est. Sunt, qui collato Arabico سمن *pinguis fuit*, נִסְמָן *pingue* reddant. Sed cum Arabico سمن hebraicum שָׁמֵן convenire constat. Alii שְׂעֹרָה נִסְמָן vertunt *hordeum signatum*, i. e. insignitum, praestantissimum, significatu repetito a סְמַן Chaldaeis usitato, idem quod Graecum σημαίνω. Volunt quidem plerique philologi verbum סְמַן seriori Hebraismo e Graeca demum lingua illatum esse. Sed quid vetat, quo minus verbum illud, ut plura alia, potius ex Oriente in Graecam linguam immigrasse statuamus? Minime igitur eorum sententiam, qui נִסְמָן *signatum* vertunt, explodendam putamus, sed malumus cum Kimchio hanc vocem, perinde ut superiorem שׂרָה, referre ad *designatum* et circumscriptum *locum*, qui hordeo destinatus in agro sit, ut mox de כֻּסֶּמֶת dicitur in *termino suo seri*. Quae sententia confirmatur Chaldaei interpretis auctoritate, qui vertit: סַעֲרִין עַל סוּמָנִין *hordeum super designata loca* scil. serit. Kochero est verisimile, eximiam hordei speciem cum peregrino nomine Cananaeae illatam, idque nomen ut epitheton esse additum. Doederlein vertit *hordeum secretum*, et in nota subjecta addit, id e consuetudine populorum orientalium illustrari, singula grana seligendi ac studiose secernendi, quam itineraria laudant. כֻּסֶּמֶת est *zea, spelta* (vid. Celsii *Hierobot.* P. II.

P. H. p. 98. ſeqq. et E. E. Fabri *Specimen Botanol. bibl.* in *den theolog. Analecten* T. I. P. 1. p. 14.), genus frumenti, ſimile farri, quod *farris* locum in multis locis implet, ubere ejus in Campania Italica proventu. Solent veteres, de *ſatis* loquentes, *triticum*, *hordeum*, *ſpeltam*, inter ſe conjungere: veluti Homerus *Odyſſ.* Δ, 144. in oratione Telemachi, Menelai fortunas et agrum laudantis, quippe in quo praeter alia ſint:

Πυροί τε, ζειαί τε, ἠδ᾽ εὐρυφυὲς κρῖ λευκόν.

Triticum, *ſpeltae*, *et late germinans hordeum album.* גְּבוּלָתוֹ *Termini ſui*, i. e. in terra ſpeltae ſive zeae ſuſcipiendae apta. Singula ſemina, ſive ſata, agricola ſator aptat ſuo quodque termino, ſive arvo. *Arvum* ab agricola cultum id ipſum eſt, quod propheta hic vocat גְּבוּלָה *terminum*, *limitem*.

26. In breviſſimo hoc verſu interpretando mirum in modum invicem diſcedunt veteres et recentiores. Sunt, qui verbis וְיִסְּרוֹ לַמִּשְׁפָּט אֱלֹהָיו יוֹרֶנּוּ *et erudit eum ad judicium*, *Deus ejus docet eum*, ſimilitudinem praemiſſam accomodari exiſtiment ad intelligentiam Judaeorum. Ita jam Graecus Alexandrinus, qui tamen hebraea parum accurate ſic reddidit: Καὶ παιδευθήσῃ κρίματι Θεοῦ σου, καὶ εὐφρανθήσῃ, *et erudieris judicio Dei tui*, *et laetaberis*, ut Hieronymus Graeca vertit. Chaldaeus: הָא כָּל אִלֵּין אוּלְפַן דִּינִין דְּיִדְעוּן דִּי אֱלָהָא מְחַוֵּי לְהוֹן אוֹרְחָא דְתַקְנָא דִּי יְהָכוּן בַּהּ *Ecce omnia haec*, *ſunt doctrina judicii*, *quam ſcire debent*, *quibus Deus annunciat viam rectam*, *in qua ambulent.* Syrus: ܢܪܕܝܘܗܝ ܒܕܝܢܐ ܐܠܗܐ ܢܫܒܚܝܘܗܝ *erudit eum judicio*, *Deus laudabit eum.* Pro יוֹרֶנּוּ interpretem patet legiſſe יוֹדֶנּוּ, a verbo הוֹדָה *laudavit.* Inter recentiores Harenbergius in *Biblioth. Hag.* Cl. I. p. 477. per aratorem ac ſeminatorem Deum, per agrum vero animum

Jaco-

Jacobidarum designari ratus, sensum hunc esse vult: Deus gnaviter erudire conatus est populum suum per prophetas ad judicium, i. e. ad recte cogitandum, judicandum et agendum. Sed minus commode sic interpellaretur similitudo, quae versibus duobus proximis aperte continuatur. Neque tamen illi, qui hunc versum similitudinis vs. 24. inceptae partem facere agnoscunt, in eo explicando consentiunt, aliis pronomina suffixa in יִסְּרוֹ et יוֹרֶנּוּ ad *agricolam*, aliis ad *satum* referentibus. Ad satum illa refert Josephus Kimchi, qui, docente Davide, filio, in Commentario ad h. l., verba יִסְּרוֹ לַמִּשְׁפָּט sic exponit: *castigat illud secundum rationem*, i. e. occando, sarculo aut rastro percutit et confringit glebas duriores, ac si terram castigaret, et ad aequum perduceret statum; quod vero sequitur, אֱלֹהָיו יוֹרֶנּוּ, ita capit: *Deus ejus irrigat illud*, semen jactum, pluvia, petita significatione vocis יוֹרֶנּוּ a nomine יוֹרֶה, quod *largam pluviam autumnalem* significat. Alii יִסְּרוֹ interpretantur: *et excutit illud*, nempe sementem jam demessam et in aream perductam; ut id quod hic dicitur totum pertineat ad excussionem et trituram sementis jam excretae; esse enim excussionem et trituram veluti sementis *castigationem*. Vitringa, cui Kocherus adstipulatur, verbum יִסֵּר, *castigare*, valere arbitratur *prudenter* et *sollerter tractare*, ut illo hic indicetur omnis cura agricolae circa sata in terram jacta, sementis quoque ejusque messis, et denique tritura. Vertit igitur dictionem יִסְּרוֹ לַמִּשְׁפָּט ita: ordinatque *illud recte secundum rationem*. Sed fatetur Vitringa ipse, significatum, quem verbo יִסֵּר tribuit, posse nullo parallelo loco probari. Dubium vix esse potest, יִסְּרוֹ significatione non differre a יוֹרֶנּוּ *docet eum*, nullumque alium doctorem intelligi posse praeter Deum, qui agricolam doceat rem, de qua sermo est, id est, cultum agrorum eo modo, quo adhibito fertiles fiat, ut igitur suffixum utriusque dictionis,

יִסְּרוֹ

יִסְּרוֹ et יוֹרֶנּוּ ad *agricolam* spectet. Recte Hieronymus hunc versum vertit: *et erudiet illum in judicio suo, Deus suus docebit illum;* ad quae in Commentario: „ipsumque agricolam, id est, satorem, erudit Deus naturaliter judicio suo, et docet illum, ut sciat, quam cui sementi culturam adhibeat." Cui interpretationi Aben-Esra quoque et Kimchi favent, nisi quod dictionem לְמִשְׁפָּט rectius exposuerint כְּמִשְׁפָּט *secundum justam rationem*, sicut par est. Sunt hebraea concisius dicta pro eo quod plene esset: וְיִסְּרוֹ יְהוָה לַעֲשׂוֹת דָּבָר לְמִשְׁפָּט. Quod subjicitur, אֱלֹהָיו יוֹרֶנּוּ, *Deus ejus instituit eum*, agricolam, scil. arare terram et subigere, arandi et serendi commodissima observare tempora, occare, sarrire, rel., liquido ostendit, idem dicere verba quae praecedunt. Quod vero ad sententiam ipsam attinet, Veteres omnes constat in Theologia sua mythica agriculturae, triticique et frumenti inventionem et curam, et his subservientia subsidia arationis et triturae, ad Deos, vel ad homines divino ingenio praeditos retulisse. Γεωργίαν ὑπὸ ὑψίστου ἐκτισμένην dicit Siracides VII, 15. Et Virgilius *Georg.* I, 147.:

> *Prima Ceres ferro mortales vertere terram*
> *Instituit.*

Lucretius V, 14.:

> *Namque Ceres fruges, Liberque liquoris*
> *Vitigeni laticem mortalibus instituisse.*

Aratus *Phaenom.* V. de Jove, id est, Deo:

> — — λέγει δ' ὅτε βῶλος ἀρίστη
> Βουσί τε καὶ μακέλῃσι· λέγει δ' ὅτε δεξιαὶ ὧραι
> Καὶ φυτὰ γυρῶσαι καὶ σπέρματα πάντα βαλέσθαι.

> — — *quando sit terra ligoni*
> *Aptior aut bubus monet, et quo tempore par sit*
> *Aut serere, aut septas lymphis aspergere plantas.*

27. Ab

27. Ab altera quoque parte ſcientiae agriculturae argumentationem conficit. Novit, inquit, agricola, quo inſtrumento unaquaeque farris aut ſeminis ſpecies excutienda ſit, et quod duriora grana duriori inſtrumento, tenera autem leviori; neque in hoc facile eum falli videas, ut aſperiora mollioribus ſuperinducat, et leviora duris granis ſuperinducat. Vide verſu ultimo, quo haec tendant. Ut ſibi conſtet hujus loci ſenſus, ſciendum, quatuor apud Hebraeos in uſu fuiſſe triturandi modos, etiamnum in Orientalibus regionibus uſitatos, de quibus egit Bochartus *Hieroz.* P. I. Lib. II. Cap. XXXII. T. I. p. 315. ſeqq. ed. Lipſ.: 1) *baculis* et *flagellis*, Graece ῥαβδίζειν, Hebraeis בַּמַּטֶּה חָבַט, collato Arabico خبط *fuſte injecto percuſſit arborem*, *ad dejicienda folia*, *olivas etc.* Hoc modo excutiebant aliqua edulium genera, quae tribulum ferre nequeunt, ut ex noſtro loco patet, et alia etiam frumenta, quae metu hoſtis non poſſunt tuto in area ſub dio triturari, Jud. VI, 11.; idemque fecerunt, qui minus frumenti habuerunt, quam quod area et tribulo dignum eſſet, Ruth. II, 17.: vid. Paulsen *vom Ackerbau der Morgenländer* §. 42. p. 141.; 2) *traha* ſeu *trahea*, facta ex tabula, ferro, vel lapidibus exaſperato, quae Hebraeis dicitur מוֹרַג, et חָרוּץ, et a bobus trahebatur; 3) *ploſtello Punico*, *rotas habente*, de quo intelligendum membrum poſterius commatis noſtri et comma ſequens; 4) *boum* et *equorum ungulis*, quo alluditur Mich. IV, 13. et h. l. vs. 28. De *ſecundo* et *tertio* triturandi modo Eduard. Pocockius, inſignis philologus, qui et ipſe regiones Orientis inviſit, in *Commentar. in Joel.* Cap. III. vs. 14. p. 334. haec dicit: „Duo vero hodie adhuc ſunt horum inſtrumentorum genera, quorum unum conficitur ex graviſſimis ligneis aſſeribus, quibus infiguntur cuſpidatiſſimi lapides aut ſilices, qui a jumentis tracti per frumenta ordi-

ordine digeſta una vice exterunt grana, glumas frangunt, ſtramenque ſecant vel confringunt in minutiſſima fruſtula ad inſtar paleae, quae in jumentorum poſtea cedat alimentum. Notum illud inſtrumentum probe deſcribit Kimchi in dictionario radicum hebraearum, ubi ab uſu, quem praeſtat, id putat vocari חריץ (a radice חָרַץ) ſcindendi ſignificatione. *Alterum* bujus inſtrumenti genus conſiſtit ex duabus ferreis rotis crenarum inciſione notatis, dentibus acutiſſimis ferrae inſtar praeditis, quae inter ſe connectuntur axe ligneo, quod cum per frumenta in area trahitur, idem efficit in conterendis granis et frangendis ſcindendisque glumis et ſtramine, atque id, quod priore loco deſcriptum eſt. Ad quem modum exterendi frumenta alterutro horum inſtrumentorum alluditur Jeſ. XXVIII, 27. 28." Conf. aliorum itineratorum teſtimonia, quae collegit Paulsen, l. c. Cap. VI. p. 110—117. et p. 132—139. ubi illis utitur ad noſtri loci interpretationem. Nec non Matth. Frid. Beckium in not. ad *Paraphraſ. Chald. Libr. I. Chronicorr.* Cap. XX. vs. 3. ubi etiam effigiem tribulae et triturandi modi appoſitam invenies.

28. לֶחֶם יוּדָק *Panis comminuitur*, i. e. frumentum, e quo fit panis. Ingenioſe Lutherus: *man mahlt es zu Brot*, i. e. triticum comminuitur panis conficiendi cauſa. Verum in Hebraeo ipſe לֶחֶם comminui dicitur. Hic quidem Chaldaeus et Syrus עִבוּרָא *triticum* verterunt, proximusque illis Hieronymus, in Commentario: *panis autem, id eſt, triticum, de quo efficitur panis.* Plura exempla ejus metonymiae, qua *materiatum* ponitur pro *cauſſa materiali*, ut loquuntur Grammatici, collegit Glassius *Phil. S.* p. 848. 849. ed. Dath., ubi et noſtrum לֶחֶם explicatur: *triticum, ex quo panis conficitur.* Scite monet Michaelis in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* P. V. p. 1437. ſuppetias ferre linguae arabicae ana-

analogiam, cui à طعم *gustare, vesci*, طعام *cibus, edulium*, pecul. *triticum*. Eodem modo לֶחֶם et accipiendum esse infra Cap. XXX, 23. כִּי לֹא לָנֶצַח אָדוֹשׁ יְדוּשֶׁנּוּ *Attamen* (sic enim haec particula haud raro sumenda est) *non in perpetuum illum* (sive, *illud*, cum respectu ad frumentum), *triturando triturabit* agricola, ne tritura continuata ipsum frumentum comminuat. אָדוֹשׁ varie tentatum est. ALTINGIUS in *Fundamm. Punctation. Ling. S.* p. 381. trajectione Aramaea positum putat pro דּוּשׁ, a רֹאשׁ, unde Arabes suum داس traxerint, idem cum דוּשׁ. Sed bene monuit A. SCHULTENSIUS in *Institt. Ling. Hebr.* p. 494. illud *Aleph* non *radicale* Arabibus esse, sed *servile*, substitutum pro *Vav*, quod solemne in quiescentibus mediis. Vitringa ad h. l. nostrum אָדוּשׁ esse ait Infinitivi formam insolentem per prothesin τῶ א. Id non plane rejiculum videtur Schultensio, l. c., nam in dialecto Arabica non Imperativus tantum, sed et Infinitivus primae Conjugationis augetur nonnunquam Aleph servili. Ipse tamen magis inclinat in eorum sententiam, qui singularem radicem אָרַשׁ constituunt, ejusdem cum דּוּשׁ significationis, ut inter alios Coccejus in Lexico. וְהָמַם גַּלְגַּל עֶגְלָתוֹ *Et licet agitet rotam plaustri sui*. Verbum הָמַם, Arabice همّ, de quo pluribus egit A. SCHULTENSIUS in *Origg. Hebrr.* Cap. V. p. 61 seqq., hic ponitur notione insolentiore, pro, *vehementius agitare, et propellere*, uti Arabibus quoque همّ ٱلنّاقة est: *impulit camelum ad incitatiorem cursum*, et ناقة هموم *camelus vehementiori cursu actus*. וּפָרָשָׁיו לֹא יְדֻקֶּנּוּ *Et equitibus suis*, sive equis suis, *non comminuet illud*, ubi concedi potest Bocharto, vocem פָּרָשׁ non tantum *equitem* significare (etsi hic etiam nihil vetet, intelligere equitem, equo insidentem); nam ad excutienda grana non *boves*

 solum,

solum, verum et *equos* adhiberi, patet ex testimoniis, quae collegit Paulsen, l. c. p. 110—117., cum quo conferendus J. D. MICHAELIS in Commentat. *Etwas von der ältesten Geschichte der Pferde und Pferdezucht in Palästina*, P. III. *Juris Mosaic.* adjecta, p. 337. 338. Quod quum nonnullis interpretibus ignotum esset, haesitarunt in voce פָּרָשָׁיו, et pro ea, levi mutatione (quae et Walthero, Lowtho, Dathio et Henslero arrisit, praeeuntibus Symmacho et Theodotione, qui vertunt οὐδ' ταῖς ὅπλαις αὐτῶ λεπτύνει αὐτόν, Syro, qui ponit ܦܪܣܬܗܘܢ, et Vulgato, *nec ungulis comminuet eum*) פְּרָשָׁיו, sive פְּרָסָיו, *ungulae* legendum censuerunt. Doederlinio פָּרָשִׁים *aurigae* sunt, qui tribulo insistunt, vid. VARRONEM *de re rust.* L. I. c. LII. p. 216. quos Xenophon in Oeconomico ἱππελάτας dicit. KOCHERUS: „In פָּרָשָׁיו troporum hic gradationem cogitare licet, qua *equites* per *equos*, hi suis *ungulis* frumentum conterant; quale illud VIRGILII *Georg. IV*, 43. *Sub terra fodere larem* — ubi *lar* pro *domo*, *domus* pro *apum cavernis*. Quod si unus aut alter veterum interpretum pro figura remotiori, *equitibus*, proximum conterendi instrumentum, *ungulas*, aut per meram etiam conjecturam *ungulas* voluit?" Sensus est, agricolam eandem rationem observare in moderanda, quam in instituenda tritura: etiamsi enim frumentum aspera tritura excutiat, eam tamen hic adhibere prudentiam et moderamen, ut triturae modum ponat, ne eam nimis urgendo, ipsa etiam grana corrumpat ac perdat.

29. גַּם־זֹאת מֵעִם יְהוָה צְבָאוֹת יָצָאָה הִפְלִיא עֵצָה הִגְדִּיל תּוּשִׁיָּה *Etiam hoc a Jova, agminum rectore, prodiit, qui mirabile facit consilium, et magnam facit sapientiam.* Referenda sunt haec verba directe ad ipsum parabolae argumentum, sed occulte comparationis ἀπόδοσιν continent. Hanc rationem tractandarum

Eru-

frugum, inquit, a Deo didicit agricola: auditorum autem animis relinquit, ut ratiocinationem conficiant: si Deus agricolam docuit, ut sciret, qua ratione singulae segetes tractandae sint, nonne ille multo melius intelliget, qua ratione tractandi sint homines? תּוּשִׁיָּה hic significare *consilium*, *sapientiam*, quomodo et Chaldaeus hic vertit, docet parallelismus cum עֵצָה, sicut et Job XII, 16, coll. cum vs. 13. Proverb. II, 7. coll. cum vs. 6. Proverb. III, 21. VIII, 14., quamquam origo non satis liquet. J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 2167. seqq. confert quidem Arab. وسا et أسي *solari*, *solando juvare*, unde et verba nostra vertit: *magnum facit* (rebus adversis, de quibus antea actum) *solatium*. Sed huic loco magis convenire *sapientiae* notionem, patet. Forsan a *medendi* significatione, quam verbum illud Arabicum habet, *consilii* et prudentiae notio profecta est. Cf. not. ad Job. V, 12. Jam quod ad scopum superioris parabolae attinet, ille solummodo potest esse duplicis speciei; vel enim referri debet ad ipsam *orationem convictoriam* prophetae, vel ad *argumentum* illius orationis, hoc est, ad defendendam justitiam aequitatemque Dei in tractandis hominibus. Prius pauci sectantur interpretes, inter quos Kimchius, cujus hic est prolixa digressio. Summa ejus est, prophetam hac parabola explicare et defendere modum ac rationem, qua Deus circa populum suum versatus erat olim, et adhucdum versatur, in eo parando, instruendo et convincendo per prophetas, secundum diversas species hominum, quibus populus ille constat: Deum, postquam Judaeos per prophetas satis monuisset officii, dehinc iis admonendis et convincendis esse abstenturum, et illos sibi esse relicturum. Verum quum tota superior prophetae oratio ad poenas impiis denunciandas instructa sit, nec arguantur in ea, ut alias saepius, Judaei ejus vitii, quod ad frequentes prophetarum admonitiones non resipiscerent,

tent; eo potius spectat parabola, ut ostendat Dei aequitatem et sapientiam in tractandis hominibus. Grotius: „Objici poterat, cur Deus tam varie? Ostendit igitur, similitudine sumta ab agricultura, Deum optime nosse discrimina temporum et hominum, et modorum, quibus homines quippe tractari debeant.“ Disertius haec exponit Hieronymus: „Deus varie dispensat genus humanum; nunc punit, nunc miseretur, nunc corripit, nunc defendit, id est, nunc arat, nunc serit, nunc maturas fruges metit, et demessas in areis terit, orbemque suum gubernat ut voluerit. Gith [hebraice קֶצַח] et cyminum, id est, omnes gentes, quae non receperunt ejus notitiam, nec legis habuere praecepta, virga emendat et baculo; frumentum autem, id est, populum Judaeorum, magnis torquebit suppliciis. Veruntamen non eos torquebit in perpetuum.“ Sed genuinum prophetae sensum attigisse arbitror Doederlinium: „Non punit Deus, nisi salutari consilio, velut agricola, qui agrum subigit, ut fructum capiat, nec perpetuo; dein aequitatem servat: aliis mitior est, alios durius tractat, utrique autem parcit, ne penitus intereat.“ Cf. not. ad vs. 23.

CAP. XXVIII. 1. *Vae coronae fastosae temulentorum Ephraimi, et flori marcido decoris ejus ornatissimi, qui est in vertice vallis pinguissimae oppressorum vino.*

2. *Ecce validum quid et robustum est Domino, tanquam imber grandinis, turbo exitialis, tanquam imber aquarum violentarum inundantium, qui vi dejicitur in terram.*

3. *Pedibus conculcatur corona superba ebriorum Ephraimitarum.*

4. *Erit.*

4. *Eritque flos ille emarcidus decoris ejus ornatissimi, qui est in vertice vallis pinguissimae, ut ficus praecox ante autumnitatem, quam qui viderit, dum adhuc in manu ejus est, deglutit.*

5. *Illo tempore erit Jova, agminum Deus, corona elegans et venustum diadema reliquiis populi sui.*

6. *Mensque juris sedenti ad jus dicendum, et fortitudo retundentibus bellum portam versus.*

7. *Sed hi quoque vino errant, et titubant sicera. Sacerdos et propheta sicera errant, absorptique sunt a vino; errant prae sicera, hallucinantur in visione, impingunt in judicio ferendo.*

8. *Omnes mensae repletae sunt foedo vomitu, ita ut nullus locus vacet.*

9. *Quem (dicunt) docebit scientiam, quemve erudiet praeconio? parvulos, vix lacte desuetos; a mammis disjunctos?*

10. *Aliud enim continuo praeceptum, aliam super aliam continuo regulam (ingeminat); parum hic, parum illic.*

11. *Vicissim igitur sermone illusorio linguaque diversa loquetur ad hunc populum.*

12. *Idem, qui dixerat iis: haec requies, sinite quiescat lassus quisque, et haec refocillatio, recusarunt vero audire.*

13. *Tum vero erit iis verbum Jovae aliud super aliud continuo praeceptum, alia super alia continuo regula, parum hic, parum ibi, ut quovis gressu lapserit retro, fractique irretiantur, capiantur.*

14. *Audite igitur Jovae effatum, vos irrisores, qui dominamini populo huic Hierosolymitano;*

15. *Quia dixistis: pepigimus foedus cum morte, et cum orco fecimus pactum. Flagellum omnia perva-*

dens etsi irruerit, ad nos non pertinget. Constituimus enim mendacium refugium nobis, et in falsiloquio recondimus nos.

16. *Propterea sic dicit Dominus Jova: En ego ponam in Sione lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, bene fundatum, cui qui confidit, is non trepide festinabit.*

17. *Et disponam judicium ad amussim, et justitiam ad perpendiculum. Tum procella auferet mendacii illud praesidium, et latibulum illud aquae inundabunt.*

18. *Tum abolebitur foedus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum orco non persistet: flagellum inundans cum irruerit, ab eo conculcabimini,*

19. *Simul ac transierit, auferet vos, quotidie sine intermissione irruet: et vel rumorem ejus percipere adferet commotionem.*

20. *Tum brevius erit stratum, quam ut quis se extendere, et angustius tegumentum, quam ut quis eo se involvere possit.*

21. *Nam sicut in monte Prazim surget Jova, et sicut in valle Gibeonis ira ejus exardescet; ut perficiat opus suum; opus ejus erit prorsus insuetum; ut efficiat facinus suum — alienum erit facinus suum!*

22. *Nunc itaque nolite scurrari, ut ne arctius stringant vincula vestra. Nam consumtionem et excidium universo imminere orbi a Jova, agminum Deo, audivi.*

23. *Aures advertite, et audite vocem meam: auscultate atque attendite sermonem meum.*

24. *An per totum diem arat arator ad seminandum? sulcat et occat terram suam?*

25. *Nonne postquam superficiem ejus adaequaverit, spargit nigellam, aut serit cuminum, aut triticum justa*

justa mensura, aut hordeum signatum, et speltam in termino suo?

26. *At eum erudit (Jova, ut faciat rem) uti par est, et Deus ejus eum instituit.*

27. *Utique enim nigella non trituratur tribula, nec rota plaustri super cuminum agitatur; sed nigella excutitur baculo, et cuminum virga.*

28. *Frumentum quidem triturando comminuitur, nec tamen perpetuo (colonus) triturat illud, et licet inducat rotam plaustri et equos suos, non prorsus comminuit.*

29. *Hoc quoque a Jova, agmitum Deo, prodit, qui et consilio admirabilis et prudentia magnus est.*

CARMEN VICESIMUM TERTIUM.

Cap. XXIX.

ARGUMENTUM.

Praedicit fore, ut urbs Hierosolymitana a copiis hostilibus obsidenda ad magnas redigatur angustias, eo tamen eventu, ut hostes, dum voti sui compotes facti fuisse sibi imaginarentur, subitaria clade coelitus prostrati sint perituri (vs. 1—8.). Hinc, oratione conversa ad ductores et proceres populi Hierosolymitani, eos arguit summi stuporis in providentiae divinae rationibus dijudicandis, et pudendae ignorantiae doctrinae verae religionis (vs. 9—16.). Praevidet tamen felicius instare aevum, a vatum fraudibus et populi erroribus liberum, quo omnes Jovam vero et digno cultu sint prosequuturi (vs. 17—24.).

Eodem tempore, cui vaticinium, quod praecessit Cap. XXVIII. assignavimus, id vero est, primis Hiskiae regnantis annis, et hoc editum esse suadet et argumenti similitudo, et idem fere orationis tenor. Cf. Argument. Cap. XXVIII.

1. Nomine אֲרִיאֵל urbem Hierosolymitanam indicari, dubium vix esse potest, quum *Ariel* in hac ipsa pro-

prophetia infra vs. 8. diſerte exponatur de הַר צִיּוֹן *monte Zionis*, et quae de *Ariel* hic leguntur ſoli urbi illi conveniant. Theodoretus quidem cogitavit de Areopoli, Moabitarum urbe celebri; ſed deluſus eſt tum aliquali convenientia vocum, tum infida verſione Alexandrina, quae extrema hujus verſiculi, חַגִּים יִנְקֹפוּ, vertit; φάγεσθε γὰρ σὺν Μωάβ, *comedetis enim cum Moab*, quod unde natum ſit haud liquet. Cur vero Hieroſolyma iſto nomine hic deſignetur, variae ſunt conjecturae. Sunt, qui *montem Zionis* dici exiſtiment אֲרִיאֵל pro הַרִיאֵל *montem Dei*, ſive הַרְאֵל (ut litera י media vocis ſit ſuppletiva formationi nominis), literis א et ה, ut alias haud raro, inter ſe permutatis, quin Ezech. XLIII, 15. promiſcue הַרְאֵל et אֲרִיאֵל ſcribitur. Plerique tamen interpretes in eo conſentiunt, אֲרִיאֵל ex אֲרִי et אֵל conflatum, ſignificare *leonem Dei*, ſive, ut Caſtalio vertit, *Leo-Deum*. Verum et ſic de ratione hujus nominis urbi Hieroſolymitanae hic tributi diſſentiunt. Vitringa אֲרִיאֵל elliptice poſitum putat pro קִרְיַת אֲרִיאֵל *civitas leonis Dei*, i. e. herois; quo nomine Davidem innui arbitratur; ſiquidem heroës Hebraeis et vicinis gentibus *leones Dei* dicebantur. Jojada, Benajae filius 2 Sam. XXIII, 20. percuſſiſſe dicitur אֵת שְׁנֵי אֲרִיאֵל מוֹאָב *duos leonis Dei*, i. e. heroës *Moabi*. Cf. infra XXXIII, 7. Et Bochartus *Hieroz.* P. I. L. III. Cap. I. T. II. p. 7. edit. Lipſ. obſervat, adhucdum apud Arabes et Perſas virum fortem, egregium, ſuae ſectae principem, dici شير خدا. أسد الله *leonem Dei*. Verum etſi minime incredibile ſit, Davidem nomine hoc nuncupari, tamen אֲרִיאֵל pro קִרְיַת אֲרִיאֵל, ellipſis eſſet, plane inaudita. Alii, ut Doederlein, urbem Hieroſolymitanam *leonem Dei*, i. e. fortem appellari exiſtimant ob ſecuritatem invictam. „Nempe Eſajas," inquit Doederlein, „brevi tempore urbem a numeroſiſſimo Aſſyriorum exercitu obſi-

obsidendam praevidet, atque ad angustias redigendam; verum ne his quidem turbis vincendam, sed leonis more e summis rerum discriminibus vi divina emergentem." Sed quum Ezech. XLIII, 15. 16. *altare holocausti* in templo Hierosolymitano nomine אֲרִיאֵל appelletur, nec hoc loco aliter capiendum erit. Illud tamen minime *leonem Dei* dici existimandum est, quod ignis in eo accensus holocausta, leonis instar, vorabat et consumebat, quae et Bocharti est sententia, l. c.; sed notat potius id nomen *focum Dei*, אֲרִי collato cum Arabico إِرَةٌ (pro إِرْيٌ), *focus, caminus, locus omnis ubi accenditur, alitur vel fovetur ignis.* Hinc recte Chaldaeus: וַי מַדְבְּחָא מַדְבְּחָא דִּבְנֵי בְּקַרְתָּא דִּי שְׁרָא בַּהּ דָּוִד *Vae altari, altari, quod exstructum est in civitate, in qua habitavit David.* Hieronymus: „*Ariel*, id est, *leo Dei*, quondam fortissima vocatur Jerusalem; sive, ut alii arbitrantur, templum et altare Dei, quod erat in Jerusalem." Nuncupatur igitur urbs Hierosolymitana hic per metonymiam *focus Dei* ab altari holocausti, praecipuo cultus sacri instrumento. Cur vero hoc potissimum nomen hic usurpaverit vates, ratio mox vs. 2. patebit. קִרְיַת חָנָה דָוִד *Urbs in qua resedit David*, per ellipsin, pro eo quod integre esset קִרְיַת אֲשֶׁר בָּהּ חָנָה דָוִד, status constructus enim ponitur etiam sequente pronomine relativo, vel eo per ellipsin suppresso, vid. Schroederi *Syntax. Nom.* Reg. XIII. b. Ceterum verbum חָנָה, cujus usus alias plerumque est in *castrorum metatione*, hic simpliciter accipitur notione verbi יָשַׁב *resedit, sedem fixit.* Prima enim verbi חָנָה significatio haud dubie est *clinare*; unde Jud. XIX, 9. חֲנוֹת הַיּוֹם, λήγει τῆς ἡμέρας, dein *resedit, consedit*, Num. I, 51. Genes. XXVI, 17. Hieronymus, verbum חָנָה sumens significatu *obsidendi*, vertit: *civitas, quam expugnavit David*, sequutus interpretem Alexandrinum, ἣν Δαυὶδ ἐπολέμησε.

Rectius

Rectius dimisset, *quam oppugnavit*; verbum חָנָה enim non admittit *expugnandi* notionem, ferre potest eam *obsidendi*, ut vs. 3. Sed interpretatio a nobis adscita, quae et Chaldaei est (vid. supra), longe est simplicior; Hierosolymae enim, vel potius arcis Zioniae a Davide oppugnatae cur hic mentio fieret, nulla ratio est. ספו שָׁנָה עַל־שָׁנָה *Addite* modo *annum super anno*, sinite unum et alterum annum elabi. Quae sequuntur, חַגִּים יִנְקֹפוּ, Hieronymus vertit: *solennitates evolutae sunt*, sequutus haud dubie magistrum suum Hebraeum. Sic enim Chaldaeus: בִּרְחָגִין יְבַטְלוּן *quando festa cessabunt*. Jarchius: יכרתו *exscindentur*. Aben-Esra: ינקפו פועל עומד והטעם יפסקו העולות *Vox* ינקפו *intransitive usurpatur, estque sensus, futurum esse ut sacrificia deficiant*. Sed dura est loquutio, nec credibile, si id dicere voluisset propheta, usurum illum fuisse voce נָקַף *caedere*, *praecidere*, *destringere*, quae notio, metaphorice licet sumpta, ad *festa* et *solennitates* minus commode transfertur. Potior itaque interpretum recentiorum pars sequuta est Kimchium, qui per חַגִּים, quod proprie *festa*, *solennitates* notat, hic intelligit *victimas*, in festis et solennitatibus offerri solitas, e Ps. CXVIII, 27. *Vincite* חַג *festum*, i. e. victimam festam, *ad cornua altaris*. Vertit itaque hunc locum: *caedant*, s. *decervicent victimas*, vel *agnos festos*, observatque Chaldaeum vocem וְעָרַפְתּוֹ Exod. XIII. 13. vertere per וּתְנַקְפֵיהּ, est autem עָרַף *decervicare*. Si autem cui mirum videatur, prophetam notione adeo insolente uti voluisse ubi loquitur de mactatione et oblatione victimarum, hanc reddunt rationem, et ipse interpres Hebraeus, prophetam non dignatum esse cultum divinum, qui ab his hominibus in victimis caedendis et offerendis observabatur, alia loquutione designare, quod sciret cultum hunc obiri ab hominibus non sincere piis, qui in externis religionis ceremoniis ad Deum non integro animo acce-

ascendebant. Sed prophetam, si omnino verbum נָקַף, quod proprie destringere notat, usurpare voluisset de victimis Deo offerendis, tamen non verisimile est in ejusmodi casu adhibiturum fuisse vocem חַגִּים festa, duas duriores metaphoras inter se commiscendo, est enim durius et insolentius dictum: festa praecidere, pro offerre victimas. Neque necesse est, usitatam nominis חַגִּים significationem hic deserere, si verbum נָקַף cum Vitringa circumeundi significatu capimus, quo ejus forma Hiphil הִקִּיף in V. T. frequenter occurrit, ut verba hebraea vertantur: festa anniversaria in orbem redeant, quod cum eo quod praecedit, addite annum anno, optime convenit. Arctissime vero hic versus cum proximo cohaeret, et utroque demum versu sensus absolvitur.

2. וַהֲצִיקוֹתִי לַאֲרִיאֵל *Attamen angustiabo Arielem*, scil. obsidione. Praefixum ו hic est *adversative* capiendum, ut saepius. Verbum צוק conferendum est cum Arab. ضَاقَ (pro ضَيِقَ) *angustus*, *arctus fuit*, in Conjug. II. *arctavit*, angustum reddidit *illi locum*. Hinc הֵצִיק rectissime usurpatur de obsidione, qua hostes civitatem aut gentem angustiis premunt, conf. infra vs. 7. et Jerem. XIX, 9. וְהָיְתָה תַאֲנִיָּה וַאֲנִיָּה *Eritque moestitia et moeror.* Conjunguntur duo haec nomina ejusdem ortus et terminationis et Thren. II, 5. emphaseos causa. De verbo אָנָה cf. not. supra ad III, 26. In verbis hujus versus postremis, וְהָיְתָה לִּי כַּאֲרִיאֵל femininum הָיְתָה respicit nomen קִרְיַת vs. 1., *et erit mihi* scil. urbs illa, in qua resedit David, *ut Ariel.* Quibus verbis plerique interpretes hunc sensum dant, Deum facturum, ut in circuitu Hierosolymae plurima cadavera hominum prostrata jaceant; perinde ac circa aram holocausti cadavera animantium. Sed recte observavit Vitringa, alludi potius ad ignem in altari victimas consumentem, et prophetam hoc velle, Deum Hierosolymam

fa-

facturum esse suae irae focum, qui consumpturus sit tam improbos et refractarios Judaeos, quam hostes urbem obsidentes. Quem sensum commendat locus infra XXXI, 9. *Cadet Assur gladio non-viri, et gladius non-hominis devorabit illum, dicit Jova,* אֲשֶׁר אוּר לוֹ בְּצִיּוֹן *cui ignis est in Zione, et furnus* (תַּנּוּר) *Hierosolymis.* Utriusque versus sententia igitur haec est; vos profani et impii, qui vobis persuadetis, vos externo cultu, quo annua festa celebratis et victimas festas magno numero offertis, Deo satisfacere, ejusque placare iram, addite, si ita placet, annum anno, celebrate festa, procurate victimas, sed scitote, Deum in his neutiquam complacere, atque adeo non desiturum graves poenas vobis decretas exsequi. Plerique interpretes haec et quae dehinc sequuntur usque ad vs. 8. referunt ad obsidionem Hierosolymae tentatam a copiis Sanheribi, quae tamen ipsae magna et subita clade afflictae re infecta redire coactae sunt, ut infra XXXVII, 36. 37. 38. narratur. Verum enimvero quae hic denunciantur de urbe Hierosolymitana obsidione cingenda, circumdanda vallo erigendisque adversus eam propugnaculis, nemo doceat ex historia, illo tempore, quo Sanheribus urbi obsidionem intentabat, facta esse, vel fieri potuisse. Historia (infra XXXVI. XXXVII. 2 Reg. XIX.) habet, Sanheribum ex Aegypto reducem et Lachischam obsidentem, Rabsacen et praecipuos militiae praefectos cum copiarum suarum spectabili parte misisse Hierosolymam ad eam minis vel vi cogendam ad deditionem. Illum itaque mandata sua publice populo Hierosolymitano exposuisse; sed quum tulisset repulsam, nec deditionem regi aut populo persuasisset, re infecta ad Sanheribum, qui interea se cum copiis suis Libnam moverat, rediisse, novis mandatis ab ipso instruendum, quod quum factum esset rediisse Rabsacen Hierosolymam secum ferentem dirum nuncium indignationis superbi regis, et literas

ad

ad Hiskiam minarum plenas, sed illa ipsa nocte exercitum Asſyriacum a Jova angelo profligatum fuiſſe, conſumtis centum et octuaginta quinque millibus, ut adeo oppugnatio Hieroſolymorum ab Asſyrio actu inſtituta non fuerit. Sed videtur haec olim Judaeis concepta opinio fuiſſe, fore aliquando, ut urbs Hieroſolymitana ab hoſtibus obſideatur et anguſtia prematur, ſed modo admirando liberetur, ita ut conatus hoſtibus ipſis perniciosus ſit. Cf. Zachar. XII.

3. Quae verſu ſuperiore de urbe in anguſtias redigenda dixerat vates, jam propius declarat. וְחָנִיתִי כַדּוּר עָלָיִךְ *Et caſtra metabor ſicut orbem adverſus te*, i. e. obſidebo te in circuitu. Verbum חָנָה cum עַל ſumitur ſignificatu *obſidendi*, ut 2 Sam. XII, 28. Pſ. XXVII, 3. Nomen דּוּר, quod ſupra XXII, 18. *pilam* notaverat, hic propria ſua notione *gyrus*, *orbis*, ut Arabicum دَوْرٌ a دَوَرَ *circumivit*, *orbem egit*, capiendum eſt. Significatur hic idem quod Lucas XIX, 43. verbo περικυκλοῦν expreſſit. Verba ejus: *venient dies ſuper te, quibus* περιβαλοῦσιν οἱ ἐχθροί σου χάρακά σοι, καὶ περικυκλώσουσί σε. Oratio eſt Domini de extremo Hieroſolymae fato vaticinantis. Id ipſum vero quid ſit explicat idem alio loco XXI, 20. Quando itaque Hieroſolymam videritis κυκλουμένην ὑπὸ στρατοπέδων, *cingi ab exercitibus*. Hic primus actus eſt obſidionis urbi intentandae. Sequitur alter: וְצַרְתִּי עָלַיִךְ מֻצָּב *Et arctabo te ſtatione*, i. e. aggere, vallo. Eſt מֻצָּב a יָצַב *collocare*, *firmo loco ponere*, hic *ſtatio militaris*, qua vallum, quo urbs obſeſſa undique includitur indicatur, quia in eo ſtationes habebant milites. Recte Alexandrinus: καὶ βαλῶ περὶ σὲ χάρακα. Symmachus: καὶ χαρακώσω κατά σε στάσιν. Hieronymus: *et jaciam contra te aggerem*. Addit: וַהֲקִימֹתִי עָלַיִךְ מְצֻרֹת *et erigam adverſus te munitiones*, i. e. turres prae-

praesidiarias, propugnacula. Vocis מְצֻרָה latior est significatio, notat enim qualemcunque munitionem, sive urbis ipsius, sive ab hostibus adversus urbem exstructam. Verum notio הֵקִים *erigere* hic aeque ac circumstantiis orationis determinat ejus significationem, quae *turribus, propugnaculis* optime convenit. Valla autem castrensia veteris polioreeticae suas habuisse turres, aeque ac oppida, vel ex Homero satis notum, vid. *Il.* XII, 4 seqq. 416 seqq. Hieronymus: *et munimenta ponam in obsidionem tuam.* Alexandrinus: *καὶ θήσω περὶ σὲ πύργους*, unde tamen non tuto colligitur cum Lowthio, interpretem מְצָדוֹת (per Daleth) legisse: potuit enim et מְצוּרוֹת recte ita vertere.

4. וְשָׁפַלְתְּ מֵאֶרֶץ תְּדַבֵּרִי וּמֵעָפָר תִּשַּׁח אִמְרָתֵךְ *Tum humiliaberis, e terra loqueris*, i. e. humiliata ad terram jaciens loqueris, *et ex pulvere depressa erit oratio tua.* וְהָיָה כְּאוֹב מֵאֶרֶץ קוֹלֵךְ וּמֵעָפָר אִמְרָתֵךְ תְּצַפְצֵף *Et erit tanquam pythonis e terra vox tua, et ex pulvere loquela tua pipiet.* Sensus est, incolas Hierosolymorum, qui olim altum tonare et libero ore viribus ac munimentis suis, atque etiam foedere cum potentioribus inito gloriari solebant, illo tempore per obsidionem arctissimam ad summas animi angustias redactos pythonum instar humili usuros esse oratione, quae animi ipsorum angustias et metum exprimeret. De vocibus אוֹב et צִפְצֵף, de vatibus necromanticis usitatis, qui mortuorum umbras evocantes eorumque voces imitati, exili solebant et submissa voce uti, vid. not. ad VIII, 19.

5. וְהָיָה כְּאָבָק דַּק הֲמוֹן זָרָיִךְ *Et erit ut pulvis tenuis multitudo hostium tuorum.* Sunt, qui haec cum superioribus ita connectant, ut vates hic pergat in describenda obsidione urbis Hierosolymitanae, qui igitur comparationem cum pulvere unice referunt ad *multitudinem* hostium urbem coarctantium. Verum etsi *pulvis* imago

imago subinde ad multitudinem significandam adhibeatur, veluti Num. XXIII, 10. 2 Chron. I, 9.; hoc tamen loco quod in altero hemistichio additur, וּכְמֹץ עֹבֵר הֲמוֹן עָרִיצִים וְהָיָה לְפֶתַע פִּתְאֹם *et tanquam gluma transiens multitudo ferocium, fietque illud momento, repente,* satis ostendit, depingere vatem repentinam hostium dissipationem atque interitum, quemadmodum supra XVII, 13. hostes dissipandi et in fugam conjiciendi cum gluma montium a vento agitata comparantur. Pro זָרַיִךְ Lowthus זֵדִים *superbos* legi jubet, id enim poscere parallelismum, quum עָרִיצִים in hemistichio altero legatur, nec aliter in suo codice legisse Alexandrinum, qui ἀσεβῶν posuit. Verum זָר non solum *extraneos* designare, sed etiam *barbaros* et *crudeles hostes* vidimus ad I, 7. Cf. et XXV, 2.

6. מֵעִם יְהוָה צְבָאוֹת תִּפָּקֵד בְּרַעַם וּבְרַעַשׁ *A Jova agminum Deo visitabitur in tonitru et terrae motu* scil. הֲמוֹן זָרַיִךְ vs. superiore. Nomina *multitudinis, societatis, congregationis*, apud Hebraeos potestate generis femininei esse constat, unde hic verbum femininum תִּפָּקֵד usurpatur. Male id ab iis interpretibus, qui descriptionem obsidionis Hierosolymae hic continuari existimant refertur ad Urbem et vertitur *visitaberis*. Si enim ad Hierosolymam oratio dirigeretur, secunda Feminini persona תִּפָּקְדִי poni debuisset. Porro de *hostium* multitudine dissipanda et perdenda haec verba capienda esse, clarissime docet locus huic parallelus infra XXX, 30., ubi vates ad describendum hostis Assyrii interitum easdem fere imagines usurpat, quas hic legimus.

7. וְהָיָה כַּחֲלוֹם חֲזוֹן לַיְלָה הֲמוֹן כָּל־הַגּוֹיִם הַצֹּבְאִים עַל־אֲרִיאֵל *Et erit instar somnii visionis nocturni multitudo omnium gentium, quae militaverint contra Arielem.* Sunt interpretes, qui hostium multitudinem cito disparituram somnio hic comparari putent; quum tamen quae

quae vs. 8. ſequuntur aperte doceant, prophetam hoſtes conferre cum ſomniantibus, qui ſe ſpe vel fructu boni alicujus imaginarii lactarant. Integra hujus loci ſententia haec eſt: res ita ſe habebit cum hoſtibus, ut ſe habet in ſomnio cum famelicis et ſitibundis. Loquutio eſt metonymica ejus ſpeciei, quam *adjuncti* vocant, cujus in utriusque Foederis libris infinita ſunt exempla. Poteſt etiam eſſe *μετάληψις* vel *μετάθεσις*: *hoſtes ita ſe habebunt ut quis ſe habet in ſomnio*, hoc eſt, ut ipſe mox vs. 8. interpretatur, ut *famelicus* vel *ſitibundus* ſe habet in ſomnio. Sic ubi Dominus in parabola Matth. XIII, 45. regnum coeleſte ſimile eſſe ait negotiatori quaerenti bonas margaritas, non id proprie voluit dicere, *regnum* Dei ſimile eſſe *negotiatori*, ſed ſimile eſſe *margaritae*, quae a negotiatore quaeritur. Ita hic multitudo hoſtium eſſe dicitur ut *ſomnium*, i. e. ut ſomnians, qui *ſomnio* afficitur. Eadem eſt ratio hemiſtichii poſterioris: וְכָל־צֹבֶיהָ וּמְצֹדָתָהּ וְהַמְּצִיקִים לָהּ *omnium*, inquam, *qui militaverint contra eam*, urbem ſcil., ſe habebit inſtar ejus, qui in ſomnio verſatur, *et contra arcem ejus*, *et coanguſtaverint eam*. Pro צֹבֶיהָ וּמְצֹדָתָהּ Lowthus legere mallet צֹבְאָם וּמְצֹדָתָם, Chaldaeumque ut hujus lectionis teſtem citat. Sed bene Kocherus: „כָּל־צֹבֶיהָ", *omnes qui militaverint adverſus eam* (urbem Hieroſolymam). Formas verborum א et ה frequenter inter ſe permutari notum eſt; dein affixum ſing. fem. ut auctoritate, ſic bono ſenſu et trina repetitione facile comprobatur. Nec bene Chaldaeus citatur, qui non verbum de verbo hic exprimit, ſed ſibi placitum eumque dat ſenſum, unde ſincerum de vera ſingularum vocum lectione judicium ferri nequeat."

8. Ut vates irritas hoſtium ſpes pingat, eadem fere ſimilitudine utitur, qua Lucretius IV, 1091., a Lowtho adductus:

Ac veluti in somnis sitiens quum quaerit et humor
Non datur, ardorem in membris qui stinguere possit:
Sed laticum simulacra petit, frustraque laborat,
In medioque sitit torrenti flumine potans.

9. Jam oratione ad Judaeos conversa eos summi stuporis arguit. הִתְמַהְמְהוּ וּתְמָהוּ *Nectite moras* prae stupore *et admiramini.* Vox הִתְמַהְמַהּ, Hithpael verbi מָהַהּ, notat *cunctari*, *moras nectere*, vid. Genes. XIX, 16 XLIII, 10. 2 Sam. XV, 28. Id vero quum vel ad corpus vel ad animum referri possit, posterius hic obtinet, notatque eum animi statum, quo quis ad rem inexspectatam et miram defixus haeret, et prae stupore moratur. Recte igitur Hieronymus vocem vertere potuit *obstupescite*, nisi forte illi tribuerit notionem verbi תָּמַהּ *mirari*, ut הִתְמַהְמְהוּ idem ipsi fuerit quod Habacuco I, 5. הִתַּמְּהוּ, sed aegre id obtinet secundum canones Grammaticae. Et videtur tamen Chaldaeus id ita accepisse. Verba enim nostra eodem modo convertit quo similia Habac. I, 5. per אִתְרְכַּבוּ שְׁרוּ *obstupescite, admiramini*, quorum verborum prius proprie significat *prae stupore languescere*, sed posterius eandem vim habet quam hebraicum הִתְמַהְמַהּ, notat enim *cunctari* et *admirari*, sive *stupere*. Ceterum הִתְמַהְמְהוּ vix dubium est capiendum esse pro Imperativo, ut additum תְּמָהוּ. Plus est difficultatis in altero appellationis membro, הִשְׁתַּעַשְׁעוּ וָשֹׁעוּ, in quo vates eandem, quam in membro superiori, paronomasiam affectat. Hieronymus vertit: *fluctuate et vacillate.* Chaldaeus: אִשְׁתַּוְּשׁוּ אִרְזַמּוּ וְאִשְׁתַּטַּמוּ *terremini*, perturbamini, *cogitabundi estote*, *et admiramini*, s. stupete, ubi forsan vox media, אִרְזַמּוּ (pro אִזְדַּמּוּ, et hoc pro אִתְזַמּוּ, forma *Ithpaël*) *cogitabundi estote*, adscripta ad marginem, irrepsit in contextum, quin abesse etiam vocem in Polyglottis Antverpensibus, monet Buxtorfius, sed exstare in Bibliis

Bibliis Venetis. Syrus Chaldaeum, si hanc vocem excipias, perfecte expressit. Symmachus reddiderat: ἐξαπατήθητε καὶ ἀπατᾶσθε, *seducimini et seducite.* Coccejus: *oblectate vos et quiritamini.* Nata est interpretationum differentia ex vario respectu dictionum Hebraeorum שָׁעָה et שָׁעַע, quibus propheta hic utitur. Voces שַׁעֲשַׁע et הִשְׁתַּעֲשַׁע satis sunt receptae significatione *sa oblectandi, deliciandi*, ut שׁוּעַ valet *clamare, quiritari.* Verum non videtur esse dubium, quin voces שָׁעָה et שׁוּעַ olim quoque obtinuerint significationem *illinendi, obscurandi, excaecandi.* Vates enim noster verbo הָשַׁע supra VI, 10, manifeste usus est significatu *excaecandi*, dum dixit: וְעֵינָיו הָשַׁע *et oculos ejus excaeca*, proprie, *illine*, significatione petita a verbo שׁוּעַ, quod Chaldaeis idem valet quod Hebraeis טוּחַ *illinere, obducere*, cf. not. ad illum loc. Et infra XXXII, 3. manifeste servata est haec verbi שָׁעָה notio hisce verbis: וְלֹא תִשְׁעֶינָה עֵינֵי רֹאִים *nec obscurabuntur oculi videntium, et aures audientium attendent.* Quare Jarchius et Josephus Kimchi, Davidis pater (ipse enim David haec verba interpretatur de *clamoribus* falsorum prophetarum) recte hic amplectuntur significatum *excaecandi*, qui huic loco, in quo de hominibus mente caecis et stupidis agitur, optime convenit. Ipse enim propheta mox vs. 18. dicit: *ex caligine et tenebris* עֵינֵי עִוְרִים תִּרְאֶינָה *oculi caecorum videbunt.* Cf. infra XXXV, 5. XLII, 19. Vertendum igitur: *excaecate vos ipsos et excaecate* scil. alios, ut prius ad ductores populi, alterum ad populum spectet. Eandem sententiam Symmachus expressit, cujus interpretationem supra attulimus. Jam vero vates mutat personam, et hosce *stupentes*, mirabundos. mente caecos aliis ostentat his verbis: שָׁכְרוּ וְלֹא־יַיִן נָעוּ וְלֹא שֵׁכָר *Ebrii sunt, sed non vino, titubant, sed non temeto*, i. e. titubant, sed non modo sicut ebrii vino, verum multo etiam magis, maxime titubant, omni prorsus con-

obsidendam praevidet, atque ad angustias redigendam; verum ne his quidem turbis vincendam, sed leonis more e summis rerum discriminibus vi divina emergentem.“ Sed quum Ezech. XLIII, 15. 16. *altare holocausti* in templo Hierosolymitano nomine אֲרִיאֵל appelletur, nec hoc loco aliter capiendum erit. Illud tamen minime *leonem Dei* dici existimandum est, quod ignis in eo accensus holocausta, leonis instar, vorabat et consumebat, quae et Bocharti est sententia, l. c.; sed notat potius id nomen *focum Dei*, אֲרִי collato cum Arabico إِرَةٌ (pro إِرْيٌ), *focus, caminus, locus omnis ubi accenditur, alitur vel fovetur ignis.* Hinc recte Chaldaeus: וַי מַדְבְּחָא מַדְבְּחָא דִּבְנֵי בְּקַרְתָּא דִּי שְׁרָא בַּהּ דָּוִד *Vae altari, altari, quod exstructum est in civitate, in qua habitavit David.* Hieronymus: „*Ariel*, id est, *leo Dei*, quondam fortissima vocatur Jerusalem; sive, ut alii arbitrantur, templum et altare Dei, quod erat in Jerusalem.“ Nuncupatur igitur urbs Hierosolymitana hic per metonymiam *focus Dei* ab altari holocausti, praecipuo cultus sacri instrumento. Cur vero hoc potissimum nomen hic usurpaverit vates, ratio mox vs. 2. patebit. קִרְיַת חָנָה דָוִד *Urbs in qua resedit David*, per ellipsin, pro eo quod integre esset קִרְיַת אֲשֶׁר בָּהּ חָנָה דָוִד, status constructus enim ponitur etiam sequente pronomine relativo, vel eo per ellipsin suppresso, vid. Schroederi *Syntax. Nom.* Reg. XIII. b. Ceterum verbum חָנָה, cujus usus alias plerumque est in *castrorum metatione*, hic simpliciter accipitur notione verbi יָשַׁב *resedit, sedem fixit.* Prima enim verbi חָנָה significatio haud dubie est *clinare*; unde Jud. XIX, 9. חֲנוֹת הַיּוֹם, λῆξις τῆς ἡμέρας, dein *resedit, consedit*, Num. I, 51. Genes. XXVI, 17. Hieronymus, verbum חָנָה sumens significatu *obsidendi*, vertit: *civitas, quam expugnavit David*, sequutus interpretem Alexandrinum, ἣν Δαυὶδ ἐπολέμησε.

Rectius

Rectius dimisset, *quam oppugnavit;* verbum חָנָה enim non admittit *expugnandi* notionem, ferre potest eam *obsidendi*, ut vs. 3. Sed interpretatio a nobis adscita, quae et Chaldaei est (vid. supra), longe est simplicior; Hierosolymae enim, vel potius arcis Zioniae a Davide oppugnatae cur hic mentio fieret, nulla ratio est. ספו שָׁנָה עַל-שָׁנָה *Addite* modo *annum super anno*, finite unum et alterum annum elabi. Quae sequuntur. חַגִּים יִנְקֹפוּ, Hieronymus vertit: *solennitates evolutae sunt*, sequutus haud dubie magistrum suum Hebraeum. Sic enim Chaldaeus: בִּרְחַגִּין יְבַטְּלוּן *quando festa cessabunt.* Jarchius: יכרתו *exscindentur.* Aben-Esra: ינקפו פועל עומד והטעם יפסקו העולות *Vox* ינקפו *intransitive usurpatur, estque sensus, futurum esse ut sacrificia deficiant.* Sed dura est loquutio, nec credibile, si id dicere voluisset propheta, usurum illum fuisse voce נָקַף *caedere, praecidere, destringere*, quae notio, metaphorice licet sumpta, ad *festa* et *solennitates* minus commode transfertur. Potior itaque interpretum recentiorum pars sequuta est Kimchium, qui per חַגִּים, quod proprie *festa, solennitates* notat, hic intelligit *victimas*, in festis et solennitatibus offerri solitas, e Ps. CXVIII, 27. *Vincite* חַג *festum*, i. e. victimam festam, *ad cornua altaris.* Vertit itaque hunc locum: *caedant*, s. *decervicent victimas*, vel *agnos festos*, observatque Chaldaeum vocem וַעֲרַפְתּוֹ Exod. XIII. 13. vertere per תִּנְקְפֵיהּ, est autem עָרַף *decervicare.* Si autem cui mirum videatur, prophetam notione adeo insolente uti voluisse ubi loquitur de mactatione et oblatione victimarum, hanc reddunt rationem, et ipse interpres Hebraeus, prophetam non dignatum esse cultum divinum, qui ab his hominibus in victimis caedendis et offerendis observabatur, alia loquutione designare, quod sciret cultum hunc obiri ab hominibus non sincere piis, qui in externis religionis ceremoniis ad Deum non integro animo acce-

accedebant. Sed prophetam, si omnino verbum נָקַף, quod proprie destringere notat, usurpare voluisset de victimis Deo offerendis, tamen non verisimile est in ejusmodi casu adhibiturum fuisse vocem חַגִּים festa, duas duriores metaphoras inter se commiscendo, est enim durius et insolentius dictum: festa praecidere, pro offerre victimas. Neque necesse est, usitatam nominis חַגִּים significationem hic deserere, si verbum נָקַף cum Vitringa circumeundi significatu capimus, quo ejus forma Hiphil הִקִּיף in V. T. frequenter occurrit, ut verba hebraea vertantur: festa anniversaria in orbem redeant, quod cum eo quod praecedit, addite annum anno, optime convenit. Arctissime vero hic versus cum proximo cohaeret, et utroque demum versu sensus absolvitur.

2. וַהֲצִיקוֹתִי לַאֲרִיאֵל Attamen angustabo Arielem, scil. obsidione. Praefixum ו hic est adversative capiendum, ut saepius. Verbum צוּק conferendum est cum Arab. ضاق (pro ضيق) angustus, arctus fuit, in Conjug. II. arctavit, angustum reddidit illi locum. Hinc מָצוֹק rectissime usurpatur de obsidione, qua hostes civitatem aut gentem angustiis premunt, conf. infra vs. 7. et Jerem. XIX, 9. וְהָיְתָה תַאֲנִיָּה וַאֲנִיָּה Eritque moestitia et moeror. Conjunguntur duo haec nomina ejusdem ortus et terminationis et Thren. II, 5. emphaseos causa. De verbo אָנָה cf. not. supra ad III, 26. In verbis hujus versus postremis, וְהָיְתָה לִּי כַּאֲרִיאֵל femininum הָיְתָה respicit nomen קִרְיָה vs. 1., et erit mihi scil. urbs illa, in qua resedit David, ut Ariel. Quibus verbis plerique interpretes hunc sensum dant, Deum facturum, ut in circuitu Hierosolymae plurima cadavera hominum prostrata jaceant; perinde ac circa aram holocausti cadavera animantium. Sed recte observavit Vitringa, alludi potius ad ignem in altari victimas consumentem, et prophetam hoc velle, Deum Hierosolymam

fa-

facturum esse suae irae focum, qui consumpturus sit tam improbos et refractarios Judaeos, quam hostes urbem obsidentes. Quem sensum commendat locus infra XXXI, 9. *Cadet Assur gladio non-viri, et gladius non-hominis devorabit illum, dicit Jova,* אֲשֶׁר אוּר לוֹ בְּצִיּוֹן *cui ignis est in Zione, et furnus* (תַנּוּר) *Hierosolymis.* Utriusque versus sententia igitur haec est; vos profani et impii, qui vobis persuadetis, vos externo cultu, quo annua festa celebratis et victimas festas magno numero offertis, Deo satisfacere, eiusque placare iram, addite, si ita placet, annum anno, celebrate festa, procurate victimas, sed scitote, Deum in his neutiquam complacere, atque adeo non desiturum graves poenas vobis decretas exsequi. Plerique interpretes haec et quae dehinc sequuntur usque ad vs. 8. referunt ad obsidionem Hierosolymae tentatam a copiis Sanheribi, quae tamen ipsae magna et subita clade afflictae re infecta redire coactae sunt, ut infra XXXVII, 36. 37. 38. narratur. Verum enimvero quae hic denunciantur de urbe Hierosolymitana obsidione cingenda, circumdanda vallo erigendisque adversus eam propugnaculis, nemo doceat ex historia, illo tempore, quo Sanheribus urbi obsidionem intentabat, facta esse, vel fieri potuisse. Historia (infra XXXVI. XXXVII, 2 Reg. XIX.) habet, Sanheribum ex Aegypto reducem et Lachischam obsidentem, Rabsacen et praecipuos militiae praefectos cum copiarum suarum spectabili parte misisse Hierosolymam ad eam minis vel vi cogendam ad deditionem. Illum itaque mandata sua publice populo Hierosolymitano exposuisse; sed quum tulisset repulsam, nec deditionem regi aut populo persuasisset, re infecta ad Sanheribum, qui interea se cum copiis suis Libnam moverat, rediisse, novis mandatis ab ipso instruendum, quod quum factum esset rediisse Rabsacen Hierosolymam secum ferentem dirum nuncium indignationis superbi regis, et literas ad

ad Hiskiam minarum plenas, sed illa ipsa nocte exercitum Asyriacum a Jova angelo profligatum fuisse, consumtis centum et octuaginta quinque millibus, ut adeo oppugnatio Hierosolymorum ab Asyrio actu instituta non fuerit. Sed videtur haec olim Judaeis concepta opinio fuisse, fore aliquando, ut urbs Hierosolymitana ab hostibus obsideatur et angustia prematur, sed modo admirando liberetur, ita ut conatus hostibus ipsis perniciosus sit. Cf. Zachar. XII.

3. Quae versu superiore de urbe in angustias redigenda dixerat vates, jam propius declarat. וְחָנִיתִי כַדּוּר עָלָיִךְ *Et castra metabor sicut orbem adversus te*, i. e. obsidebo te in circuitu. Verbum חָנָה cum עַל sumitur significatu *obsidendi*, ut 2 Sam. XII, 28. Ps. XXVII, 3. Nomen דּוּר, quod supra XXII, 18. *pilam* notaverat, hic propria sua notione *gyrus*, *orbis*, ut Arabicum دور a دور *circumivit*, *orbem egit*, capiendum est. Significatur hic idem quod Lucas XIX, 43. verbo περικυκλῶν expressit. Verba ejus: *venient dies super te, quibus* περιβαλοῦσιν οἱ ἐχθροί σου χάρακα σοι, καὶ περικυκλώσουσί σε. Oratio est Domini de extremo Hierosolymae fato vaticinantis. Id ipsum vero quid sit explicat idem alio loco XXI, 20. Quando itaque Hierosolymam videritis κυκλουμένην ὑπὸ στρατοπέδων, *cingi ab exercitibus*. Hic primus actus est obsidionis urbi intentandae. Sequitur alter: וְצַרְתִּי עָלַיִךְ מֻצָּב *Et arctabo te statione*, i. e. aggere, vallo. Est מֻצָּב a יָצַב *collocare*, *firmo loco ponere*, hic *statio militaris*, qua vallum, quo urbs obsessa undique includitur indicatur, quia in eo stationes habebant milites. Recte Alexandrinus: καὶ βαλῶ περὶ σὲ χάρακα. Symmachus: καὶ χαρακώσω κατά σου στάσιν. Hieronymus: *et jaciam contra te aggerem*. Addit: וַהֲקִימֹתִי עָלַיִךְ מְצֻרֹת *et erigam adversus te munitiones*, i. e. turres prae-

praesidiarias, propugnacula. Vocis מְצוּרָה latior est significatio, notat enim qualemcunque munitionem, sive urbis ipsius, sive ab hostibus adversus urbem exstructam. Verum notio הֵקִים *erigere* hic aeque ac circumstantia orationis determinat ejus significationem, quae *turribus*, *propugnaculis* optime convenit. Valla autem castrensia veteris polioreeticae suas habuisse turres, aeque ac oppida, vel ex Homero satis notum, vid. *Il.* XII, 4 seqq. 416 seqq. Hieronymus: *et munimenta ponam in obsidionem tuam.* Alexandrinus: *καὶ θήσω περὶ σὲ πύργους*, unde tamen non tuto colligitur cum Lowthio, interpretem מְצָדוֹת (per Daleth) legisse: potuit enim et מְצוּרוֹת recte ita vertere.

4. וְשָׁפַלְתְּ מֵאֶרֶץ תְּדַבֵּרִי וּמֵעָפָר תִּשַּׁח אִמְרָתֵךְ *Tum humiliaberis, e terra loqueris*, i. e. humiliata ad terram jaciens loqueris, *et ex pulvere depressa erit oratio tua.* וְהָיָה כְּאוֹב מֵאֶרֶץ קוֹלֵךְ וּמֵעָפָר אִמְרָתֵךְ תְּצַפְצֵף *Et erit tanquam pythonis e terra vox tua, et ex pulvere loquela tua pipiet.* Sensus est, incolas Hierosolymorum, qui olim altum tonare et libero ore viribus ac munimentis suis, atque etiam foedere cum potentioribus inito gloriari solebant, illo tempore per obsidionem arctissimam ad summas animi angustias redactos pythonum instar humili usuros esse oratione, quae animi ipsorum angustias et metum exprimeret. De vocibus אוֹב et צִפְצֵף, de vatibus necromanticis usitatis, qui mortuorum umbras evocantes eorumque voces imitati, exili solebant et submissa voce uti, vid. not. ad VIII, 19.

5. וְהָיָה כְּאָבָק דַּק הֲמוֹן זָרָיִךְ *Et erit ut pulvis tenuis multitudo hostium tuorum.* Sunt, qui haec cum superioribus ita connectant, ut vates hic pergat in describenda obsidione urbis Hierosolymitanae, qui igitur comparationem cum pulvere unice referunt ad *multitudinem* hostium urbem coarctantium. Verum etsi *pulvis* imago

imago subinde ad multitudinem significandam adhibeatur, veluti Num. XXIII, 10. 2 Chron. I, 9.; hoc tamen loco quod in altero hemistichio additur, וּכְמֹץ עֹבֵר הֲמוֹן עָרִיצִים וְהָיָה לְפֶתַע פִּתְאֹם *et tanquam gluma transiens multitudo ferocium, fietque illud momento, repente*, satis ostendit, depingere vatem repentinam hostium dissipationem atque interitum, quemadmodum supra XVII, 13. hostes dissipandi et in fugam conjiciendi cum gluma montium a vento agitata comparantur. Pro זָרַיִךְ Lowthus זֵדִים *superbos* legi jubet, id enim poscere parallelismum, quum עָרִיצִים in hemistichio altero legatur, nec aliter in suo codice legisse Alexandrinum, qui ἀσεβῶν posuit. Verum זָר non solum *extraneos* designare, sed etiam *barbaros* et *crudeles hostes* vidimus ad I, 7. Cf. et XXV, 2.

6. מֵעִם יְהוָה צְבָאוֹת תִּפָּקֵד בְּרַעַם וּבְרַעַשׁ *A Jova agminum Deo visitabitur in tonitru et terrae motu* scil. הֲמוֹן זָרַיִךְ vs. superiore. Nomina *multitudinis, societatis, congregationis*, apud Hebraeos potestate generis feminine esse constat, unde hic verbum femininum תִּפָּקֵד usurpatur. Male id ab iis interpretibus, qui descriptionem obsidionis Hierosolymae hic continuari existimant refertur ad Urbem et vertitur *visitaberis*. Si enim ad Hierosolymam oratio dirigeretur, secunda Feminini persona תִּפָּקְדִי poni debuisset. Porro de *hostium* multitudine dissipanda et perdenda haec verba capienda esse, clarissime docet locus huic parallelus infra XXX, 30., ubi vates ad describendum hostis Assyrii interitum easdem fere imagines usurpat, quas hic legimus.

7. וְהָיָה כַּחֲלוֹם חֲזוֹן לַיְלָה הֲמוֹן כָּל־הַגּוֹיִם הַצֹּבְאִים עַל־אֲרִיאֵל *Et erit instar somnii visionis nocturni multitudo omnium gentium, quae militaverint contra Arielem.* Sunt interpretes, qui hostium multitudinem cito disparituram somnio hic comparari putent; quum tamen quae

quae vs. 8. sequuntur aperte doceant, prophetam hostes conferre cum somniantibus, qui se spe vel fructu boni alicujus imaginarii lactarant. Integra hujus loci sententia haec est: res ita se habebit cum hostibus, ut se habet in somnio cum famelicis et sitibundis. Loquutio est metonymica ejus speciei, quam *adjuncti* vocant, cujus in utriusque Foederis libris infinita sunt exempla. Potest etiam esse μετάληψις vel μετάθεσις: *hostes ita se habebunt ut quis se habet in somnio*, hoc est, ut ipse mox vs. 8. interpretatur, ut *famelicus* vel *sitibundus* se habet in somnio. Sic ubi Dominus in parabola Matth. XIII, 45. regnum coeleste simile esse ait negotiatori quaerenti bonas margaritas, non id proprie voluit dicere, *regnum* Dei simile esse *negotiatori*, sed simile esse *margaritae*, quae a negotiatore quaeritur. Ita hic multitudo hostium esse dicitur ut *somnium*, i. e. ut somnians, qui *somnio* afficitur. Eadem est ratio hemistichii posterioris: וְכָל־צֹבֶיהָ וּמְצֹדָתָהּ וְהַמְּצִיקִים לָהּ *omnium*, inquam, *qui militaverint contra eam*, urbem scil., se habebit instar ejus, qui in somnio versatur, *et contra arcem ejus*, *et coangustaverint eam*. Pro צֹבֶיהָ וּמְצֹדָתָהּ Lowthus legere mallet צֹבְאָם וּמְצֹרָתָם, Chaldaeumque ut hujus lectionis testem citat. Sed bene Kocherus: „כָּל־צֹבֶיהָ„, *omnes qui militaverint adversus eam* (urbem Hierosolymam). Formas verborum א et ה frequenter inter se permutari notum est; dein affixum sing. fem. ut auctoritate, sic bono sensu et trina repetitione facile comprobatur. Nec bene Chaldaeus citatur, qui non verbum de verbo hic exprimit, sed sibi placitum eumque dat sensum, unde sincerum de vera singularum vocum lectione judicium ferri nequeat."

8. Ut vates irritas hostium spes pingat, eadem fere similitudine utitur, qua Lucretius IV, 1091., a Lowtho adductus:

Ac veluti in somnis sitiens quum quaerit et humor
Non datur, ardorem in membris qui stinguere possit:
Sed laticum simulacra petit, frustraque laborat,
In medioque sitit torrenti flumine potans.

9. Jam oratione ad Judaeos conversa eos summi stuporis arguit. הִתְמַהְמְהוּ וּתְמָהוּ *Nectite moras prae stupore et admiramini.* Vox הִתְמַהְמֵהַּ, Hithpael verbi מָהַהּ, notat *cunctari*, *moras nectere*, vid. Genes. XIX, 16 XLIII, 10. 2 Sam. XV, 28. Id vero quum vel ad corpus vel ad animum referri possit, posterius hic obtinet, notatque eum animi statum, quo quis ad rem inexspectatam et miram defixus haeret, et prae stupore moratur. Recte igitur Hieronymus vocem vertere potuit *obstupescite*, nisi forte illi tribuerit notionem verbi תָּמַהּ *mirari*, ut הִתְמַהְמְהוּ idem ipsi fuerit quod Habacuco I, 5. הִתַּמְּהוּ, sed aegre id obtinet secundum canones Grammaticae. Et videtur tamen Chaldaeus id ita accepisse. Verba enim nostra eodem modo convertit quo similia Habac. I, 5. per אִתְרְפוּ שְׁהוּ *obstupescite, admiramini*, quorum verborum prius proprie significat *prae stupore languescere*, sed posterius eandem vim habet quam hebraicum הִתְמַהְמֵהַּ, notat enim *cunctari* et *admirari*, sive *stupere*. Ceterum הִתְמַהְמְהוּ vix dubium est capiendum esse pro Imperativo, ut additum תְמָהוּ. Plus est difficultatis in altero appellationis membro, הִשְׁתַּעַשְׁעוּ וָשֹׁעוּ, in quo vates eandem, quam in membro superiori, paronomasiam affectat. Hieronymus vertit: *fluctuate et vacillate.* Chaldaeus: אִשְׁתַּגִּישׁוּ אִרְזַמִּרוּ וְאִשְׁתְּמַמוּ *terremini*, perturbamini, *cogitabundi estote, et admiramini*, s. stupete, ubi forsan vox media, אִרְזַמִּימוּ (pro אִזְדַּמִּימוּ, et hoc pro אִתְזַמִּימוּ, forma *Ithpaël*) *cogitabundi estote*, adscripta ad marginem, irrepsit in contextum, quin abesse etiam vocem in Polyglottis Antverpensibus, monet Buxtorfius, sed exstare in

Bibliis

Bibliis Venetis. Syrus Chaldaeum, si hanc vocem excipias, perfecte expressit. Symmachus reddiderat: ἐξαπατήθητε καὶ ἀπατᾶσθε, *seducimini et seducite*. Coccejus: *oblectate vos et quiritamini*. Nata est interpretationum differentia ex vario respectu dictionum Hebraeorum שָׁעָה et שׁוּעַ, quibus propheta hic utitur. Voces שִׁעֲשַׁע et הִשְׁתַּעֲשַׁע satis sunt receptae significatione *se oblectandi, deliciandi*, ut שׁוּעַ valet *clamare, quiritari*. Verum non videtur esse dubium, quin voces שָׁעָה et שׁוּעַ olim quoque obtinuerint significationem *illinendi, obscurandi, excaecandi*. Vates enim noster verbo הָשַׁע supra VI, 10, manifeste usus est significatu *excaecandi*, dum dixit: וְעֵינָיו הָשַׁע *et oculos ejus excaeca*, proprie, *illine*, significatione petita a verbo שׁוּעַ, quod Chaldaeis idem valet quod Hebraeis טוּחַ *illinere, obducere*, cf. not. ad illum loc. Et infra XXXII, 3. manifeste servata est haec verbi שָׁעָה notio hisce verbis: וְלֹא תִשְׁעֶינָה עֵינֵי רֹאִים *nec obscurabuntur oculi videntium, et aures audientium attendent*. Quare Jarchius et Josephus Kimchi, Davidis pater (ipse enim David haec verba interpretatur de *clamoribus* falsorum prophetarum) recte hic amplectuntur significatum *excaecandi*, qui huic loco, in quo de hominibus mente caecis et stupidis agitur, optime convenit. Ipse enim propheta mox vs. 18. dicit: *ex caligine et tenebris* עֵינֵי עִוְרִים תִּרְאֶינָה *oculi caecorum videbunt*. Cf. infra XXXV, 5. XLII, 19. Vertendum igitur: *excaecate vos ipsos et excaecate* scil. alios, ut prius ad ductores populi, alterum ad populum spectet. Eandem sententiam Symmachus expressit, cujus interpretationem supra attulimus. Jam vero vates mutat personam, et hosce *stupentes*, mirabundos. mente caecos aliis ostentat his verbis: שָׁכְרוּ וְלֹא־יַיִן נָעוּ וְלֹא שֵׁכָר *Ebrii sunt, sed non vino, titubant, sed non temeto*, i. e. titubant, sed non modo sicut ebrii vino, verum multo etiam magis, maxime titubant, omni prorsus con-

Aa 2 silio

filio destituti (vs. 10—14); titubant ebrii spiritu soporifero (vs. 10.), non modo graves mero et somno. Scilicet Hebraei aeque ac Arabes (vid. Schultensium ad Job. XXX, 28. p. 853.) in hujusmodi comparationibus affirmativum enunciatum saepe omittunt, veluti Jerem. IV, 11. *ventus non ad ventilandum*, i. e. (conf. vs. 12.) ventus multo magis saeviens, validissimus; conf. Jes. LI, 12. ubi not. vide; et Storrii *Observatt. ad Analog. et Synt. Hebr.* p. 261. Ceterum veteres haec etiam forma Imperativi acceperunt. Alexandrinus: κραιπαλήσατε. Hieronymus: *inebriamini et non a vino, movemini, et non ab ebrietate;* pariter Chaldaeus. Patet, illos pro שָׁכְרוּ legisse שִׁכְרוּ, quomodo et Biblia Basileensia habent. Sed quod in ceteris omnibus legitur, שָׁכְרוּ, confirmat נָעוּ, quod sequitur, tertia Praeteriti persona, sine ulla codicum variatione, et prophetae nil est familiarius ejus modi personae mutatione.

10. Jam personâ tertiâ in secundam mutatâ recta appellat proceres populi Judaici, nec figurate amplius, sed proprie explicat caecitatem mentis illorum: כִּי נָסַךְ עֲלֵיכֶם יְהוָה רוּחַ תַּרְדֵּמָה *nam effudit super vos Jova spiritum soporis.* Verbum נָסַךְ nonnulli interpretes cum Kimchio *operiendi* significatu hic capiunt, ut supra XXV, 7. Sed retinenda est *effundendi* notio, qua verbum hoc frequentius in V. T. occurrit, quum ea conveniat et notioni *spiritus*, qui stylo Hebraeorum dicitur *effundi*, et quoque voci *soporis*. Veteres enim ut *somnos* graves a Diis hominibus *immitti* statuebant, sic verum est, videri eos, qui in gravem soporem et veternum incidunt, liquore quodam mortifero obrutos et suffusos esse. וַיְעַצֵּם אֶת־עֵינֵיכֶם *Et obligavit*, occlusit, *oculos vestros.* Verbum עִצֵּם vulgo *constipavit* vertunt, instar ossium (עֲצָמִים) solide inter se compactorum. Sed est potius hic idem quod consonum Arabicum

bicum عصم, quod in Conjug. IV. notat: *vinculo loroque constrinxit*, idem quod alias عصب et Chaldaicum עֲצַב, frequenti literarum M et B permutatione. Pergit vates: אֶת־הַנְּבִיאִים וְאֶת־רָאשֵׁיכֶם הַחֹזִים כִּסָּה *prophetas vestros et primores vestros, videntes, texit*, caligine mentis obduxit. הַחֹזִים nonnulli per ἀσύνδετον vertunt: *et videntes texit*, solet enim propheta non raro ubi tria membra inter se copulanda sunt, copulam in extremo negligere. Sed est הַחֹזִים potius epitheton prophetarum et primorum, qui se *videntes*, i. e. acute cernentes jactitabant.

11. Vaticiniorum a veris Jovae prophetis prolatorum vim nec volunt nec possunt percipere. Hanc simplicem sententiam poetice ita enunciat, ut vaticinium veri prophetae comparet cum libro obsignato, qui si tradatur viro legere callido, ab ipso non legatur, hoc obtentu, quod esset obsignatus; cum tamen, si ipsi esset voluntas illum legendi, aperire eum et legere possit. „Ita," Kimchius inquit, „dicunt *sapientes*, qui sunt inter vos: quia in oraculis divinis multa sunt occulta, ea non curant; sed si esset eis voluntas eudiendi ac intelligendi illa, aliquem juberent oracula illa ipsis explicare." חָזוּת הַכֹּל proprie: τὸ ὅραμα τῦ παντός, *visio universi hujus*, i. e. universa haec visio. Hieronymus vertit: *visio omnium*, retulitque ad omnes prophetias, in quibus Judaei caecutiunt. Graecus Alexandrinus: τὰ ῥήματα πάντα ταῦτα. לֹא אוּכַל *Non possum* scil. legere, לִקְרוֹת, quod quum in codice quodam legatur, et a Graeco quoque Alexandrino interprete per ἀναγνῶναι exprimatur, Lowthus textui inserendum arbitratur. Verum scite Kocherus monet, ejusmodi ellipsin non Jesajae modo, sed aliis etiam scriptoribus Hebraeis satis usitatum esse, veluti Cap. I, 13. Ps. CI, 5. Exod. VIII, 14. Jon. I, 13.

Illud לִקְרוֹת autem, in uno lectum codice, librario quodam, nimis sedulo, haud dubie deberi, quod vel insolita verbi forma arguat, nam alias לִקְרֹא usurpari, excepto uno קְרֹאת, sed per א, Jud. VIII, 1.

12. Liber si traditur litterarum rudi, is eum non legere poterit, quamquam non sit obsignatus (vs. 11.) sed apertus. Kimchius: „*Stulti*, qui sunt inter vos, invenient hunc praetextum: *non intelligimus effata divina; dicite sapientibus:* sed hi cum prophetis illos seducunt; ut itaque effata divina non audiantur inter vos, neque *sapientibus*, neque *stultis*." עַל־אֲשֶׁר pro אֶל־אֲשֶׁר, ut 1 Sam. I, 10. III, 11.

13. Hic versus antecedens, proximus consequens continet: יַעַן כִּי *quia illi faciunt hoc* — לָכֵן *ideo ego faciam etc.* Varietas lectionis est in נגש, aliis codicibus נִגַּשׁ, cum *Schin* [et ita quidem hodie codices plerique, cum Alexandrinis, utroque Arabe, Syro, et Vulgato, nec non Matthaeo XV, 8. atque Marco VII, 6.], aliis נִגַּשׂ, cum *Sin* [quod de Rossi invenit in *septendecim* codicibus, *decemque* libris impressis, et Chaldaeus etiam expressit] exhibentibus. 1) Assumto נִגַּשׁ sensus erit hic: *quia hic populus appropinquat tantummodo* ad me, ad templum meum; animo disjuncti a me, corpora tantum in templum meum ferunt; eadem sententia, quae supra Cap. I, 12. occurrit. 2) Qui נִגַּשׂ praeferunt, non uno modo haec verba interpretantur. *a*) Quoniam נוגש nonnumquam *praefecti*, *dominatoris* significatione occurrit (nam a prima notione verbi נָגַשׂ *urgere*, *debitum exigere*, facilis ad *dominandi* significationem transitus fuit), e. c. Exod XV, 3. Zach. X, 14. [*ex ipso*, Juda, *prodibit* כָּל־נוגש *omnis dominator*, rex, vel princeps]; Chaldaeus hoc loco Niphal vertit: אִתְרַבְרַב *se ipse effert* tumido et stulto fastu (cf. vs. 16.). *b*) Kimchius נִגַּשׂ h. l. *oppressus est* interpretatur, qua significatione occurrit infra LIII, 7. נִגַּשׂ וְהוּא נַעֲנֶה

oppres-

oppressus est et afflictus; ut sensus sit: quando affligitur populus iste et in angustia versatur, ore suo et labiis suis me honorat. c) J. D. MICHAELIS in *Supplemm.* p. 1196.: *propterea quod poenas jam dedit populus hic, nec tamen illis emendatus solo me ore et labiis colit.* Sed tam huic quam antecedenti interpretationi obstat hoc, quod *poenarum* versu demum sequenti mentio fit; hic crimina tantum populi nominantur. Sine ratione etiam textui intruduntur, quae Michaelis supplet. Melius Coccejus vertit: *propterea quod populus hic adigitur*, adigi debet ad cultum meum, et ita quidem ut me labiis tantum honoret. Sed recte Kimchi praefert quod in codicibus longe pluribus legitur, et a plerisque quoque veteribus interpretibus, ut supra vidimus, exprimitur, נִגַּשׁ, auctoritate Masorae impressae, quae ad hanc vocem notat: ל׳ בספרא *non* exstat amplius *in hoc libro*, נִגַּשׁ vero adhuc semel exstat Jes. LIII, 7. Addit vates: וְלִבּוֹ רִחַק sed *cor suum procul avertit* a me, non ex animo me colunt, sed templum meum ideo tantummodo frequentant, quod ita praeceptum est, et ipsi huic rei assueti sunt. וַתְּהִי יִרְאָתָם אֹתִי מִצְוַת אֲנָשִׁים מְלֻמָּדָה *Estque timor eorum* et cultus *erga me*, s. quo me colunt, *praeceptum hominum condocefactum.* יִרְאָתָם אֹתִי proprie *reverentia eorum me* pro eo quod plene esset: יִרְאָתָם אֲשֶׁר יִרְאוּ אֹתִי *reverentia eorum qua me reverentur.* Simile est 2 Sam. III, 11. in historia Isbosethi: מִיִּרְאָתוֹ אֹתוֹ *propter timorem ejus eum*, i. e. erga eum. Verbalia anim nomina apud Hebraeos casum Verbi sui regunt. Matthaeus posterius hoc membrum XV, 9. ita exhibet: *μάτην δὲ σέβονταί με, διδάσκοντες διδασκαλίας ἐντάλματα ἀνθρώπων.* Sic pariter Marcus, fere ut interpres Alexandrinus, nisi quod is extremas voces transponat, easque per copulam conjungat hoc modo: *διδάσκοντες ἐντάλματα ἀνθρώπων καὶ διδασκαλίας.* Utraque versio est exegetica, quae sensum ejus quod propheta

 di-

dicere vult perfecte reddit, ut necesse non sit dicere, interpretem Alexandrinum pro וַתְּהִי legisse וְתֹהוּ, idque vertisse καὶ μάτην, quod Grotius vult. Est enim insolens et incommoda constructio יִרְאָתָם אֹתִי pro וְתֹהוּ אֹתִי יִרְאָתָם.

14. לָכֵן הִנְנִי יוֹסִף לְהַפְלִיא אֶת־הָעָם־הַזֶּה הַפְלֵא וָפֶלֶא *Propterea ecce me addentem mire agere cum hoc populo mirabiliter agendo et mirum in modum*, i. e. efficiam, ut omnes posthac mirentur sortem, calamitatem et infelicitatem hujus populi (conf. Thren. I, 9. תֵּרֶד פְּלָאִים, *descendit* urbs *miris modis*, i. e. multi mirati sunt lamentabilem casum tam florentis urbis). Geminatio illa, *mirabile et miraculum*, frequens Hebraeis, pro *re maxime miranda et stupenda*. יוֹסִף est Participium cum *Chirek* pro *Tsere*, ut infra Jes. XXXVIII, 5. וְאָבְדָה חָכְמַת חֲכָמָיו *Ut pereat sapientia sapientium ejus.* Quum supervenerit ipsis malum, non erit illis consilium, quo eripiantur ex illo, neque proderit eis tunc sapientia sua. וּבִינַת נְבֹנָיו תִּסְתַּתָּר *Et prudentia prudentium abdet sese*, i. e. evanescet.

15. הוֹי הַמַּעֲמִיקִים מֵיהוָה לַסְתִּר עֵצָה *Vae illis qui profundum faciunt a Jova ad occultandum consilium*, i. e. qui callida pietatis simulatione consilia sua mala coram Jova tegere student. Vox מֵיהוָה in hac sententia duplicem obtinet potestatem, ut partim cohaereat cum antecedente הַמַּעֲמִיקִים, partim cum sequente לַסְתִּר. Si vates hoc tantum dicere voluisset: *vae his, qui profunde tegunt consilium coram Jova*, scribere potuisset: הַעֲמִיקִים לַסְתִּיר עֵצָה מֵיהוָה, quae structio orationis magis conveniret genio linguae; sed propheta vocem מֵיהוָה jungens voci הַמַּעֲמִיקִים hanc emphasin addidit orationi, ut significet homines, qui dum consilia sua coram Jova tegunt, se ipsis illis suis consiliis illi subducunt, et animos suos a Deo avertunt. וְהָיָה בְמַחְשָׁךְ מַעֲשֵׂיהֶם *Quo-*

Quorum opera fiunt in tenebris, juxta opinionem eorum ſcilicet, quaſi fierent Deo ignorante. Quod diſertius exprimunt verba quae ſubjiciuntur: וַיֹּאמְרוּ מִי רֹאֵנוּ וּמִי יוֹדְעֵנוּ *dicuntque: quis videt nos, aut quis cognoſcit nos?* Doederlein haec refert ad ſtudia falſorum prophetarum, qui populum deciperent facilem et promiſſionibus clam confictis divinam praetenderent autoritatem.

16. In verbis הֲפָכְּכֶם אִם־כְּחֹמֶר הַיֹּצֵר יֵחָשֵׁב interpretandis veteres et recentiores multum invicem diſſentiunt. Graecus Alexandrinus, non expreſſo הֲפָכְּכֶם, haec tantum exhibet: *οὐχ ὡς ὁ πηλὸς τοῦ κεραμέως λογισθήσεσθε*; Syrus, dictione הֲפָכְּכֶם ad verſum praecedentem tracta, ita vertit: ܐܘ ܡܢܘ ܝܕܥ ܐܝܟܢ ܡܬܗܦܟܝܢܢ *aut quis novit quomodo verſamur?* quaſi הֲפָכֵנוּ in Hebraeo exſtaret. Nec cetera fideliter reddidit: ܐܝܟ ܛܝܢܐ ܕܦܚܪܐ ܚܫܝܒܝܢ ܐܢܬܘܢ *ſicut lutum figuli vos reputamini.* Chaldaeus: הֲלְמְהַפָּךְ עוֹבָדֵיכוֹן אַתּוּן בָּעַן הָא כְּמָא דְטִינָא בְּיַד פַּחָרָא כֵּן אַתּוּן חֲשִׁיבִין קֳדָמַי *Num pervertere quaeritis opera veſtra! En, ſicut lutum in manu figuli, ſic eſtis reputati coram me.* Hieronymus primam quidem horum verborum dictionem הֲפָכְּכֶם recte vertit: *perverſa eſt haec veſtra cogitatio*, ſed quod addit: *quaſi ſi lutum contra figulum cogitet*, manifeſto ſubeſt vitio; legit enim יַחְשֹׁב pro יֵחָשֵׁב. Recentiorum plures Kimchium ſequuti hunc locum ita exponunt: *Vertere vos*, i. e. verſio, mutatio veſtra, *vere* (uti אִם occurrit Num. XVI, 30. Proverb. III, 34.) *ſicut lutum figuli reputabitur*; q. d. non tantummodo novit Deus opera, quae facitis, ſed vos quoque perdere poteſt: tam facile enim poteſt vertere ac mutare ſortem veſtram in aliam, quam facile figulus ex vaſe, quod ipſe fecit, effingere poteſt, quod ipſi placet. Vitringa, qui obſervat,

vat, הַפְּכְּכֶם proprie notare: *inversio vestra, contrarietas vestra*, ut Ezech. XVI, 34., et sicut Rabbinis הֵפֶךְ frequentissimo usu est *contrarium, oppositum*, hebraea sic vertit: *contrarietas vestra* est ut si *tanquam lutum figulus reputaretur*, i. e. vestra agendi et cogitandi ratio, qua consilia vestra coram Jova abscondere studetis, est naturae rerum et sanae rationi non minus contraria, ac si figulus reputaretur ut lutum, et opus se a factore suo factum esse negaret. Nos quidem iis adstipulamur, qui הַפְּכְּכֶם vertunt: *o perversitatem vestram!* Notatur enim haec vox accentu, Sakeph-katon, insignis distinctionis indice, ad ostendendum, hic in pronunciatione subsistendum esse summamque illam Israelitarum perversitatem, qua Deum fallere studebant, summa admiratione dignam esse. Ita et Lutherus: *wie seyd ihr so verkehrt!* Quod autem verba quae sequuntur, אִם־כְּחֹמֶר הַיּוֹצֵר יֵחָשֵׁב nonnulli vertunt: *num sicut lutum figulus reputabitur?* obstat accentuum positus; Tiphcha enim requireretur ad כְּחֹמֶר, et Merca ad הַיּוֹצֵר. Jam vero quum כְּחֹמֶר nomini הַיּוֹצֵר accentu conjunctivo Merca sit junctum, indicatur, duo haec nomina in statu constructo posita vertenda esse: *sicut lutum figuli.* Quare haec verba ita capienda erunt: *si*, dummodo, *sicut lutum figuli* hoc *reputatur*, consideratur, q. d. ipsum lutum figuli ostendit, quam vere de vobis exclametur, *o perversitatem vestram!* כִּי־יֹאמַר מַעֲשֶׂה לְעֹשֵׂהוּ לֹא עָשָׂנִי *ut dicat opus de factore suo: non fecit me.* כִּי hic est *ut, quod*, vertendum, ut Pf. VIII, 5. et saepius. לְ vero vero ante עֹשֵׂה et יוֹצֵר, quod sequitur, valet *de*, uti et alias cum אָמַר constructum valet *de*, veluti Genes. XX, 13. אִמְרִי לִי *dic de me, frater meus est*, et infra XLI, 7. אֹמֵר לַדֶּבֶק *qui dicit de glutine.* Alias enim scribi debuisset: לֹא עֲשִׂיתָנִי *non fecisti me.*

17. הֲלוֹא־עוֹד מְעַט מִזְעָר *Nonne futurum erit adhuc parum exiguum* scil. tempus? Brevissimo temporis spa-

ſpatio elapſo eveniet, ut et quae porro ſequuntur. Interrogatio hic ut alias ſaepe, fortiſſime affirmat valetque: eſtne res dubia? imo certiſſime futurum eſt, וְשָׁב לְבָנוֹן לַכַּרְמֶל וְהַכַּרְמֶל לַיַּעַר יֵחָשֵׁב ut brevi *convertatur Libanus in agrum frugiferum, et frugifer ager pro ſylva reputetur.* Vox כַּרְמֶל in V. T. vel *appellative* ſumitur pro quovis loco arboribus conſito frugibusque aut gramine fertili (cf. Bocharti *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. XLVIII. T. I. p. 607. ſeq. ed. Lipſ. et not. ſupra ad X, 18. XVI, 10), vel *proprie*, ſive ut *nomen proprium*, quod impoſitum fuit duobus in Judaea montibus, quorum unus ad aquilonem eſt προσθαλάσσιος, ad meridiem Ptolemaidis, in quo verſatus eſt Elias propheta 1 Reg. XVIII, 18. ſeqq. 2 Reg. II, 25., exteris quoque ſcriptoribus celebratus, alter in meridionali tribus Judae tractu prope Hebronem, de quo Joſ. XV, 55., et in hiſtoria Saulis 1 Sam. XV, 12., ac Nabalis 1 Sam. XXV, 2. ſeqq. Ad quem tamen meridionalem montem, ubi in prophetiis Carmel ut nomen proprium uſurpatur, neutiquam reſpicitur, ſed ad montanum illud famoſum Carmeli, ad mare in aquilonari Judaeae tractu ſitum. Quaeritur jam, utra harum ſignificationum hic obtinere debeat, nominis proprii, an appellativi? vertendane ſint verba, fore ut Libanus mutetur in *Carmelum*, num vero, in *arvum*, ſive *agrum frugiferum*. Prius elegerunt interpretes veteres, Alexandrinus, Chaldaeus, Hieronymus; et videtur ad primam ſpeciem ſenſum dare elegantiſſimum, ut montanum Libani et Antilibani, ſterile magnam partem et infructuoſum, paſſim nive contectum, hic mutandum dicatur in Carmelum, i. e. mons frugifer et fertilis fiat. Talem enim fuiſſe Carmelum, non ſolum Hieronymi teſtimonio conſtat, qui eum ad Jerem. IV, 26. oleis conſitum et arbuſtis vineisque condenſum tradit, verum et ex iis V. T. locis colligitur, in quibus ad paſcua Carmeli eſt alluſio, ut infra XXXIII, 9. XXXV, 2. Jerem.

dicere vult perfecte reddit, ut necesse non sit dicere, interpretem Alexandrinum pro וַתְּהִי legisse וְתֹהוּ, idque vertisse καὶ μάτην, quod Grotius vult. Est enim insolens et incommoda constructio וְתֹהוּ יִרְאָתָם pro וַתְּהִי יִרְאָתָם.

14. לָכֵן הִנְנִי יוֹסִף לְהַפְלִיא אֶת־הָעָם־הַזֶּה הַפְלֵא וָפֶלֶא *Propterea ecce me addentem mire agere cum hoc populo mirabiliter agendo et mirum in modum*, i. e. efficiam, ut omnes posthac mirentur sortem, calamitatem et infelicitatem hujus populi (conf. Thren. I, 9. וַתֵּרֶד פְּלָאִים, *descendit* urbs *miris modis*, i. e. multi mirati sunt lamentabilem casum tam florentis urbis). Geminatio illa, *mirabile et miraculum*, frequens Hebraeis, pro *re maxime miranda et stupenda*. יוֹסִף est Participium cum *Chirek* pro *Tsere*, ut infra Jes. XXXVIII, 5. וְאָבְדָה חָכְמַת חֲכָמָיו *Ut pereat sapientia sapientium ejus.* Quum supervenerit ipsis malum, non erit illis consilium, quo eripiantur ex illo, neque proderit eis tunc sapientia sua. וּבִינַת נְבֹנָיו תִּסְתַּתָּר *Et prudentia prudentium abdet sese*, i. e. evanescet.

15. הוֹי הַמַּעֲמִיקִים מֵיהוָה לַסְתִּר עֵצָה *Vae illis qui profundum faciunt a Jova ad occultandum consilium*, i. e. qui callida pietatis simulatione consilia sua mala coram Jova tegere student. Vox מֵיהוָה in hac sententia duplicem obtinet potestatem, ut partim cohaereat cum antecedente הַמַּעֲמִיקִים, partim cum sequente לַסְתִּר. Si vates hoc tantum dicere voluisset: *vae his, qui profunde tegunt consilium coram Jova*, scribere potuisset: הַעֲמִיקִים לַסְתִּיר עֵצָה מֵיהוָה, quae structio orationis magis conveniret genio linguae; sed propheta vocem מֵיהוָה jungens voci הַמַּעֲמִיקִים hanc emphasin addidit orationi, ut significet homines, qui dum consilia sua coram Jova tegunt, se ipsis illis suis consiliis illi subducunt, et animos suos a Deo avertunt. וְהָיָה בְמַחְשָׁךְ מַעֲשֵׂיהֶם *Quo-*

Quorum opera fiunt in tenebris, juxta opinionem eorum ſcilicet, quaſi fierent Deo ignorante. Quod diſertius exprimunt verba quae ſubjiciuntur: וַיֹּאמְרוּ מִי רֹאֵנוּ וּמִי יוֹדְעֵנוּ *dicuntque: quis videt nos, aut quis cognoſcit nos?* Doederlein haec refert ad ſtudia falſorum prophetarum, qui populum deciperent facilem et promiſſionibus clam confictis divinam praetenderent autoritatem.

16. In verbis הַפְכְּכֶם אִם־כְּחֹמֶר הַיֹּצֵר יֵחָשֵׁב interpretandis veteres et recentiores multum invicem diſſentiunt. Graecus Alexandrinus, non expreſſo הַפְכְּכֶם, haec tantum exhibet: *ἐχ ὡς ὁ πηλὸς τῦ κεραμέως λογισθήσεσθε*; Syrus, dictione הַפְכְּכֶם ad verſum praecedentem tracta, ita vertit: ܐܘ ܡܢܘ ܝܕܥ ܐܝܟ ܡܐ ܡܬܗܦܟܝܢܢ *aut quis novit quomodo verſamur?* quaſi הַפְכֵּנוּ in Hebraeo exſtaret. Nec cetera fideliter reddidit: ܐܝܟ ܛܝܢܐ ܕܦܚܪܐ ܡܬܚܫܒܝܢ ܐܢܬܘܢ *ſicut lutum figuli vos reputamini.* Chaldaeus: הֲלְמֶהְפַּךְ עוֹבָדֵיכוֹן אַתּוּן בָּעַן הָא כְּמָא דְטִינָא בְּיַד פַּחָרָא כֵּן אַתּוּן חֲשִׁיבִין קֳדָמַי *Num pervertere quaeritis opera veſtra! En, ſicut lutum in manu figuli, ſic eſtis reputati coram me.* Hieronymus primam quidem horum verborum dictionem הַפְכְּכֶם recte vertit: *perverſa eſt haec veſtra cogitatio*, ſed quod addit: *quaſi ſi lutum contra figulum cogitet*, manifeſto ſubeſt vitio; legit enim יַחְשֹׁב pro יֵחָשֵׁב. Recentiorum plures Kimchium ſequuti hunc locum ita exponunt: *Vertere vos*, i. e. verſio, mutatio veſtra, *vere* (uti אִם occurrit Num. XVI, 30. Proverb. III, 34.) *ſicut lutum figuli reputabitur*; q. d. non tantummodo novit Deus opera, quae facitis, ſed vos quoque perdere poteſt: tam facile enim poteſt vertere ac mutare ſortem veſtram in aliam, quam facile figulus ex vaſe, quod ipſe fecit, effingere poteſt, quod ipſi placet. Vitringa, qui obſer-

vat, הַפְכְּכֶם proprie notare: *inversio vestra*, *contrarietas vestra*, ut Ezech. XVI, 34., et sicut Rabbinis הֵפֶךְ frequentissimo usu est *contrarium*, *oppositum*, hebraea sic vertit: *contrarietas vestra* est ut si *tanquam lutum figulus reputaretur*, i. e. vestra agendi et cogitandi ratio, qua consilia vestra coram Jova abscondere studetis, est naturae rerum et sanae rationi non minus contraria, ac si figulus reputaretur ut lutum, et opus se a factore suo factum esse negaret. Nos quidem iis adstipulamur, qui הַפְכְּכֶם vertunt: *o perversitatem vestram!* Notatur enim haec vox accentu, Sakeph-katon, insignis distinctionis indice, ad ostendendum, hic in pronunciatione subsistendum esse summamque illam Israelitarum perversitatem, qua Deum fallere studebant, summa admiratione dignam esse. Ita et Lutherus: *wie seyd ihr so verkehrt!* Quod autem verba quae sequuntur, אִם־כְּחֹמֶר הַיֹּצֵר יֵחָשֵׁב nonnulli vertunt: *num sicut lutum figulus reputabitur?* obstat accentuum positus; Tiphcha enim requireretur ad כְּחֹמֶר, et Merca ad הַיֹּצֵר. Jam vero quum כְּחֹמֶר nomini הַיֹּצֵר accentu conjunctivo Merca sit junctum, indicatur, duo haec nomina in statu constructo posita vertenda esse: *sicut lutum figuli.* Quare haec verba ita capienda erunt: *si*, dummodo, *sicut lutum figuli* hoc *reputatur*, consideratur, q. d. ipsum lutum figuli ostendit, quam vere de vobis exclametur, *o perversitatem vestram!* כִּי־יֹאמַר מַעֲשֶׂה לְעֹשֵׂהוּ לֹא עָשָׂנִי *ut dicat opus de factore suo: non fecit me.* כִּי hic est *ut*, *quod*, vertendum, ut Ps. VIII, 5. et saepius. ל vero vero ante עֹשֵׂה et יוֹצֵר, quod sequitur, valet *de*, uti et alias cum אָמַר constructum valet *de*, veluti Genes. XX, 13. אִמְרִי לִי *dic de me, frater meus est*, et infra XLI, 7. אֹמֵר לַדֶּבֶק *qui dicit de glutine.* Alias enim scribi debuisset: לֹא עֲשִׂיתָנִי *non fecisti me.*

17. הֲלוֹא־עוֹד מְעַט מִזְעָר *Nonne futurum erit adhuc parum exiguum* scil. tempus? Brevissimo temporis spa-

ſpatio elapſo eveniet, ut et quae porro ſequuntur. Interrogatio hic ut alias ſaepe, fortiſſime affirmat valetque: eſtne res dubia? imo certiſſime futurum eſt, וְשָׁב לְבָנוֹן לַכַּרְמֶל וְהַכַּרְמֶל לַיַּעַר יֵחָשֵׁב *ut* brevi *convertatur Libanus in agrum frugiferum, et frugifer ager pro ſylva reputetur.* Vox כַּרְמֶל in V. T. vel *appellative* ſumitur pro quovis loco arboribus conſito frugibusque aut gramine fertili (cf. Bocharti *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. XLVIII. T. I. p. 607. ſeq. ed. Lipſ. et not. ſupra ad X, 18. XVI, 10), vel *proprie*, ſive ut *nomen proprium*, quod impoſitum fuit duobus in Judaea montibus, quorum unus ad aquilonem eſt προσθαλάσσιος, ad meridiem Ptolemaidis, in quo verſatus eſt Elias propheta 1 Reg. XVIII, 18. ſeqq. 2 Reg. II, 25., exteris quoque ſcriptoribus celebratus, alter in meridionali tribus Judae tractu prope Hebronem, de quo Joſ. XV, 55., et in hiſtoria Saulis 1 Sam. XV, 12., ac Nabalis 1 Sam. XXV, 2. ſeqq. Ad quem tamen meridionalem montem, ubi in prophetiis Carmel ut nomen proprium uſurpatur, neutiquam reſpicitur, ſed ad montanum illud famoſum Carmeli, ad mare in aquilonari Judaeae tractu ſitum. Quaeritur jam, utra harum ſignificationum hic obtinere debeat, nominis proprii, an appellativi? vertendane ſint verba, fore ut Libanus mutetur in *Carmelum*, num vero, in *arvum*, ſive *agrum frugiferum*. Prius elegerunt interpretes veteres, Alexandrinus, Chaldaeus, Hieronymus; et videtur ad primam ſpeciem ſenſum dare elegantiſſimum, ut montanum Libani et Antilibani, ſterile magnam partem et infructuoſum, paſſim nive contectum, hic mutandum dicatur in Carmelum, i. e. mons frugifer et fertilis fiat. Talem enim fuiſſe Carmelum, non ſolum Hieronymi teſtimonio conſtat, qui eum ad Jerem. IV, 26. oleis conſitum et arbuſtis vineisque condenſum tradit, verum et ex iis V. T. locis colligitur, in quibus ad paſcua Carmeli eſt alluſio, ut infra XXXIII, 9. XXXV, 2. Jerem.

Jerem. L. 19. Amos. I, 2. Mich. VII, 14. Rectius tamen h. l. כַּרְמֶל *appellative* sumi videtur pro *arvo frugifero*, primo quidem, quia haec significatio absque dubitatione obtinet in loco huic plane parallelo infra XXXII, 15., ubi desertum convertendum dicitur לְכַּרְמֶל *in agrum frugiferum*, et vicissim *ager frugifer* הַכַּרְמֶל, pro *sylva* reputandus; deinde, quia alterum membrum hujus propositionis, *et Carmel pro sylva reputabitur*, hanc significationem commodius admittit, ut quisque videt. Jam vero quum haec allegorice dicta esse appareat, quaeritur, quis sensus iis reconditus sit. Interpretes qui argumentum hujus prophetiae circumscribunt temporibus Hiskiae, statuunt dicere velle prophetam, *sublimes*, quales tunc erunt Assyrii, *dejectum iri*, contra vero *afflictissimos*, quales erant Hebraei, fore victores, ut factum in clade Sanheribi exercitui illata. כַּרְמֶל enim notare *agrum planum*, quem vates dicat *attollendum in speciem montis*. Sic fere Grotius. Kimchius contra, qui hoc vaticinium Ahasi temporibus tribuit, docere prophetam putat, superbos et feroces proceres Ahasi aetate depressum iri sub Hiskia, contra vero humiles et afflictos ponendos in statu dignitatis et gloriae; notare enim כַּרְמֶל agrum boni proventus, vinearum, et arborum humilium, quae cedris et abietibus Libani opponantur. Sed in neutra harum interpretationum ratio habetur praecipuorum attributorum vocis *Carmel* appellative sumtae. Neque enim כַּרְמֶל proprie significat *campum planum humilemque*, uti vult Grotius, sed *fertilem*, sive is sit montanus, sive campestris; et hoc loco Carmelum opponi Libano, ut locum frugiferum infructuoso, liquet e loco parallelo infra XXXII, 15., ubi מִדְבָּר *desertum* opponitur τῷ כַּרְמֶל *arvo* sive *pascuo*, perinde ac hoc in loco Libano. Neque Kimchii interpretatio felicius procedit, quia hoc in loco *arbores Libani* non opponuntur *arboribus humilioribus*, ut sunt vites,

vites, oleae, ficus, ſed Libanus opponitur כַּרְמֶל שֵׁת re-ſpectu *ſoli* ipſius. Accedit alia ratio, eademque gravior, cur neutra illarum interpretationem probanda ſit. Videlicet, oſtendit univerſus hujus orationis contextus, indicari hic rerum converſionem eam, quae ad mentes animosque hominum ſpectet. Fore enim, ut tam Judaei, quam alii populi ad divinarum rerum cognitionem cum omni ſtudioque aeque rapiantur, pietasque erga Jovam et verae religionis ſtudium per totum orbem terrarum vigeat, neque populi hac in parte in poſterum inter ſe differant. Hanc eſſe imaginis ſignificationem non ſolum docent, quae hic deinceps ſequuntur, verum et locus huic plane parallelus infra XXXII, 15. ſeqq., nec non ſimilia loca infra XXXV, 1. 6. XLIII, 19. 20.

18. וְשָׁמְעוּ בַיּוֹם הַהוּא הַחֵרְשִׁים דִּבְרֵי־סֵפֶר *Et audient die illa ſurdi verba libri*, i. e. qui nunc nihil faciunt eorum quae Lex jubet, quaſi ſurdi eſſent ac muti (nam haec, in mutis certe a natalibus, ſemper conjuncta ſunt), illo tempore ei parebunt, uti par eſt. *Libro*, cujus verbis ſurdi ſint auſcultaturi, codicem quo Jovae praecepta continentur, indicari, dubium vix eſſe poteſt. מֵאֹפֶל וּמֵחֹשֶׁךְ עֵינֵי עִוְרִים תִּרְאֶינָה *A caligine et tenebris*, i. e. remotis tenebris *oculi caecorum videbunt*, quorum mens obſcurata eſt tenebris ignorantiae, veritatis coeleſtis intellectum conſequentur. Particula מִן ſ. מ ante אֹפֶל et חֹשֶׁךְ hic notat *ceſſationem* et *amotionem*, quae propria ejus vis eſt, ut colligi licet e radice quae in Arabum dialecto ſervatur; eſt enim مَنَّ *ſecuit*, *excidit*, *amovit*; cf. N. G. Schroederi *Syntax.* Reg. XCV. 5. et Storrii *Obſervatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 252. not.

19. וְיָסְפוּ עֲנָוִים בַּיהוָה שִׂמְחָה *Addentque manſueti in Jova gaudium*, i. e. Jovâ cumulate gaudebunt. Oppreſſi

filio destituti (vs. 10—14); titubant ebrii spiritu soporifero (vs. 10.), non modo graves mero et somno. Scilicet Hebraei aeque ac Arabes (vid. Schultensium ad Job. XXX, 28. p. 853.) in hujusmodi comparationibus affirmativum enunciatum saepe omittunt, veluti Jerem. IV, 11. *ventus non ad ventilandum*, i. e. (conf. vs. 12.) ventus multo magis saeviens, validissimus; conf. Jes. LI, 12. ubi not. vide; et Storrii *Observatt. ad Analog. et Synt. Hebr.* p. 261. Ceterum veteres haec etiam forma Imperativi acceperunt. Alexandrinus: *κραιπαλήσατε.* Hieronymus: *inebriamini et non a vino, movemini, et non ab ebrietate;* pariter Chaldaeus. Patet, illos pro שָׁכְרוּ legisse שִׁכְרוּ, quomodo et Biblia Basileensia habent. Sed quod in ceteris omnibus legitur, שָׁכְרוּ, confirmat נָעוּ, quod sequitur, tertia Praeteriti persona, sine ulla codicum variatione, et prophetae nil est familiarius ejus modi personae mutatione.

10. Jam personâ tertiâ in secundam mutatâ recta appellat proceres populi Judaici, nec figurate amplius, sed proprie explicat caecitatem mentis illorum: כִּי נָסַךְ עֲלֵיכֶם יְהוָה רוּחַ תַּרְדֵּמָה *nam effudit super vos Jova spiritum soporis.* Verbum נָסַךְ nonnulli interpretes cum Kimchio *operiendi* significatu hic capiunt, ut supra XXV, 7. Sed retinenda est *effundendi* notio, qua verbum hoc frequentius in V. T. occurrit, quum ea conveniat et notioni *spiritus*, qui stylo Hebraeorum dicitur *effundi*, et quoque voci *soporis.* Veteres enim ut *somnos* graves a Diis hominibus *immitti* statuebant, sic verum est, videri eos, qui in gravem soporem et veternum incidunt, liquore quodam mortifero obrutos et suffusos esse. וַיְעַצֵּם אֶת־עֵינֵיכֶם *Et obligavit*, occlusit, *oculos vestros.* Verbum עִצֵּם vulgo *constipavit* vertunt, instar ossium (עֲצָמִים) solide inter se compactorum. Sed est potius hic idem quod consonum Arabicum

bicum عصم, quod in Conjug. IV. notat: *vinculo loroque constrinxit*, idem quod alias عصب et Chaldaicum עֲצַב, frequenti literarum M et B permutatione. Pergit vates: אֶת־הַנְּבִיאִים וְאֶת־רָאשֵׁיכֶם הַחֹזִים כִּסָּה *prophetas vestros et primores vestros, videntes, texit*, caligine mentis obduxit. הַחֹזִים nonnulli per ἀσυνδέτως vertunt: *et videntes texit*, solet enim propheta non raro ubi tria membra inter se copulanda sunt, copulam in extremo negligere. Sed est הַחֹזִים potius epitheton prophetarum et primorum, qui se *videntes*, i. e. acute cernentes jactitabant.

11. Vaticiniorum a veris Jovae prophetis prolatorum vim nec volunt nec possunt percipere. Hanc simplicem sententiam poetice ita enunciat, ut vaticinium veri prophetae comparet cum libro obsignato, qui si tradatur viro legere callido, ab ipso non legatur, hoc obtentu, quod esset obsignatus; cum tamen, si ipsi esset voluntas illum legendi, aperire eum et legere possit. „Ita," Kimchius inquit, „dicunt *sapientes*, qui sunt inter vos: quia in oraculis divinis multa sunt occulta, ea non curant; sed si esset eis voluntas audiendi ac intelligendi illa, aliquem juberent oracula illa ipsis explicare." חָזוּת הַכֹּל proprie: τὸ ὅραμα τοῦ παντός, *visio universi hujus*, i. e. universa haec visio. Hieronymus vertit: *visio omnium*, retulitque ad omnes prophetias, in quibus Judaei caecutiunt. Graecus Alexandrinus: τὰ ῥήματα πάντα ταῦτα. לֹא אוּכַל *Non possum* scil. legere, לִקְרוֹת, quod quum in codice quodam legatur, et a Graeco quoque Alexandrino interprete per ἀναγνῶναι exprimatur, Lowthus textui inserendum arbitratur. Verum scite Kocherus monet, ejusmodi ellipsin non Jesajae modo, sed aliis etiam scriptoribus Hebraeis satis usitatum esse, veluti Cap. I, 13. Ps. CI, 5. Exod. VIII, 14. Jon. I, 13.

Illud לִקְרוֹת autem, in uno lectum codice, librario quodam, nimis sedulo, haud dubie deberi, quod vel insolita verbi forma arguat, nam alias לִקְרֹא usurpari, excepto uno קְרָאת, sed per א, Jud. VIII, 1.

12. Liber si traditur litterarum rudi, is eum non legere poterit, quamquam non sit obsignatus (vs. 11.) sed apertus. Kimchius: „*Stulti*, qui sunt inter vos, invenient hunc praetextum: *non intelligimus effata divina; dicite sapientibus:* sed hi cum prophetis illos seducunt; ut itaque effata divina non audiantur inter vos, neque *sapientibus*, neque *stultis.*" עַל-אֲשֶׁר pro אֶל-אֲשֶׁר, ut 1 Sam. I, 10. III, 11.

13. Hic versus antecedens, proximus consequens continet: יַעַן כִּי *quia illi faciunt hoc* — לָכֵן *ideo ego faciam etc.* Varietas lectionis est in נגש, aliis codicibus נִגַּשׁ, cum *Schin* [et ita quidem hodie codices plerique, cum Alexandrinis, utroque Arabe, Syro, et Vulgato, nec non Matthaeo XV, 8. atque Marco VII, 6.], aliis נִגַּשׂ, cum *Sin* [quod DE ROSSI invenit in *septendecim* codicibus, *decemque* libris impressis, et Chaldaeus etiam expressit] exhibentibus. 1) Assumto נִגַּשׁ sensus erit hic: *quia hic populus appropinquat tantummodo* ad me, ad templum meum; animo disjuncti a me, corpora tantum in templum meum ferunt; eadem sententia, quae supra Cap. I, 12. occurrit. 2) Qui נִגַּשׂ praeferunt, non uno modo haec verba interpretantur. *a*) Quoniam נוֹגֵשׂ nonnumquam *praefecti*, *dominatoris* significatione occurrit (nam a prima notione verbi נָגַשׂ *urgere*, *debitum exigere*, facilis ad *dominandi* significationem transitus fuit), e. c. Exod XV, 3. Zach. X, 14. [*ex ipso*, Juda, *prodibit* כָּל-נוֹגֵשׂ *omnis dominator*, rex, vel princeps]; Chaldaeus hoc loco Niphal vertit: אִתְרַבְרַב *se ipse effert* tumido et stulto fastu (cf. vs. 16.). *b*) Kimchius נִגַּשׂ h. l. *oppressus est* interpretatur, qua significatione occurrit infra LIII, 7. נִגַּשׂ וְהוּא נַעֲנֶה *oppres-*

oppressus est et afflictus; ut sensus sit: quando affligitur populus iste et in angustia versatur, ore suo et labiis suis me honorat. *c)* J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1196.: *propterea quod poenas jam dedit populus hic, nec tamen illis emendatus solo me ore et labiis colit.* Sed tam huic quam antecedenti interpretationi obstat hoc, quod *poenarum* versu demum sequenti mentio fit; hic crimina tantum populi nominantur. Sine ratione etiam textui intruduntur, quae Michaelis supplet. Melius Coccejus vertit: *propterea quod populus hic adigitur,* adigi debet ad cultum meum, et ita quidem ut me labiis tantum honoret. Sed recte Kimchi praefert quod in codicibus longe pluribus legitur, et a plerisque quoque veteribus interpretibus, ut supra vidimus, exprimitur, נִגַּשׁ, auctoritate Masorae impressae, quae ad hanc vocem notat: ל׳ בספרא *non* exstat amplius *in hoc libro,* נִגַּשׁ vero adhuc semel exstat Jes. LIII, 7. Addit vates: וְלִבּוֹ רִחַק sed *cor suum procul avertit* a me, non ex animo me colunt, sed templum meum ideo tantummodo frequentant, quod ita praeceptum est, et ipsi huic rei assueti sunt. וַתְּהִי יִרְאָתָם אֹתִי מִצְוַת אֲנָשִׁים מְלֻמָּדָה *Estque timor eorum* et cultus *erga me,* s. quo me colunt, *praeceptum hominum condocefactum.* יִרְאָתָם אֹתִי proprie *reverentia eorum me* pro eo quod plene esset: יִרְאָתָם אֲשֶׁר יִרְאוּ אֹתִי *reverentia eorum qua me reverentur.* Simile est 2 Sam. III, 11. in historia Isbosethi: מִיִּרְאָתוֹ אֹתוֹ *propter timorem ejus eum,* i. e. erga eum. Verbalia anim nomina apud Hebraeos casum Verbi sui regunt. Matthaeus posterius hoc membrum XV, 9. ita exhibet: μάτην δὲ σέβονταί με, διδάσκοντες διδασκαλίας ἐντάλματα ἀνθρώπων. Sic pariter Marcus, fere ut interpres Alexandrinus, nisi quod is extremas voces transponat, easque per copulam conjungat hoc modo: διδάσκοντες ἐντάλματα ἀνθρώπων καὶ διδασκαλίας. Utraque versio est exegetica, quae sensum ejus quod propheta

dicere vult perfecte reddit, ut necesse non sit dicere, interpretem Alexandrinum pro וַתְּהִי legisse וַתֹּהוּ, idque vertisse *καὶ μάτην*, quod Grotius vult. Est enim insolens et incommoda constructio וְתֹהוּ יִרְאָתָם pro וְלַתֹּהוּ יִרְאָתָם.

14. לָכֵן הִנְנִי יוֹסִף לְהַפְלִיא אֶת־הָעָם־הַזֶּה הַפְלֵא וָפֶלֶא *Propterea ecce me addentem mire agere cum hoc populo mirabiliter agendo et mirum in modum*, i. e. efficiam, ut omnes posthac mirentur sortem, calamitatem et infelicitatem hujus populi (conf. Thren. I, 9. תֵּרֶד פְּלָאִים, *descendit* urbs *miris modis*, i. e. multi mirati sunt lamentabilem casum tam florentis urbis). Geminatio illa, *mirabile et miraculum*, frequens Hebraeis, pro *re maxime miranda et stupenda*. יוֹסִף est Participium cum *Chirek* pro *Tsere*, ut infra Jes. XXXVIII, 5. וְאָבְדָה חָכְמַת חֲכָמָיו *Ut pereat sapientia sapientium ejus*. Quum supervenerit ipsis malum, non erit illis consilium, quo eripiantur ex illo, neque proderit eis tunc sapientia sua. וּבִינַת נְבֹנָיו תִּסְתַּתָּר *Et prudentia prudentium abdet sese*, i. e. evanescet.

15. הוֹי הַמַּעֲמִיקִים מֵיהוָה לַסְתִּר עֵצָה *Vae illis qui profundum faciunt a Jova ad occultandum consilium*, i. e. qui callida pietatis simulatione consilia sua mala coram Jova tegere student. Vox מֵיהוָה in hac sententia duplicem obtinet potestatem, ut partim cohaereat cum antecedente הַמַּעֲמִיקִים, partim cum sequente לַסְתִּר. Si vates hoc tantum dicere voluisset: *vae his, qui profunde tegunt consilium coram Jova*, scribere potuisset: הָעֲמִיקִים לַסְתִּיר עֵצָה מֵיהוָה, quae structio orationis magis conveniret genio linguae; sed propheta vocem מֵיהוָה jungens voci הַמַּעֲמִיקִים hanc emphasin addidit orationi, ut significet homines, qui dum consilia sua coram Jova tegunt, se ipsis illis suis consiliis illi subducunt, et animos suos a Deo avertunt. וְהָיָה בְמַחְשָׁךְ מַעֲשֵׂיהֶם *Quo-*

Quorum opera fiunt in tenebris, juxta opinionem eorum ſcilicet, quaſi fierent Deo ignorante. Quod diſertius exprimunt verba quae ſubjiciuntur: וַיֹּאמְרוּ מִי רֹאֵנוּ וּמִי יוֹדְעֵנוּ *dicuntque: quis videt nos, aut quis cognoſcit nos?* Doederlein haec refert ad ſtudia falſorum prophetarum, qui populum deciperent facilem et promiſſionibus clam confictis divinam praetenderent autoritatem.

16. In verbis הַפְכְּכֶם אִם־כְּחֹמֶר הַיֹּצֵר יֵחָשֵׁב interpretandis veteres et recentiores multum invicem diſſentiunt. Graecus Alexandrinus, non expreſſo הַפְכְּכֶם, haec tantum exhibet: *οὐχ ὡς ὁ πηλὸς τοῦ κεραμέως λογισθήσεσθε*; Syrus, dictione הַפְכְּכֶם ad verſum praecedentem tracta, ita vertit: ܐܘ ܡܢܘ ܝܕܥ ܡܢܐ ܡܬܗܦܟܝܢܢ *aut quis novit quomodo verſamur?* quaſi הַפְכֵּנוּ in Hebraeo exſtaret. Nec cetera fideliter reddidit: ܐܝܟ ܛܝܢܐ ܕܦܚܪܐ ܡܬܚܫܒܝܢ ܐܢܬܘܢ *ſicut lutum figuli vos reputamini.* Chaldaeus: הַלְמֶהְפַּךְ עוֹבָדֵיכוֹן אַתּוּן בָּעַן הָא כְּמָא דְטִינָא בְּיַד פַּחָרָא כֵּן אַתּוּן חֲשִׁיבִין קֳדָמַי *Num pervertere quaeritis opera veſtra! En, ſicut lutum in manu figuli, ſic eſtis reputati coram me.* Hieronymus primam quidem horum verborum dictionem הַפְכְּכֶם recte vertit: *perverſa eſt haec veſtra cogitatio*, ſed quod addit: *quaſi ſi lutum contra figulum cogitet*, manifeſto ſubeſt vitio; legit enim עַל יַחְשֹׁב pro יֵחָשֵׁב. Recentiorum plures Kimchium ſequuti hunc locum ita exponunt: *Vertere vos*, i. e. verſio, mutatio veſtra, *vere* (uti אִם occurrit Num. XVI, 30. Proverb. III, 34.) *ſicut lutum figuli reputabitur*; q. d. non tantummodo novit Deus opera, quae facitis, ſed vos quoque perdere poteſt: tam facile enim poteſt vertere ac mutare ſortem veſtram in aliam, quam facile figulus ex vaſe, quod ipſe fecit, effingere poteſt, quod ipſi placet. Vitringa, qui obſer-

vat, הָפְכְּכֶם proprie notare: *inversio vestra*, *contrarietas vestra*, ut Ezech. XVI, 34., et sicut Rabbinis הֵפֶךְ frequentissimo usu est *contrarium*, *oppositum*, hebraea sic vertit: *contrarietas vestra* est ut si *tanquam lutum figulus reputaretur*, i. e. vestra agendi et cogitandi ratio, qua consilia vestra coram Jova abscondere studetis, est naturae rerum et sanae rationi non minus contraria, ac si figulus reputaretur ut lutum, et opus se a factore suo factum esse negaret. Nos quidem iis adstipulamur, qui הַפְכְּכֶם vertunt: *o perversitatem vestram!* Notatur enim haec vox accentu, Sakeph-katon, insignis distinctionis indice, ad ostendendum, hic in pronunciatione subsistendum esse summamque illam Israelitarum perversitatem, qua Deum fallere studebant, summa admiratione dignam esse. Ita et Lutherus: *wie seyd ihr so verkehrt!* Quod autem verba quae sequuntur, אִם־כְּחֹמֶר הַיֹּצֵר יֵחָשֵׁב nonnulli vertunt: *num sicut lutum figulus reputabitur?* obstat accentuum positus; Tiphcha enim requireretur ad כְּחֹמֶר, et Merca ad הַיֹּצֵר. Jam vero quum כְּחֹמֶר nomini הַיֹּצֵר accentu conjunctivo Merca sit junctum, indicatur, duo haec nomina in statu constructo posita vertenda esse: *sicut lutum figuli*. Quare haec verba ita capienda erunt: *si*, dummodo, *sicut lutum figuli hoc reputatur*, consideratur, q. d. ipsum lutum figuli ostendit, quam vere de vobis exclametur, *o perversitatem vestram!* כִּי־יֹאמַר מַעֲשֶׂה לְעֹשֵׂהוּ לֹא עָשָׂנִי *ut dicat opus de factore suo: non fecit me.* כִּי hic est *ut*, *quod* vertendum, ut Ps. VIII, 5. et saepius. לְ vero vero ante עֹשֵׂה et יוֹצֵר, quod sequitur, valet *de*, uti et alias cum אָמַר constructum valet *de*, veluti Genes. XX, 13. אִמְרִי לִי *dic de me*, *frater meus est*, et infra XLI, 7. אֹמֵר לַדֶּבֶק *qui dicit de glutine.* Alias enim scribi debuisset: לֹא עֲשִׂיתָנִי *non fecisti me.*

17. הֲלֹא־עוֹד מְעַט מִזְעָר *Nonne* futurum erit *adhuc parum exiguum* scil. tempus? Brevissimo temporis spa-

spatio elapso eveniet, ut et quae porro sequuntur. Interrogatio hic ut alias saepe, fortissime affirmat valetque: estne res dubia? imo certissime futurum est, וְשָׁב לְבָנוֹן לַכַּרְמֶל וְהַכַּרְמֶל לַיַּעַר יֵחָשֵׁב *ut* brevi *convertatur Libanus in agrum frugiferum, et frugifer ager pro sylva reputetur.* Vox כַּרְמֶל in V. T. vel *appellative* sumitur pro quovis loco arboribus consito frugibusque aut gramine fertili (cf. Bochartι *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. XLVIII. T. I. p. 607. seq. ed. Lips. et not. supra ad X, 18. XVI, 10), vel *proprie*, sive ut *nomen proprium*, quod impositum fuit duobus in Judaea montibus, quorum unus ad aquilonem est προσθαλάσσιος, ad meridiem Ptolemaidis, in quo versatus est Elias propheta 1 Reg. XVIII, 18. seqq. 2 Reg. II, 25., exteris quoque scriptoribus celebratus, alter in meridionali tribus Judae tractu prope Hebronem, de quo Jos. XV, 55., et in historia Saulis 1 Sam. XV, 12., ac Nabalis 1 Sam. XXV, 2. seqq. Ad quem tamen meridionalem montem, ubi in prophetiis Carmel ut nomen proprium usurpatur, neutiquam respicitur, sed ad montanum illud famosum Carmeli, ad mare in aquilonari Judaeae tractu situm. Quaeritur jam, utra harum significationum hic obtinere debeat, nominis proprii, an appellativi? vertendane sint verba, fore ut Libanus mutetur in *Carmelum*, num vero, in *arvum*, sive *agrum frugiferum*. Prius elegerunt interpretes veteres, Alexandrinus, Chaldaeus, Hieronymus; et videtur ad primam speciem sensum dare elegantissimum, ut montanum Libani et Antilibani, sterile magnam partem et infructuosum, passim nive contectum, hic mutandum dicatur in Carmelum, i. e. mons frugifer et fertilis fiat. Talem enim fuisse Carmelum, non solum Hieronymi testimonio constat, qui eum ad Jerem. IV, 26. oleis consitum et arbustis vineisque condensum tradit, verum et ex iis V. T. locis colligitur, in quibus ad pascua Carmeli est allusio, ut infra XXXIII, 9. XXXV, 2.

Jerem.

Jerem. L. 19. Amos. I, 2. Mich. VII, 14. Rectius tamen h. l. כַּרְמֶל *appellative* sumi videtur pro *arvo frugifero*, primo quidem, quia haec significatio absque dubitatione obtinet in loco huic plane parallelo infra XXXII, 15., ubi desertum convertendum dicitur לַכַּרְמֶל *in agrum frugiferum*, et vicissim *ager frugifer* הַכַּרְמֶל, pro *sylva* reputandus; deinde, quia alterum membrum hujus propositionis, *et Carmel pro sylva reputabitur*, hanc significationem commodius admittit, ut quisque videt. Jam vero quum haec allegorice dicta esse appareat, quaeritur, quis sensus iis reconditus sit. Interpretes qui argumentum hujus prophetiae circumscribunt temporibus Hiskiae, statuunt dicere velle prophetam, *sublimes*, quales tunc erunt Assyrii, *dejectum iri*, contra vero *afflictissimos*, quales erant Hebraei, fore victores, ut factum in clade Sanheribi exercitui illata. כַּרְמֶל enim notare *agrum planum*, quem vates dicat *attollendum in speciem montis*. Sic fere Grotius. Kimchius contra, qui hoc vaticinium Ahasi temporibus tribuit, docere prophetam putat, superbos et feroces proceres Ahasi aetate depressum iri sub Hiskia, contra vero humiles et afflictos ponendos in statu dignitatis et gloriae; notare enim כַּרְמֶל agrum boni proventus, vinearum, et arborum humilium, quae cedris et abietibus Libani opponantur. Sed in neutra harum interpretationum ratio habetur praecipuorum attributorum vocis *Carmel* appellative sumtae. Neque enim כַּרְמֶל proprie significat *campum planum humilemque*, uti vult Grotius, sed *fertilem*, sive is sit montanus, sive campestris; et hoc loco Carmelum opponi Libano, ut locum frugiferum infructuoso, liquet e loco parallelo infra XXXII, 15., ubi מִדְבָּר *desertum* opponitur τῷ כַּרְמֶל *arvo* sive *pascuo*, perinde ac hoc in loco Libano. Neque Kimchii interpretatio felicius procedit, quia hoc in loco *arbores Libani* non opponuntur *arboribus humilioribus*, ut sunt vites,

vites, oleae, ficus, ſed Libanus opponitur כַּרְמֶל עֵץ reſpectu *ſoli* ipſius. Accedit alia ratio, eademque gravior, cur neutra illarum interpretationem probanda ſit. Videlicet, oſtendit univerſus hujus orationis contextus, indicari hic rerum converſionem eam, quae ad mentes animosque hominum ſpectet. Fore enim, ut tam Judaei, quam alii populi ad divinarum rerum cognitionem cura omni ſtudioque aeque rapiantur, pietasque erga Jovam et verae religionis ſtudium per totum orbem terrarum vigeat, neque populi hac in parte in poſterum inter ſe differant. Hanc eſſe imaginis ſignificationem non ſolum docent, quae hic deinceps ſequuntur, verum et locus huic plane parallelus infra XXXII, 15. ſeqq., nec non ſimilia loca infra XXXV, 1. 6. XLIII, 19. 20.

18. וְשָׁמְעוּ בַיּוֹם הַהוּא הַחֵרְשִׁים דִּבְרֵי־סֵפֶר *Et audient die illa ſurdi verba libri*, i. e. qui nunc nihil faciunt eorum quae Lex jubet, quaſi ſurdi eſſent ac muti (nam haec, in mutis certe a natalibus, ſemper conjuncta ſunt), illo tempore ei parebunt, uti par eſt. *Libro*, cujus verbis ſurdi ſint auſcultaturi, codicem quo Jovae praecepta continentur, indicari, dubium vix eſſe poteſt. מֵאֹפֶל וּמֵחֹשֶׁךְ עֵינֵי עִוְרִים תִּרְאֶינָה *A caligine et tenebris*, i. e. remotis tenebris *oculi caecorum videbunt*, quorum mens obſcurata eſt tenebris ignorantiae, veritatis coeleſtis intellectum conſequentur. Particula מִן ſ. מֵ ante אֹפֶל et חֹשֶׁךְ hic notat *ceſſationem* et *amotionem*, quae propria ejus vis eſt, ut colligi licet e radice quae in Arabum dialecto ſervatur; eſt enim مَنَّ *ſecuit*, *excidit*, *amovit*; cf. N. G. Schroederi *Syntax.* Reg. XCV. 5. et Storrii *Obſervatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 252. not.

19. וְיָסְפוּ עֲנָוִים בַּיהוָה שִׂמְחָה *Addentque manſueti in Jova gaudium*, i. e. Jovâ cumulate gaudebunt. Oppreſſi

preſſi ab elatis et ſuperbis iſtis, qui in Jova confiſi, patienter ejus auxilium implorabant et exſpectabant, laetabuntur, quum viderint evenire ea, quae Jovae prophetae praedixerunt, impiis eſſe anguſtiam, ſibi vero requiem et gloriam. Eandem ſententiam membro altero diverſis enuntiat verbis: וְאֶבְיוֹנֵי אָדָם בִּקְדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל יָגִילוּ *et inopes hominum in Sancto Iſraelis exſultabunt.*

20. כִּי אָפֵס עָרִיץ וְכָלָה לֵץ *Quia defecit violentus et conſumtus eſt irriſor.* Laetabuntur pii antea oppreſſi, et exultabunt, quum viderint poenam et exciſionem violentorum et eorum qui ſpem ipſorum in Jovam irriſerunt (לֵץ), ſceleſtorumque, coram quibus non ipſis erat poteſtas loquendi, neque reprehendendi eos. Eadem ſententia, quae Proverb. XI, 10. וּבַאֲבֹד רְשָׁעִים רִנָּה *quum perierint impii, erit exultatio.* וְנִכְרְתוּ כָּל־שֹׁקְדֵי אָוֶן *Et exciſi ſunt omnes vigilantes iniquitatis*, i. e. qui vigilant, ut iniquitatem poſſint complere et exſequi, qui ſemper occupantur in iniquitate, et alacres ſunt ad ſcelera perpetranda.

21. מַחֲטִיאֵי אָדָם בְּדָבָר *Peccare facientes*, i. e. qui reum peragebant *hominem in re*, i. e. in cauſa. דָּבָר hic valet Latinorum *cauſa*, i. e. de quo agitur et disceptatur in foro et apud judices, ut Exod. XVIII, 16. כִּי יִהְיֶה לָהֶם דָּבָר *ſi iis eſt cauſa, veniant ad me.* Vid. et vs. 22. XXII, 8. XXIV, 14. Alii vertunt: *qui alios dictis ſuis ad peccandum ſeducere ſtudebant*; ſed noſtra interpretatio confirmatur iis, quae ſequuntur: וְלַמּוֹכִיחַ בַּשַּׁעַר יְקֹשׁוּן *et disceptanti in porta*, i. e. in foro, *laqueos tendunt*, adhibent dolum ut cauſa cadat. יְקֹשׁוּן, auctore Chaldaeo, qui vertit: בָּעַן לֵיהּ תַּקָּלָא *quaerentes ei laqueum*, referimus ad radicem קוּשׁ, quae habet ſignificationem a מוֹקֵשׁ, *laqueus*, יָקֹשׁ enim et קוּשׁ ejusdem ſunt ſignificationis. Sunt, qui יְקֹשׁוּן referant ad קָשַׁשׁ *colligere ſtipulas* (Exod. V, 2.), quod

cum

cum fiat accurata ſcrutatione, hoc verbum uſurpatum, putant de qualibet diligenti inquiſitione, et hic quidem de ſtudio et diligenti cura, vitia alicujus detegendi. *Sicut enim*, Kimchius inquit, *qui colligit ligna aut ſtipulas, colligit hinc inde, et pariter congregat; itidem qui probris afficit hominem colligit maculas ejus hinc inde, objicitque illi, dicendo: Nonne tu ſic et ſic feciſti, in tali et tali loco, et tali tempore?* Verum prior interpretatio, ut ſimplicior, praeferenda. וַיַּטּוּ בַתֹּהוּ צַדִּיק *Et declinaut in vanitatem juſtum*, i. e. cauſam juſti; cadere faciunt cauſa ſua, ſive condemnant injuſto judicio (quod hic vocatur תֹּהוּ *vanitas*) juſtum.

22. Propter feliciſſimam hanc viciſſitudinem (de qua inde a vs. 18.), cum, remotis impiis, tantum pii probique Jovae cultores ſuperſtites manſerint; pater ipſe Jacobus progenie ſua gaudet, nec, ut antea, natorum degenerum eum pudet. Pro אֶל־בֵּית Lowthus legere mallet אֵל־בֵּית *Deus Domus* Jacobi. Sed nullius antiqui interpretis teſtimonio haec conjectura confirmatur, nec illa eſt opus. אֲשֶׁר פָּדָה אֶת־אַבְרָהָם *Qui* (Jova) *redemit*, eripuit, liberavit, *Abrahamum* ex conſortio idololatrarum in terra Ur. Quoniam pro his verbis Hebraeis Alexandrinus habet: ὃν, ſcil. *Jacobum*, ἀφώρισεν ἐξ Ἀβραάμ, Dathius putat, eum legiſſe אֲשֶׁר הִבְדִּיל מִן אַבְרָהָם. Sed ipſe fatetur, longius haec recedere a textu recepto, in quo acquieſcere poſſimus. וְלֹא עַתָּה פָּנָיו יֶחֱוָרוּ *Nec amplius facies ejus albeſcet*, i. e. palleſcet. Pro יֶחֱוָרוּ Lowthus, Seckero auctore, יַחְפְּרוּ legere mallet, nam alibi non legi verbum alterum, nec in linguis affinibus *pudoris* ſignificationem habere. Sed frequens in dialectis, nec Hebraeis incognita notio *albedinis* in hoc verbo eſt. Inde *pallor* dictus, timoris index, ſed et ruboris illius conſequens, quo prodi

pudo-

pudoris affectus solet. Itaque inter ἐρυθριᾷν et ὠχριᾷν, *erubescere et pallescere*, saepe non multum interest. Conf. Buxtorfii *Lexic. Chald. Talmud.* p. 1119.

23. Verba כִּי בִרְאֹתוֹ יְלָדָיו Lowthus vertit: *si aliquando videbunt nati ejus*, unde pro בִּרְאֹתוֹ legendum censet בִּרְאוֹת. Sed referas בִּרְאֹתוֹ ad Jacobum, et nulla difficultas erit. מַעֲשֵׂה יָדַי *Opus manuum mearum*, Jova vocat rempublicam Israeliticam a malis purgatam, et ex hominibus piis tantum consistentem. בְּקִרְבּוֹ *In medio ejus*, scil. Jacobi, per συνεκδοχήν pro toto coetu progeniei ejus positi. יַעֲרִיצוּ *Fortem eum praedicabunt*; id enim עָרַץ in *Hiphil* valet, sicuti הִצְדִּיק est *justum praedicare*, הִגְדִּיל *magnum praedicare*, et quae sunt his similia.

24. וְיָדְעוּ תֹעֵי־רוּחַ בִּינָה *Et cognoscent errantes spiritu intelligentiam*, etiam qui erraverant, in veram viam redibunt. Respicit ad vs. 14. וְרוֹגְנִים יִלְמְדוּ לֶקַח *Et mussitatores discent doctrinam.* רוֹגְנִים Jarchi recte interpretatur *murmurantes contra verba prophetarum*, quorum adhortationibus illi obstreperunt.

CAP. XXIX. 1. *Hei, Ariel, Ariel! civitati, in qua resedit David! Addite annum anno, solennitates in orbem eant!*

2. *Attamen angustabo Arielem, et erit moeror ac moestitia, et futura mihi est* (urbs) *ut Ariel.*

3. *Castra metabor adversus te in circuitu, atque obsidione te arctabo objecto aggere, et erigam contra te propugnacula.*

4. *Tum humiliata ad terram jaciens loqueris, et e pulvere depressa erit oratio tua, et erit instar pythonis e terra vox tua, et e pulvere loquela tua pipiet.*

5. Erit-

5. *Eritque ut pulvis tenuis multitudo hoſtium tuorum, et tanquam gluma transiens multitudo ferocium; fietque illud repente, momento.*

6. *A Jova, agminum Deo, viſitabitur tonitru, et terrae motu, et voce magna, procella, et tempeſtate, et flamma ignis vorantis.*

7. *Habebitque ſe inſtar ſomnii viſionis nocturnae multitudo omnium illarum gentium militantium contra Arielem, omnium,* inquam, *militantium contra eam arcemque ejus, quique eam anguſtaverint.*

8. *Ut enim ſomnians famelicus videtur ſibi comeſſe, deinde experrectus inanem ſentit ſtomachum ſuum, utque ſomnians ſitibundus videtur ſibi bibere, deinde expergefactus laſſum ſe avidique appetitus deprehendit; ſic accidet tot gentium turbae adverſus montem Sionem militantium.*

9. *Obſtupeſcite et miramini! caecos agite, et excaecamini! Ebrii ſunt, ſed non vino, titubant, ſed non a ſicera.*

10. *Nam Jova effudit ſuper vos ſpiritum ſoporis, et obſtipavit oculos veſtros, prophetas et primores veſtros, videntes, obduxit caligine.*

11. *Ut omne vaticinium ſit vobis inſtar libri obſignati, qui ſi tradatur litterarum perito, eique dicatur: lege, quaeſo; non poſſum, inquit, quia obſignatus eſt.*

12. *Vel detur hic liber alicui litteras neſcienti, his verbis: lege quaeſo; reſpondet, neſcio litteras.*

13. *Ita igitur dicit Jova: propterea quod populus hicce mihi appropinquat ore ſuo, et labiis ſuis me honorat, dum animus ejus longe a me abeſt, ejusque erga me religio eſt humanae doctrinae diſciplina;*

14. *Propterea ego inſuper adeo mirifice ero, adeo mirabiliter erga populum iſtum acturus, ut deficiat ſapientia ſapientum, prudentumque ſe ſubtrahat prudentia.*

15. Vae iis, qui profunda simulatione se subducentes Jovae occultant consilia sua, qui opera sua in tenebris peragunt, qui dicunt: quis videt nos, aut quis nos cognoscit?

16. O vestram perversitatem! modo instar luti figuli id reputetur. Num dicat opus de factore suo, non fecit me? aut vas fictile de figulo: non intelligit?

17. Annon adhuc exiguum pauxillum est temporis, ut convertatur Libanus in arvum frugiferum, et arvum frugiferum pro sylva reputetur?

18. Et audient illo tempore surdi verba libri, et discussis tenebris et caligine oculi caecorum videbunt.

19. Tum afflicti de Jova cumulate gaudebunt, atque egeni hominum de numine Israelitarum laetabuntur.

20. Siquidem defecerit violentus, et consumtus fuerit irrisor, et excisi omnes vigilantes ad iniquitatem,

21. Qui hominem in causa reum agunt, et litiganti in foro tendiculum ponunt, justumque nequitia evertunt.

22. Propterea haec dixit Jova familiae Jacobitarum, (Jova), qui redemit sibi Abrahamum: non amplius Jacobus pudefiet, non amplius facies ejus expallescet.

23. Quia cum viderit natos suos, manuum mearum opus, in medio sui me celebrabunt, numen Jacobitarum praedicabunt, et Deum Israelitarum reverebuntur.

24. Tum vecordes prudentiam addiscent, atque renitentes disciplina utentur.

CAR.

CARMEN VICESIMUM QUARTUM.

Cap. XXX.

ARGUMENTUM.

Postquam Hiskias ab Asſyrio defeciſſet (2 Reg. XVIII, 7.), multos Judaeorum metuiſſe ſibi et de ſecuritate ſua cogitaſſe neceſſe eſt, praeſertim quum fama percrebreſceret, Asſyrium expeditionem in Aegyptum moliri, qua Judaea ipſi transeunda erat. Itaque plures Judaeorum proceres de foedere cum Aegyptiis ineundo cogitaſſe videntur, qui ſoli pares Asſyriorum potentiae exiſtimabantur, eosque Judaeam ut ſuum ipſorum propugnaculum defenſuros eſſe ſperari potuit. Atque quo tempore Sanheribus expeditionem in Judaeam ſuscepit, vel initum eſſe tale foedus cum Aegyptiis, vel de eo transactum eſſe, patet e verbis ducis exercitus Asſyriaci infra XXXVI, 6. 9. 2 Reg. XVIII, 21. Id vero quum inconſulto Jeſaja et clam eo inſtitutum fuiſſe credibile ſit, quippe qui foedus cum Aegyptiis ut Judaeis pernicioſum maximopere improbaret et disſuaderet (ut vidimus ſupra in Argumento ad Cap. XX.); hac oratione graviter invehitur in illos Judaeorum, qui invito Jova, cujus nuncius et voluntatis interpres vates erat, ſe ad Aegyptios converterant, eorumque favorem et opem per legatos ac munera ſupplices imploraverant, oſtenditque, quam indignum, inutile et damnoſum id fuerit (vs. 1 — 14.).

— 14.). Jovam autem, suae gloriae aemulum, non esse praestiturum salutem et liberationem populo suo, antequam ad ipsum se convertissent, et se salutemque suam totam fidei ejus commisissent (vs. 15—18.). Verum simul ac hanc subiissent conditionem, protenus esse adfuturum integro animo opem suam implorantibus, eosque non defensurum modo, verum etiam pluribus beneficiis cumulaturum esse (vs. 19—26.), et editurum simul illustre justitiae potentiaeque suae exemplum in profligando ac dejiciendo superbo Assyriae rege. (vs. 27—33.).

Vernacule translatum et illustratum hunc sermonem ab Eichhornio vide in *den hebräischen Propheten* Vol. I. p. 279. seqq.

---

1. הוֹי בָּנִים סוֹרְרִים *Vae filiis refragantibus*, Jovae consilium atque auxilium contemnentibus; conf. Cap. I, 23. LXV, 2. לַעֲשׂוֹת עֵצָה וְלֹא מִנִּי *Ad faciendum consilium, sed non ex me*, ita ut exsequantur consilium suum, et non, quod ego praeceperam. Verba לִנְסֹךְ מַסֵּכָה verti possunt vel: *ad fundendam fusionem*, vel, *ad superinducendum operimentum.* מַסֵּכָה enim vel notat *fusionem*, sive etiam *fusile*, vel *operimentum, tegmen*, perinde ac verbum נָסַךְ, receptum significatione *fundendi, libandi, unguendi*, adsciscit quoque notionem *tegendi, obtegendi* ex affini סָכַךְ vel שָׂכַךְ. Imo vero vox מַסֵּכָה sumitur quoque significatione *jugi textorii, licii*, Jud. XVI, 13. 14., quod haud dubie respiciens Hieronymus, phrasin נְסוֹךְ מַסֵּכָה hic vertit, *ordiri telam*; quae dictio quum Latinis sit proverbialis, pro *suscipere aliquod consilium* sive *negotium*, eandem in usu fuisse Hebraeis, sensu eodem, putant Doederlein et Koppius, qui praeterea confert Chaldaeorum נִסְכָּא *filum staminis textoris.* Verum quum nullo alio exem-

exemplo id firmari possit, equidem dubito, an haec interpretatio sit admittenda. Alii igitur מַסֵּכָה sumunt *fusilis*, i. e. idoli significatione, qua infra vs. 22. occurrit; vertuntque, *ad fundendum fusile*, i. e. Judaei sibi faciebant et consulebant idola, in quibus non erat spiritus Jovae. Cui interpretationi tamen non favet parallelismus cum לַעֲשׂוֹת עֵצָה. Idem valet de explicatione eorum, qui נָסַךְ sumunt *tegendi* significatu, vertuntque *ut tegant se operimento*, Aegyptiorum puta; tunc sensus esset: „ut ponant super se principes et protectores, qui non fuerint secundum voluntatem meam, cujusmodi est Pharao, cujus umbra se protegi volebant, ut dicit vs. 2." Cappellus in *Operr. Posthumm.* vertit: *libare libationem*, h. e. facere foedus. Observat ille, vocem נָסַךְ proprie idem valere quod *fundere*, *libare*, Graecis σπένδειν. Esse itaque נְסֹךְ מַסֵּכָה idem quod σπένδειν σπονδάς, h. e. inire foedus; solita enim fuisse foedera olim iniri cum sacrificiis et libationibus. Cf. Feithii *Antiqq. Homer.* L. IV. Cap. 17. §. 8. Idque respexisse Alexandrinum, qui vertit: συνθήκας ἐποιήσατε. Praetulerim ego hanc sententiam superioribus, nisi parallelismus flagitaret, dictionem nostram per *agitare consilia* reddere, uti, post Chaldaeum (וּלְאִתְמַלָּכָא מְלַךְ), Ludov. de Dieu et Dathius. *Fundere fusile* igitur erit metaphorice positum pro, *formare conceptum*, ἰδέαν, de hac illa re ex ingenio. Qui consilium mente sua fingit, idem agit ac si formaret imaginem, εἴδωλον, quod est *fundere fusile*, procudere consilium.

2. הַהֹלְכִים לָרֶדֶת מִצְרַיִם *Qui vadunt ad descendendum in Aegyptum*, nempe missis legatis, ut apparet infra ex vs. 4. E Palaestina Aegyptum proficiscentes *descendere* Hebraeis dicuntur, vid. Genes. XII, 10. XXVI, 2. XLVI, 3., et cf. C. B. Michaelis Dissert. chorographica *de notionibus Superi et Inferi* §. XIX.

in *Commentatt. Theologg.* P. V. p. 422. Verba לָעוֹז בְּמָעוֹז פַּרְעֹה non ſunt vertenda, *ut fortificentur robore Pharaonis*, ſed: *ad confugiendum in aſylum Pharaonis*, de qua verbi עוז ſignificatione vid ſupra ad X, 31.

3. Confugium ad Pharaonem ignominiae fore praedicit Judaeis, ſive quod rex Aegypti auxilium poſcentibus negaturus eſſet, Asſyriorum potentiam ipſe metuens; ſive quod illud condiceret, nec tamen praeſtiturus eſſet effectum.

4. Verſus hic cum proximo arctiſſime cohaeret, hoc modo: Judaeorum legatos, ubi in Aegyptum pervenerint, pudore affectum iri. Pronomina ſuffixa ad שָׂרָיו et מַלְאָכָיו *principes ejus, et legatos ejus*, referenda ſunt ad Judaeam, quod ſubjectum mente conceptum habuit, licet verbis expreſſum non ſit. צֹעַן, quae hic memoratur, absque dubitatione eſt celebris illa eaque antiquiſſima Aegypti inferioris urbs *Tanis* (demptis punctis Maſorethicis צען *Tſan*, et ſublato ſibilo *Tan*, unde *Tanis*), ſedes regum Aegypti inferioris, de qua vidimus ad XIX, 11. 13. De urbe חָנֵס interpretum disſenſus eſt. 1) Hieronymus conjecit, *ultimam juxta Aegyptios et Blemmyas eſſe Aegypti civitatem*; ſed quam ipſe nec appellat, nec cum hoc nomine comparat. Vitringa putat, illum reſpexiſſe *Syenem*; ſed monet ſimul, non eſſe veriſimile, legatos adiiſſe ultimos Aegypti terminos Aethiopiam verſus. 2) Chaldaeus תַּחְפַּנְחֵס, i. e. *Daphnae prope Peluſium* reponit, cujus urbis mentio fit apud Jeremiam XLIII, 7. 8. XLIV, 1. et Ezechielem XXX, 18. (ad quem loc. cf. not.), ut חנס ex illo nomine contractum ſit. 3) Vitringae חָנֵס videtur *Anyſis* urbs eſſe, cui nomen dederit rex Ἄνυσις, veluti a ſe exſtructae, ut ſolebant olim Aegypti reges vel nomina ſua dare urbibus, vel eadem ab urbibus mutuari. Mentionem facit illius urbis Herodotus Lib. II, c. 137., docetque, ex ea

Any-

Anysin, Aegypti regem, ante *Sabaconis* Aethiopis irruptionem in Aegyptum, regnantem, ortum traxisse. 4) Jo. Reinh. Forsterus in *Epistolis ad Joan. Dav. Michaelis*, p. 35. putat, חָנֵס eandem esse urbem, quam Cassianus *Thenessum*, Arabum Geographi تِنِّيس (vid. Abulfedae Aegypt. num. 65.) appellant, et in lacu Mendesio sitam referunt, locum olim amoenissimum, nunc fluctibus fere demersum. Sed recte huic sententiae obvertit Michaelis in *Supplemm.* p. 847., nomina *Chanes* et *Thennis* tam parum similitudinis inter se habere, ut non verisimile sit, illa uni eidemque loco indita fuisse. 5) Saadias pro חָנֵס posuit بَهْنَسا, *Behnese*, quod nomen ex Aegyptiaco *Pendsche* formatum esse docet Champollion *l'Egypte sous les Pharaons* P. I. p. 304. Urbs erat Aegypti mediae, olim celebris, cujus et frequens apud Arabicos scriptores seculi XII. et XIII. mentio (cf. Hartmanni *Erdbeschreib. und Geschichte von Afrika* p. 1041.), Graecis Ὀξυρύγχος dicta. 6) Magis cum hebraico חָנֵס convenit nomen urbis Aegypti mediae *Hnes* sive *Hnas*, unde Arabes أَهْنَاس *Ahnas* fecerunt (vid. *Edrisii Africa* ed. Hartmann. p. 152.), Graecis Ἡρακλέας πόλις dicta, de qua plura vid. apud Champollion l. c. p. 309. seqq., qui tamen ipse p. 313. חָנֵס e חַחְפָּנֵס contractum putat. Alexandrino et Syro חָנֵס non est nomen proprium, vertunt enim: ἄγγελοι πονηροὶ· μάτην κοπιάσουσι· ܡܠܐܟܘܗܝ ܢܠܐܘܢ ܒܣܪܝܩܘܬܐ, quasi legissent מַלְאָכָיו חִנָּם יִגָעוּ, *nuncii mali laborabant*. Sed in illis interpretationibus unde πονηροὶ et ܒܣܪܝܩܘܬܐ, desumtum sit, non liquet. In sex Codicibus Kennicottianis הנס reperiri, Lowthus monet (quibus addendi tres Rossiani), unde ipse et Michaelis in *Add. pend. ad Tom. XIV. Biblioth. Orient.* p. 92., non

 dubi-

dubitavit, id ut genuinum probare, atque vertere: *frustra laborant.* Ipse tamen postea suam sententiam mutavit, et in *Supplemm.* l. c. adstipulatus est Vitringae sententiae. Et obstat omnino Alexandrinae lectioni membrorum parallelismus, qui urbis nomen postulat, ut recte monet Doederlein. Ceterum verbum נָגַע hic *perveniendi* notione sumendum est, ut 1 Sam. XIV, 9. דֹּמּוּ עַד־ הַגִּיעֵנוּ אֲלֵיכֶם *consistite, donec ad vos pervenerimus.*

5. כֹּל הִבְאִישׁ *Omnis* scil. legatus Judaeorum *pudore suffusus est.* הִבְאִישׁ est pro הוֹבִישׁ, a יָבֵשׁ, quod subinde intransitive usurpatur, ut Jerem. II, 26. De hac forma e gemina radice, יָבֵשׁ *aruit*, sed notionem Verbi בּוֹשׁ *pudore affici* adsciscente, et בָּאַשׁ *foetuit*, conflata, vid. A. Schultens *Institt. ad fundamm. Ling. Hebr.* p. 399.; cf.; cf. Ejusd. *Clav. Dialector.* p. 320. Pro כִּי Lowthus כִּי אִם *sed* legendum censet, addito אִם e quatuor codicibus; sine necessitate, nam et כִּי solum valet *sed*, ut Genes. XLV, 8. Exod. XVI, 8. 1 Reg. XXI, 15. Particula אִם margini primum allita, sive corrigendi sive explicandi animo, dein textum paucorum codicum invasisse videtur. Dicit vates, legatos Judaeorum, postquam in Aegyptum venissent, omnia ibidem deprehensuros esse impatata et votis suis adversa, atque adeo pudore suffusos mox intellecturos esse ex inspecto rerum statu, se ex hoc foedere exiguam vel nullam percepturos utilitatem.

6. Verba מַשָּׂא בַּהֲמוֹת נֶגֶב nonnulli interpretes pro novi vaticinii inscriptione habent, qualis occurrit supra XXI, 1. ubi not. vid., ut vertendum sit: *oraculum de jumentis Austri*, i. e. qui austrum versus mittuntur. Sed recte Vitringa observat, ex verbo יִשְׂאוּ, quod propheta in hoc ipso versu usurpat, et ex toto orationis tenore, apparere, מַשָּׂא intelligendum esse de *onere*, quod portaretur a jumentis; et vertendum esse, *quod*

adti-

adtinet ad onus, quod a jumentis austrum versus portatur. Idem, quod incepit, argumentum persequitur Jesajas, vanamque spem de Aegyptiis conceptam, adhuc demonstrat. Legatos missos supra docuit, jam de muneribus loquitur, quibus rex Judaeae Aegyptiorum amicitiam ac foedera redimere studebat. נֶגֶב *Auster*, hic haud dubie est *Aegyptus*, ita dicta a situ suo, respectu Palaestinae; estque hic usus vocis נֶגֶב *Austri*, pro *Aegypto*, Danieli frequens, ubi reges *Austri*, h. e. *Aegypti*, regibus *Septentrionis*, h. e. Syriae opponit, XI, 5. 6. Per בַּהֲמוֹת autem hic rectius intelliguntur *jumenta domestica*, quam *ferae*, suntque בַּהֲמוֹת נֶגֶב *jumenta Austri* stylo Hebraeorum *jumenta in Austrum destinata*, ut צֹאן טִבְחָה *oves mactationi destinatae*, בְּנֵי תְמוּתָה *homines morti destinati*. Integra locutio est, בַּהֲמוֹת הוֹלְכוֹת דֶּרֶךְ נֶגֶב *jumenta, euntia via Austri.* *Genitivus* hic est *objecti*, sive *caussae finalis*. Denique quum Masorethae accentum distinctivum, *Athnach*, supposuerint voci נֶגֶב, monuerunt nos, haec verba priora *definitive* esse accipienda, ut indicantia subjectum, de quo vates loqueretur, atque adeo iis praefigendum esse Latinam *quod adtinet ad*. Qui nominativi absoluti Hebraeis usitatissimi sunt: veluti Ps. CXV, 16. הַשָּׁמַיִם שָׁמַיִם לַיהוָה *quod adtinet ad coelos, coeli sunt Jovae;* Ezech. X, 10. וּמַרְאֵיהֶם דְּמוּת אֶחָד לְאַרְבַּעְתָּם *et quod adtinet ad aspectum illorum, species una erat quatuor illis.* Chaldaeus sensum prophetae perfecte expressit: מַטְעֲנִין עַל בְּעִירְהוֹן בְּאוֹרַח דָּרוֹמָא *portant in jumentis suis in via Austri*, et quae sequuntur. בְּאֶרֶץ צָרָה וְצוּקָה *Terra angustiae et oppressionis* Aegyptum designari contextus docet, eamque *terram angustiae et pressurae* ideo dici plerique putant, quod Israelitae olim in ea vehementer vexati et afflicti fuerint. Mihi tamen probabilior est Vitringae sententia, Aegyptum hic ita vocari, quod reges Aegypti subditos et maxime servos hominesque

 que

que ſibi obnoxios, in terra alias aeſtu calente, ingente numero adhiberent ad opera graviſſima et monumenta exſtruenda, qualia erant Pyramides, Coloſſi, ſepulchra, labyrinthi, ſtagna, templa, cum ampliſſimis porticibus, ſub quibus miſeri ad ea aut ad lapidicinas damnati valde gemebant, ac ſudabant, quod olim accidit Iſraelitarum majoribus Aegypti inquilinis. An autem vates in voce צָרָה *anguſtia*, ſimul alludat ad nomen Aegypti מִצְרַיִם, ex voce צוּר formatum, tum ad ſitum regionis, nomine hoc expreſſum, quo inter duos montes Arabicum et Lybicum *στεινή ἐστι*, *anguſta eſt*, ut Herodotus Lib. II. cap. 8. dicit; voce צוּקָה vero reſpici vult ad ingentem aeſtum, quo tempore aeſtatis premuntur Aegyptii, aut ad inundationem anniverſariam Nili, per totam regionem aliquot diebus reſtagnantis, quo tempore incolae Aegypti *obſeſſorum* inſtar undique *coarctantur*, quod idem ille Vitringa putat, equidem in medio poſitum relinquo. בְּאֶרֶץ vertendum eſt, *in terram*, ב enim ſaepe indicat motum ad locum, ut Geneſ. XI, 4. Levit. XVI, 23. Cohaeret autem illud *in terram* cum eo quod mox ſequitur: *portabunt* (יִשְׂאוּ) *facultates et theſauros ſuos* et quae ſequuntur. Sunt quidem, qui, nulla ratione habita accentus Athnach ad vocem נֶגֶב, verba בְּאֶרֶץ צָרָה וְצוּקָה conjungant cum voce מַשָּׂא, in hunc modum inſtituta verſione: *quod attinet ad onus, quod jumentis vehetur auſtrum verſus in terram oppreſſionis et anguſtiae* . . . . *deportabunt* rel. Et eodem modo locum Chaldaeus tractavit. Sed eſt nulla ratio hic diſcedendi a Maſorethis, et vox בְּאֶרֶץ *in terram* commodius conſtruitur cum יִשְׂאוּ *portabunt*, quam cum מַשָּׂא *onus*. לָבִיא וָלַיִשׁ מֵהֶם אֶפְעֶה וְשָׂרָף מְעוֹפֵף *Ex qua eſt leaena, et leo fortis, vipera et preſter volans.* מֵהֶם proprie notat *ex quibus;* ſed Ludov. de Dieu recte monet, vertendum hic eſſe *ex qua*, per enallagen *terrae* et *incolarum ejus*, ut mox vs. 7. מִצְרַיִם יַעְזֹרוּ *Aegyptus* *juva-*

juvabunt, et רַהַב הֵם שָׁבֶת *Rahab illi* sunt *cessatio.* Pronomen vero illud מֵהֶם, numero plurali expressum, sumendum *relative*, docet, non de *Arabico deserto*, per quod iter faciendum erat, ut nonnulli interpretes opinati sunt, verum de *Aegypto* agi h. l. Ceterum cum hac Aegypti descriptione, quam vates noster exhibet, concinit fere Ammianus, qui in Aegypto describenda versatus, postquam monuisset de *pinnatis agminibus anguium, qui ex Arabicis emergunt paludibus*, Aegyptum infestantibus, dein subjungit *Histor.* Lib. XXII. Cap. XV.: *Serpentes* quoque Aegyptus *alit innumeras, ultra omnem perniciem saevientes, basiliscos et amphisbaenas, et scytalas et acontias, et dipsadas, et viperas, aliasque complures, quas omnes magnitudine et decore aspis facile supereminens, numquam sponte sua fluenta egreditur, Nili.* יִשְׂאוּ עַל־כֶּתֶף עֲיָרִים חֵילֵיהֶם וְעַל דַּבֶּשֶׁת גְּמַלִּים אוֹצְרוֹתָם עַל־עַם לֹא יוֹעִילוּ *Portant super humerum pullorum* (asininorum) *facultates suas, et super gibbum camelorum thesauros suos ad populum nihil profuturum.* Post יוֹעִילוּ Lowthus ex uno codice et Alexandrino interprete לָמוֹ *iis* addit. Sed verbum absolute positum significantius hic et elegantius videtur. Ceterum reges inferiores potentiorum auxilia petentes per *munera* ipsos solitos fuisse adire, mos vetus est ex omni historia vetere et recentiore notus, praecipue tamen in Oriente usitatissimus, exempla vide 1 Regg. XV, 19. 2 Regg. XVI, 8. XVIII, 14. 15. Ex iisdem liquet, munera illa praecipue constitisse *auro* et *argento*, electisque terrae proventibus, certe docet Hoseas XII, 2. muneribus ab Ephraimitis in Aegyptum missis, adfuisse quoque oleum. Conf. infra LVII, 9.

7. מִצְרַיִם הֶבֶל וָרִיק יַעְזֹרוּ *Aegyptus vanum et inanitatem juvabunt*, vane et inaniter auxiliabitur, inanibus promissis et viribus. Sed in altero versus hemistichio

mistichio interpretando, לָכֵן קָרָאתִי לָזֹאת רַהַב הֵם שָׁבֶת veteres et recentiores magnopere dissentiunt. Interpretum nonnulli לָזֹאת ad Hierosolymam referunt. Inter eos Hieronymus, qui hebraea sic vertit: *ideo clamavi super hoc: superbia tantum est, quiesce*, quae in Commentario hoc modo exponit: „Quoniam in Aegyptiis vanum auxilium est, praecepi ei, id est, Jerusalem, sive clamavi, quod Aegyptii regni tantum haberent vocabulum, et absque viribus superbiam, et Israel in terra sua sedere vel habitare deberet, nec frustra ab infirmis auxilium petere." Alii quoque, qui dictum prophetae ad Hierosolymam referunt, sic interpretantur: *propterea clamo ad hanc*, scil. Hierosolymam: *robur eorum erit sedere*, ut sit רַהַב הֵם pro רָהְבָּם. Sensum secundum ipsos: nihil profecturos Hierosolymitanos auxilii causa migrando in Aegyptum, contra vero, robur ipsorum fore quiescere Hierosolymis, ut vates mox vs. 15. disertius dicit. Ita Aben-Esra, Kimchi, Grotius. Sed obstat huic interpretationi primum, quod in toto hoc versu subjectum, uti loquuntur, manifeste est Aegyptus, unde appellatio illa referri non potest ad Judaeam; deinde quod רַהַב nusquam *robur* significat, sed *superbiam*, *insolentiam*, *ferociam*. Rectius igitur alii לָזֹאת ad Aegyptum referendum esse statuunt, ut Vitringa, qui recte observat, alludi hic ad nomen Aegypti, quo haec terra et infra LI, 9. Ps. LXXXVII, 4. LXXXIX, 11. appellatur, ut sensus sit: *ideo voco eam* Aegyptum noto, sed aliter nunc intelligendo nomine *Rahab* etc. *Denominationem* enim verbum קָרָא cum ל nomini rei praefixo constructum frequentissime significat, ut infra LVIII, 13. Genes. I, 5. 10. Ceterum רַהַב nomen proprium Aegypti inferioris esse, voluit Bochartus *Geogr. S.* P. I. L. IV. Cap. 24, qui illud ex Aegyptiaco ῥιβι, quod *pyrum* significet, factum statuit, et Aegypto inferiori, s. τῇ Δέλτα a forma *pyri* impositum fuisse putat. Verum notio-

notionem *pyri* Aegyptiaco ϱιβι falſo tribui oſtendit CHRIST. MULLERUS in *Satura Obſervatt.* Cap. VII. p. 83—113. (ubi totum hunc Jeſajae locum pertractat). La-Crozius, cui adſtipulatur P. E. JABLONSKI *Opuſc.* P. I. p. 228., hebraeum רַהַב ortum arbitratur ex Aegyptiaco ϱη-ουαβ, i. e. *regio Soli ſacra.* Quidquid vero de hoc ſtatuas, illud certum eſt, רַהַב, etſi non proprium Aegypti nomen fuerit, ſtylo tamen ſublimiori poetarum hebraeorum eam ita vocari, uti ex locis ſupra allatis manifeſtum eſt. Hoc autem loco reſpici notionem *ferociae, inſolentiae,* voci hebraeae propriam, dubitari vix poteſt. Hinc Coccejus, probante Vitringa, verba רַהַב הֵם שָׁבֶת vertit: *elatio illi? ceſſatio*, i. e. ſuntne illi appellandi *elatio?* imo vero *ceſſatio*. Sine interrogatione, ſed ſenſu non multum diverſo, Ludovicus de Dieu vertit: *tumor ſ. ferocia eſt ceſſatio*, הֵם poſito pro הִיא *illa*, ut vates doceret, ſe non *terram* reſpicere, ſed *homines*, ut in verbis, quae praecedunt, מִצְרַיִם יַעְזֹרוּ. A. SCHULTENSIUS in *Commentar.* ad Proverb. VI, 3. p. 46. רַהַב comparans cum Arabum رهب *terreri*, et *terrorem incutere*, ſignificatum *formidoloſitatis* huic voci tribuit, vertitque: „*Aegyptus vanum et inane auxiliantur, ideo nomen ei poſui: formidoloſitas illi ſedendo*„ i. e. verbis formidinem incutiunt; ad arma ubi eundum, ſedent, ceſſant, torpent. Reſpicitur ſimul ad רַהַב per antonomaſiam veniens pro Aegypto Pſ. LXXXVII, 4. Jeſ. LI, 9. ut *formidioloſitas* ſignet *imperium formidoloſum.*" Id Kochero placuit. Sed nulla cauſa eſt, cur ſignificatum voci hebraeae ex aliis locis certum hic deſeramus. Scite monet J. F. SCHELLING in *Animadverſſ. in loca difficiliora Jeſajae* p. 98., lucem accendere huic loco dictionem Job. IX, 13. obviam, עֹזְרֵי רָהַב, qua adjutores et vindices deſignantur, qui cuivis, quantocunque in rerum diſcrimine ſit, ſuccurrere cum vi poſſint. „Hinc igi-

igitur facile est conjectu, quare Aegyptus nominata sit רַהַב, ob ferociam nimirum fortitudinemque pariter ac felicitatem bellicam. Clarum porro, alludere prophetam ad illud ipsum nomen רַהַב, Aegypto alias inditum. Postquam declaraverat, vanam esse, quam populares in Aegypto ponerent, fiduciam, nihilque eos juvaturos, addit, tantum abesse, ut sint illi עֹזְרֵי רַהַב, utque cum nomine etiam omen tueantur, ut potius vocari digni sint רַהַב הֵם שָׁבֶת. Hunc sensum etiam LXX. (*ματαία ἡ παράκλησις ὑμῶν αὕτη*) tenuisse, sed rem potius, quam verba, exhibuisse videntur: vanum enim omnino est solatium, quod ab iis repetitur, abs quibus nihil auxilii sperandum. Notari etiam meretur, eosdem videri קָרָאתִי pro secunda persona feminina habuisse, cum formam hanc Imperativo secundae personae *ἀπαγγεῖλον* reddiderint. Recte igitur si illi viderunt, est forma plane similis formae Ketibh דִּבַּרְתִּי, quae Jerem. III, 5. exstat, et absque omni dubio secunda persona feminina est. Et vero grandior etiam sensus orationis esse videtur, quae id opprobrii, quod inest in novo Aegypti nomine, totius Hierosolymae, quam quae solius prophetae ori tribuit. Quod vero nomen hoc ipsum attinet, est omnino ejusmodi nominum symbolicorum ea indoles, ut, quae significant, studiosa quadam et aenigmatica quadam obscuritate involvant. Haec nominis, quod filio recens nato imponere propheta a Deo ipso jubetur VIII, 1. 3. *Maher schalal chasch bas*, ratio. Quid mirum igitur, si novum Aegypti nomen non minus aliquid obscuri habeat? Id vero facile intelligitur, in duabus vocibus רַהַב et שָׁבֶת acutam antithesin esse. Sumas autem hoc pro nomine a verbo שָׁבַת, significatum habebit, notioni, quam רַהַב secum fert, prorsus contrarium, ut itaque vis utriusque nominis etiam ex opposito eo magis elucescat. Jam igitur omnis obscuritas in sola horum nominum conjunctione residet, quae vero et ipsa dilucidatur, si modo ob-

observetur, pronomen הֵם intermedium etiam hic, ut saepissime alias, verbi substantivi vim sustinere, atque utrique nomini commune esse, ad posterius cogitatione repetendum, quod in conciso sermonis genere minime est infrequens, et Proverb. XXX, 24. eadem prorsus ratione usurpatur. Ponatur, prophetam scripsisse: רַהַב, הֵם הֵם שֶׁבֶת quam facilis sententiae intellectus, quam acuta dictio: *Rahab quondam, jam Schebhet*, h. e. ferocia jam minime ferox, desidiae potius nomine digna. Ex dictis igitur haec fluit latina versio: *unde nomen huic dato: ferocia quondam, nunc desidia.*" Viderat hunc sensum inter Hebraeos Jarchius, cujus haec sunt verba: לזאת׳ למצרים׳ רהב׳ הם׳ גסי הרוחי שבת׳ עם בטל ומתנאים חנם *Huic scil. Aegypto. Rahab illi, i. e. elati spiritu. Cessatio* (שֶׁבֶת), *i. e. populus otiosus, et qui se incassum cum fastu efferunt.* In alia omnia abiit Chaldaeus, qui קְרָאתִי ad verbum קָרָה *obviam ivit* retulit, et hebraea ita exposuit: בְּבֵן עֲרָעִית מִנְהוֹן קְטִילִין וּמְזִינִין אַיְתֵי עֲלֵיהוֹן *propterea occurri* (plurimis) *ex iis occisis, armatos inducam super eos.* Qui sensus qua ratione e verbis hebraeis exsculpi possit difficile est intellectu.

8. כָּתְבָהּ *Scribe eam* scil. hanc prophetiam, conf. VIII, 1. עַל־לוּחַ *in tabula*, et עַל־סֵפֶר *in membranis*, ut utroque modo memoria conservetur. אִתָּם *Cum iis*, coram ipsis. וּתְהִי לְיוֹם אַחֲרוֹן *Ut sit*, maneat, ad posteritatis memoriam. יוֹם אַחֲרוֹן Hebraeis omne tempus est, quod sequitur; vid. Proverb. XXXI, 25. Ps. CII, 19. Jubetur igitur vates hanc suam orationem, qua Judaeos redarguit ob contemtum consiliorum iis a propheta nomine Jovae suggestorum, exarare tam in *tabula*, publice exponenda, ut illi inscripta ab omnibus legantur, quam in *volumine membranaceo*, quale majore cura tuto in loco repositum in longum servari possit, in usum et memo-

memoriam poſterorum, ut monumento ſit apud aetatem ſequuturam tum fidelis curae Dei erga ſuum populum, tum pravitatis obſtinatae indolis ſuae, et ſtultitiae conſiliorum, qua ſibi accéleraret exitium. Vocem לעד, quod Maſorethae לָעַד, *in perpetuum*, efferre jubent, Hieronymus et Chaldaeus לְעֵד *in teſtem*, h. e. in teſtimonium, extulerunt. Ille enim *teſtimonium* poſuit, hic ita *παραφράζει*: וִיהֵי לְיוֹם דִין לְסָהֲדוּ קֳדָמַי עַד עָלְמָא *et erit in die judicii in teſtimonium coram me usque in aeternum.* Favent quoque huic legendi rationi loci Deut. XXXI, 19. 21. 26., ubi in eodem, quo hic, verborum nexu, עֵד legitur. Accedit, quod vox עד, quando ſignificatione *perpetuitatis* jungitur τῷ עוֹלָם, poſtponi ſolet, et ſcribi לְעוֹלָם וָעֶד. Secuti ſunt lectionem לָעֵד Lowthus et Henslerus.

9. Verſibus 9—11. exprobrat Judaeis ſcelera, quorum poenas inde a verſu 12. denuntiat. Vocatur populus Judaicus a noſtro vate, uti ab Ezechiele (II, 5. 6. XII, 2.) עַם מְרִי *populus pertinacis inobedientiae*, immoriger, ob continuas defectiones a Jova ad idolorum cultum. בָּנִים כֶּחָשִׁים *Filii mendaces, degeneres*, patrem ſuum abnegantes. Verbum כָּחַשׁ hic denotat, *Jovam abnegare*, non verbis, ſed factis, quod agunt ii, qui Jovae praeceptis non auſcultant, ut infra LIX, 13. פָּשֹׁעַ וְכַחֵשׁ בַּיהוָה *deficiendo et mentiendo adverſus Jovam.* Criminatio deſumta eſt e Cantico Moſis XXXII, 6. 20.

10. Prophetas quantum poſſunt, impediunt, ne vera dicant. אֲשֶׁר אָמְרוּ לָרֹאִים לֹא תִרְאוּ וְלַחֹזִים לֹא־תֶחֱזוּ־לָנוּ נְכֹחוֹת *Qui dicunt videntibus: ne videatis, et proſpicientibus: ne cernatis nobis recta*, i. e. ne vaticinemini nobis vera. Uti enim חֹזֶה et רֹאֶה *videns* ſcil. futura, pro נָבִיא *propheta*, rerum divinarum interprete, uſurpatur (cf. 1 Sam. IX, 9.); ita verbum חָזָה *vidit* dicitur pro *vaticinatus eſt*, cf. not. ad inſcriptionem

nem libri hujus Jesajani I, 1. Veri prophetae quum passim acri oratione in corruptionem seculi sui inveherentur, denunciarentque non resipiscentibus severas poenas; non mirum est, illos principibus et popule saepe fuisse graves et ab ipsis repulsos. Grati contra erant falsi prophetae, qui homines blanda oratione mulcere, in vitiis eorum connivere, orationem suam ad omnem auram accommodare, interminationes verorum prophetarum refellere solebant, dum inhiabant lucro, et indulgentes luxui inter plausus auditorum molliter ac delicate vivebant, quales Ezechiel XIII, 18. describit. דַּבְּרוּ־לָנוּ חֲלָקוֹת חֲזוּ מַהֲתַלּוֹת *Loquimini nobis blanda, videte, vaticinamini, nobis errores.* Haec tamen non erant ipsa improborum hominum verba; callidiores erant, quam ut aperte poscerent, sibi prophetas mentiri; sed aegre ferebant, sibi calamitates praenunciari, quae causa erat odii Achabi erga Micham 1 Reg. XXII, 8., et Agamemnonis erga Calchantem, apud Homerum *Iliad.* A. 106. Ita enim ille vatem increpabat:

Μάντι κακῶν, οὐ πώποτ' ἐμοὶ τὸ κρήγυον εἶπας

Vates malorum, numquam mihi boni quidquam dixisti.

11. סוּרוּ מִנֵּי דֶרֶךְ *Recedite a via*, aliam concionandi et vaticinandi rationem initi. Eodem pertinet quod additur: הַשְׁבִּיתוּ מִפָּנֵינוּ אֶת־קְדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל *Facite ut facessat a facie nostra Sanctus Israelis.* Nimirum veri prophetae in concionibus suis earumque praefationibus saepius usurpabant nomen *Sancti Israelis;* et inter prophetas omnes nemo est, qui hoc cognomine Dei frequentius utatur, quam Jesajas (vide mox vs. 12. 15), qui proinde ubi sic loquitur hoc in loco, haud dubie alludit ad aliquod dicterium, quo profanos aliquos homines de se suisque vaticinationibus loquentes usos fuisse noverat. Verbis: *facite facessat a nobis Sanctus Israelis,*

lis, significant igitur, se correptos esse fastidio illarum concionum, quas ingrediebatur illud; *sic dicit Sanctus Israelis*.

12. לָכֵן כֹּה אָמַר קְדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל *Propterea sic dicit Sanctus Israelis*, q. d. quum vos gravemini illas audire prophetias, quae nomine *Sancti Israelis* vobis denunciantur, neutiquam me dimovetis aut absterretis ab officio, quin ingeminabo vobis hoc nomen et hanc auctoritatem, etiam ingratiis vestris. יַעַן מָאָסְכֶם בַּדָּבָר הַזֶּה *Quia hoc verbum respuitis*. Per *verbum hoc* intelligitur haud dubie haec ipsa concio de inanitate fiduciae in Aegypto positae, ut exemplum omnis prophetiae, quam veri prophetae, et inprimis Noster, edebant in nomine *Sancti Israelis*, quas prophetias Jesajas appellaverat *Verbum Jovae*, supra XXVIII, 13. 14., et תּוֹרַת יְהוָה *legem Jovae*, supra vs. 9., quod *Verbum* illi cum *fastidio et contemtu repudiabant*, quod verbo מָאַס significatur. Hoc crimen reipublicae tandem exitium allaturum, prophetae saepe minantur. Ita supra V, 24. respublica instar stipulae ab igne tactae usque ad fundamenta diruenda dicitur, כִּי מָאֲסוּ אֵת תּוֹרַת יְהוָה *quia cum nausea et contemtu repudiarunt legem Jovae, et dictum Sancti Israelis spreverunt*. In verbis quae sequuntur, וַתִּבְטְחוּ בְּעֹשֶׁק וְנָלוֹז וַתִּשָּׁעֲנוּ עָלָיו *et confisi estis oppressioni et perversitati, et in eam innixi estis*, nomine עֹשֶׁק *oppressione*, designat munera in Aegyptum vecta (de quibus vs. 7.); quae a civibus inique et per vim extorta erant. נָלוֹז Participium Niphal neutrius generis pro Substantivo usurpatum, a לוּז *recedere*, *perversum esse*, hic *interversionem juris* notat. Aben-Esrae est formae adjectivae, qua, subaudito דָּבָר, *res perversa*, seu *verbum perversum*, quale erat falsorum prophetarum innuatur. Ad usum verbi לוז cf. Prov. III, 21. XIV, 2.

13.

13. לָכֵן יִהְיֶה לָכֶם הֶעָוֹן הַזֶּה כְּפֶרֶץ נֹפֵל *Ideo erit vobis peccatum hoc tanquam ruptura cadens*, prominens; instar muri, minantis ruinam. Quod statim disertius declarat, dum addit; נִבְעֶה בְּחוֹמָה נִשְׂגָּבָה *tumor in muro alto.* Vocem נִבְעֶה nonnulli cum Coccejo, a verbo בָּעָה *quaerere, inquirere,* interpretantur *penetratum, rimosum,* quia, quod in muro *pervestigabile* est, aut a madore perfluitur, aut ab animalculis perrepitur, id non solidum, non firmum, non cohaerens, levi momento collabitur. Equidem tamen cum Vitringa aliisque mallem vertere *tumens.* Scilicet verbum בְּעָה Chaldaeis quoque est *bullare, ebullire;* בּוּעָה, *tumor, pustula,* perinde ac בְּעִי, unde בְּעֵי לִבָּא, *tumor cordis* Proverb. XXI, 4., quam eandem significationem vocis obtinuisse apud Hebraeos, liquet ex voce אֲבַעְבֻּעֹת *ulcera tumentia, pustulae*, Exod. IX, 9., quod exemplum Kimchius hic recte adfert, et ex loco vatis nostri, Cap. LXIV, 2. *Ut ardet ignis liquationum,* מַיִם תִּבְעֶה אֵשׁ *aquas ebullire facit ignis.* Ergo פֶּרֶץ נִבְעֶה est *ruptura tumens, ventrosa, quae ventrem facit in muro edito,* nam tumor in inferiore muri parte, erumpens totius muri lapsum et ruinam secum fert. Sensus igitur est: talia mala vobis inferet haec vestra improbitas et Jovae negligentia, ut res vestrae et regnum vestrum simile sit prominenti tuberi in muro excelso, quum ruinam minatur.

14. וּשְׁבָרָהּ כְּשֵׁבֶר נֵבֶל יוֹצְרִים *Eritque fractura ejus sicut contritio vasis figulorum.* Vocem ושברה, quam Masorethae punctarunt וּשְׁבָרָהּ *franget eam*, scil. aliquis, quod impersonaliter accipiendum, pro *frangetur*, Alexandrinus atque Chaldaeus extulerunt וְשִׁבְרָהּ, ille enim καὶ τὸ πτῶμα αὐτῆς ἔσται posuit, hic vocem וְתַבְרַהּ adhibet. Posteriorem lectionem praefert Vitringa, quod similitudo parabolica, partes heterogeneas non admit-

 tens,

inferat, comminutionem et contritionem partium muri collapsi adscribendum esse lapsus gravitati; qui per שִׁבְרָהּ indicetur. Sensus parabolae est, fore ut respublica tota intereat, ut eum in modum dissolvatur, ut nemo in ea supersit vir habilis, quo quis uti possit ut instrumento in publica calamitate et afflictione sublevanda, quem usum praestat testa, qua sitibundus aquam haurit ex puteo; aut reipublicae statu restaurando, ad modum testae, qua ignis ex foco sumitur ad focum alibi accendendum.

15. בְּשׁוּבָה וָנַחַת תִּוָּשֵׁעוּן *In conversione et quiete salvabimini.* בְּשׁוּבָה *In conversione*, si ab illis consiliis recedatis. Hebraei interpretes vocem שׁוּבָה interpretantur *requiem*, השקט ומרגע, a verbo יָשַׁב *sedere*, collato loco Num. X, 36. שׁוּבָה יְהוָה רִבְבוֹת אַלְפֵי יִשְׂרָאֵל, *fac quiescere, Jova, myriades millium Israelis;* pro quo alii vertunt: *revertere ad myriades Israelis.* Interpretatio huic loco bene convenit, modo significatio verbi שׁוּב, quam illi hic urgent, certius adstrui possit. Nam ellipsis particulae אֶל, quam vulgata interpretatio statuit, nihil plus duritiei habet, quam mutatio significationis verbi שׁוּב ex intransitiva in transitivam. בְּהַשְׁקֵט וּבְבִטְחָה תִּהְיֶה גְּבוּרַתְכֶם *In tranquilllitate et fiducia erit fortitudo vestra,* sive *victoria vestra;* nam גְּבוּרָה notat *vim praevalentem, victricem.* Cogitatis, inquit vates, victoriam obtineri per Aegyptios; sed frustra eritis: quiescendo vincetis. Cf. Jer. XLII, 10.

16. וַתֹּאמְרוּ לֹא־כִי *Vos autem dicitis: non certe,* nequaquam (ut 1 Reg. III, 22. 23.), scil. victoria nostra est in quiete, ut tu dicis. Verba עַל־סוּס נָנוּס non sunt vertenda: *super equis fugiemus;* ut reddunt plures interpretes, sed ad verbum: *super equis emicabimus*, hoc est celerrimo cursu et impetu in hostes invehemur, ut aptissime Nicol. Guil. Schroederus in *Observatt. Selectt. ad Origg. Hebrr.* p. 150., ubi ostendit, verbum נוּס

נוס cognatum esse cum נוץ, Arabice ناص, cujus primaria *micandi*, *emicandi*, significatio, postea non de *fuga* tantum, sed et *celeri cursu* adhibetur. Confirmatur illa Schroederi explicatio membrorum parallelismo. Nam in membro sequenti respondet: וְעַל־קַל נִרְכָּב, *et super levi* scil. jumento *vehemur*, ruentes in praelium intellige. Utitur propheta *antanaclaseos figura*, quam efficit duplex unius נוס significatio: *Vos dixistis*, *imo vero super equis* נָנוּס, *emicabimus*, scil. hostes strenue invadendo; propterea תְּנוּסוּן, *emicabitis*, scil. in fugam. Similis figura est in sequentibus: *et dixistis*, *super* קַל *jumentis levibus equitabimus; propterea* יִקַּלּוּ *leves* celeres *erunt*, *qui vos* fugientes *persequentur*. Sic et *emicare* Latinis frequens est de iis, qui alacri impetu hostes invadunt. *Silius III*, 85.:

> *Emicet in Martem* —

Valerius Flaccus VI, 550.:

> — *Magnique in fata Ceramni*
> *Emicuit.*

Florus Lib. I. cap. 18. *Hostem rati*, *emicant*, *sine discrimine insultant*, *etc.* Cetera fiducia in *equis Aegyptiis* posita exprobratur Hebraeis non hic tantum, verum et infra XXXI, 1., cf. Hos. XIV, 4. Unde colligere licet, Aegyptum illa aetate equis et militia equestri abundasse. Imo vero id colligitur non tantum e prophetis hujus et subsequentis temporis, verum etiam ex aliis V. T. locis, in quibus rerum Aegyptiarum mentio occurrit, vid. Gen. L, 9. Exod. XV, 6 seq. XV, 1. 2 Parall. XII, 3. Jer. XLVI, 4. 9. Cant. I, 9. 2 Reg. XVIII, 24. Scriptores exteri quidem in Aegypto describenda versati, vel rerum Aegypti mentionem facientes, equos Aegyptios minus celebrant. Sed cogitandum est, statum Aegypti sub Persis, et deinceps sub Lagidis plurimum esse immutatum, et postquam Aegyptus inferior tota in fossas et

rivos scissa est, factam esse inequitabilem, ut Herodotus exerte testatur L. II. c. 108. Cf. Bocharti *Hieroz.* P. I. L. II. C. IX. T. I. p. 133. ed. Lips.

17. אֶלֶף אֶחָד מִפְּנֵי גַּעֲרַת אֶחָד מִפְּנֵי גַּעֲרַת חֲמִשָּׁה תָּנֻסוּ *Unum mille a facie increpationis unius, a facie increpationis quinque fugietis*, i. e. uno increpante mille, sed quinque increpantibus fugietis, scil. *omnes*, cujusmodi ellipseos plura exempla collegit Glassius in *Philol. S.* p. 629. ed. Dath. Conf. Deut. XXXII, 30., ubi praeterea eadem orationis gradatio; *quomodo unus persequeretur mille, et duo fugarent myriadem?* cui analoga sunt loca Levit. XXVI, 8. et Jos. XXIII, 10. עַד אִם נוֹתַרְתֶּם כַּתֹּרֶן עַל־רֹאשׁ הָהָר וְכַנֵּס עַל־הַגִּבְעָה *Donec superstites sitis ut pinus in vertice montis, et signum super collem.* De nomine תֹּרֶן, proprie *pinum*, tum *malum navis* significante vid. not. ad Ezech. XXVII, 5. Hoc loco idem fere quod נֵס indicabit, perticam altam signi causa in monte erectum, de quo vid. not. ad V, 26. XI, 12. Unde Chaldaeus, rem potius, quam propriam verborum significationem spectans, posuit בּוּעֲרָא, quod quidem proprie *facem* notat, sed hoc loco haud dubie indicare voluit *trabem, in cujus vertice vas pice plenum accenditur, signum adventus hostium.* Dicit igitur vates, superfuturos esse raros, nudatos omni praesidio, republica penitus dissoluta, eosque in omnium incurrentes oculos, omnique expositos injuriae.

18. וְלָכֵן יְחַכֶּה יְהוָה לַחֲנַנְכֶם *Et propterea*, propter stulta vestra consilia, *moram trahet Jova ad gratiam vobis faciendam.* Verbum חִכָּה, quod alias *praestolari*, *exspectare* notare constat, hic *morari* significare necesse est, quia nemo proprie actum a se exercendum *praestolari* dicitur. *Morabitur* autem Deus in exercenda gratia, quia delicti gravitas repentinam gratiam non ferebat secundum rationes justitiae divinae. Idem est quod addi-

additur: וְלָכֵן יָרוּם לְרַחֶמְכֶם *et propterea exaltabitur, ut vestri misereatur.* יָרוּם Jarchius recte interpretatur יתרחק *longe aberit;* רום enim, quod proprie notat *altum esse,* deinde in universum *longum abesse* significare, quia *alta* remota sunt et longinqua, notum est. Bene autem A. Schultensius in *Animadverss. Philologg.* ad h. l. observat, *altum esse, efferre se,* ab Orientalibus aliquando poni pro *recusare, abstinere.* Veluti in Abulpharagii *Histor. Dynast.* p. 354. *Dicitur, primum sapientum, qui notatus est, quod se regum famulitio addixerit, fuisse Aristotelem, cum philosophi priores, Pythagoras, Plato, Socrates,* يترفعون عن ذلك, propr. *alti fuerint ab eo,* i. e. ab eo abstinuerint. Et in *Histor. Timuri,* p. 48. ed. Gol تشامخ *altum esse,* cum تابي quod *recusare* notat, conjungitur. Kocherus Lowthium refellens, qui, Hubigantio praeeunte, pro יָרוּם legere mallet vel יִדּוֹם, *silebit,* vel, unius codicis auctoritate, יֵשֵׁב *revertet;* interpretandum existimat vel sic: *et propterea morabitur Dominus gratiam facere vobis, proptereaque exaltabitur, quo vestri misereatur;* justitia scilicet exaltandus, ante quam poenitentium misereatur: vel hoc modo: *itaque morabitur — sicque sublime se efferet misericordiam exerciturus;* i. e. castigatos ante glorioso tandem vos vindicabit modo.

19. Sequitur nunc altera carminis pars, laetorum temporum descriptio. כִּי עַם בְּצִיּוֹן יֵשֵׁב בִּירוּשָׁלָםִ *Nam populus in Zione habitabit Hierosolymis.* Respublica sive collapsa, sive dissoluta penitus, ita restituetur, ut Hierosolyma mansura sit sedes religionis, et metropolis populi Dei. Doederlein vertit: *Namque gens Zionitica! civitas Hierosolymitana! etc.* et in nota addit: „mutatis punctis lego יֹשֵׁב, nam et frigida videtur promissio, populum Zioniticum Hierosolyma inhabitaturum,

 et

et ex sequentibus patet, עם et יושב subjectum esse, quod Jesajas alloquitur." Adstipulatur Henslerus. בכו לא תבכה *Flendo non flebis*, non semper flebis; luctus tuus post moram, severitati judicii definitam, cessabit. Jarchius sensum hunc esse ait: non necesse habebis *supplicare cum fletu*, quia simul ac clamaveris gratiam tibi faciet. Verba חנן יחנך quae vulgo vertunt *miserendo miserebitur*, A. SCHULTENSIUS in *Commentar.* in Job. p. 474. vertit: *intime miserando inclinatus propensusque erit tibi*, conferens Arabum حُنّ *pietatem*, *gratiam*, *adfectum tenerrimum monstrare*, et حني, pror. *flectere*, *flecti*, *clinari*, hinc *inclinari tenerrimo adfectu amoris*; nam יחנך non ad חנן refert, sed ad חנה, cujus Hophal יחנה.

20. ונתן לכם אדני לחם צר ומים לחץ *Et dedit vobis*, s. *ut dederit vobis Dominus panem angustiae et aquam pressurae.* ונתן scriptum est pro אם נתן, *si*, aut, *quamvis dederit vobis Deus etc.* Ellipsis non infrequens, veluti Ruth II, 9. וצמת והלכת אל-הכלים, *si sitieris*, *ibis ad vasa.* Locutio *cibum tenuem*, *atque aquam parcam dare*, quae et occurrit 1 Regg. XXII, 27. proverbialis haud dubie est, pro, *calamitate aliquem pascere*, *misere tractare:* sicut felicior status ex abundantia fructuum (vs. 23. 24.) aquarumque copia (vs. 25.) promittitur. מים לחץ ponitur pro מי לחץ sive מים מי לחץ, cujusmodi loquendi formulae plura exempla BUXTORFIUS *Thes. Grammat.* L. II. Cap. IV. collegit. לא-יכנף עוד מוריך *Non tamen tegentur*, ita nempe, ut illos non videas, oculis tuis eripientur, *doctores tui.* Verbum כנף enim, quod praeter hunc locum non occurrit in Codice Hebraeo, *tegere*, *cingere*, *circumdare* significare, ostendit SCHULTENSIUS in *Animadverss.* ad. h. l. Nomini pluralis numeri מוריך junxit vates verbum singulare per numeri enal-

enallagen, Hebraeis haud infrequentem. Eſt Pluralis diſtributive capiendus, pro: *unusquisque doctorum tuorum* non amplius ſeſe occultabit. Cf. C. M. Agrell Commentat. *de varietate generis et numeri in linguis OO.* §. VII. p. 49. ſeq. Doctores populi, per impietatem quorundam antea male habiti, ut audere non poſſent in publicum prodire, jam non amplius opprimentur. Dathius ab Alexandrino Syroque lectionem diverſam longe a recepta expreſſam affirmat; ſine ratione, ut oſtendit Michaelis in *Supplementt. ad Lexx. Hebrr.* P. V. p. 1314. Alexandrinus enim exhibet: *οὐ μὴ ἐγγίσωσί σοι*, ideo haud dubie, quod verbum יִכָּנֵף a כָּנָף *latus*, interpretati ſunt: *non ad latus tuum haerebunt.* Syrus: ܠܐ ܢܬܟܢܫܘܢ *non congregabit porro (doctores tuos*, ſic enim מוֹרֶיךָ vertit), nempe verbo כָּנַף ſignificationem dedit, quam in Syriaca, Chaldaica, immo et Talmudica lingua habet, a *tegendo*, *contegendo alis pullitiem*, quod ubi facit mater, eam *congregat.* Singularis eſt Chaldaica hujus loci expoſitio: וְלָא יְסַלֵּק עוֹד שְׁכִנְתֵּיהּ מִבֵּית מַקְדְּשָׁא. וְיֶהֶוְיָן עֵינָךְ חָזְיָן יַת שְׁכִנְתִּי בְּבֵית מַקְדְּשָׁא *nec tollet* (Deus) *amplius majeſtatem ſuam e domo Sanctuarii, et oculi tui videbunt majeſtatem meam in domo Sanctuarii.* Accepit paraphraſtes vocem מוֹרֶיךָ in Singulari ex annotatione Maſorethica, pro מוֹרְךָ, *doctor tuus*, per quem intellexit Deum, glorioſa ſua praeſentia gentem in templo illuſtrantem. Jarchi: לא יכנף לא יתכסה ממך בכנף בגדיו כלומר לא יסתיר ממך פניו : מוריך הקב״ה המלמדך להועיל Dictio לא יִכָּנֵף *notat: non abſcondet ſe a te ala veſtium ſuarum, ac ſi diceret: non occultabit a te faciem ſuam.* מוֹרֶיךָ *Doctor tuus, id eſt, Deus, qui te utilia docet.* Reſpicit ille, et reſpexit quoque Chaldaeus, ad locum infra XLVIII, 17. *Sic dicit Jova, redemtor tuus*, מְלַמֶּדְךָ לְהוֹעִיל, *qui te docet utilia et te ducit in viam, in qua* tibi

tibi eundum est. Sed nulla hic ratio jubet aut suadet discedere a lectione recepta מוֹרֶיךָ; quin phrasis prophetae nos potius monet cogitare de doctoribus ordinariis, qui homines docet *viam salutis.*

21. וְאָזְנֶיךָ תִּשְׁמַעְנָה דָבָר מֵאַחֲרֶיךָ, *Et aures tuae audient verbum post tergum tuum,* sicut paedagogi pueros sequentes, eos ad verum iter revocant, si qua forte deflectant, כִּי תַאֲמִינוּ וְכִי תַשְׂמְאִילוּ *si dextrorsum vel si sinistrorsum flexeritis,* uti in Hebraeo est. תַאֲמִינוּ pro תֵּימִינוּ, a radice יָמַן, ut Ezech. XLIII, 27. וְרָצָאתִי pro וְרָצִיתִי.

22. וְטִמֵּאתֶם אֶת־צִפּוּי פְּסִילֵי כַסְפֶּךָ וְאֶת־אֲפֻדַּת מַסֵּכַת זְהָבֶךָ *Et immundum reputabitis operimentum sculptilium tuorum argenteorum, et amictum fussilium aureorum tuorum.* Hebraea proprie sonant: *operimentum sculptilium argenti tui, et amictum fusilium auri tui,* ubi enallage est personarum, quum videretur scribendum fuisse: *argenti vestri,* et *auri vestri.* Sed oratio composita est ad emphasin, et sic interpretanda: immundum reputabitis quisque pro se, tu Jacobe, operimentum sculptilium tuorum rel. Summa sententiae est, futurum esse, ut populus Hebraeus sese abstineat ab idolorum cultu, non publico tantum, verum etiam privato et domestico, qui hic potissimum describi videtur. Quum enim populus, ad idololatriam, divinationes aliasque superstitiones proclivis, sub bonis regibus prohiberetur, idolorum cultui in publico operam dare, non desinebant tamen plures in interioribus domus suae conclavibus habere vel imagunculas divinatorias, Hebraeis antiquitus תְּרָפִים vocatas, vel alias imagines superstitioso ritu cultas, de quibus locus insignis est Deut. XXVII, 15. Fiebant autem ejusmodi imgines passim ex ligno, sed exasciatae formataeque obducebantur argento vel auro, vel etiam fundebantur ex aere, sed operimento aureo

aureo vel argenteo exornandae. De utraque specie vates hic loquitur, et plura leguntur infra XL, 19. Illo igitur tempore, quod propheta hic describit, futurum esse dicit, ut populus liberatus renunciet errori ac superstitioni, et ab idololatria abhorreat tanquam a re immunda. תִּזְרֵם כְּמוֹ דָוָה *Amovebis ea ut immunditiem menstruam.* תִּזְרֵם; quod Hieronymus *disperges* transtulit, nos potius *abiicies*, amovebis ea, vertimus, significatione vocis זָרָה petita ex affinibus זור et נָזַר *alienare*, *separare*. דָּוָה hic omnino sumendum est vel pro *muliere*, menstrua infirmitate laborante, quo sensu occurrit Levit. XV, 33., vel per *synecdochen* pro *aliquo ejus*, h. e. pro *panno* aut *linteo*, menstruatae sanguine tincto, quod vates infra Cap. LXIV, 5. בֶּגֶד עִדִּים *vestimentum menstruatum* vocat, ut דָּוָה hic elliptice scriptum sit pro דְּבַר דָּוָה *res* aliqua *menstruatae*. Sanguis autem *menstruus* ex lege habebatur inter res maxime immundas. צֵא תֹּאמַר־לוֹ *Exi*, apage, *dices ei.*

23. Aureae aetatis descriptio, cujusmodi plures in vatibus Hebraeis occurrunt: fruges nullo cultu enatae, omnium rerum abundantia. Conf. Virgilii *Eclog. IV.* vs. 18. seqq. וְנָתַן מְטַר זַרְעֲךָ אֲשֶׁר־תִּזְרַע אֶת־הָאֲדָמָה *Et dabit* scil. Deus *pluviam sementis tuae*, *qua conseveris terram*, i. e. post factam sementem, ne siccitate pereat, antequam radices egerit, pluviam demittet: וְלֶחֶם תְּבוּאַת הָאֲדָמָה *Et panem proventus terrae*, i. e. frumentum et cetera, quibus homines aluntur, quorum copiosam messem pollicetur propheta, וְהָיָה דָשֵׁן וְשָׁמֵן *eritque ubertimus et pinguis*, uti recte Hieronymus vertit. יִרְעֶה מִקְנֶיךָ בַּיּוֹם הַהוּא כַּר נִרְחָב *Pascet pecus tuum die illo in pascuo spatioso*, in pascuis amplis. Dictiones duas posteriores LXX. verterunt τόπον πίονα καὶ εὐρύχωρον, rectius quam Hieronymus, qui hebraea sic reddidit: *pascetur in possessione tua in die illo agnus spatiose.*

Sed

Sed כַּר, etsi alias *agnum* notet, hic tamen minus commode ita capitur, designatque potius מִישׁוֹר *campum, planitiem*, qua pecora pascuntur, ut Ps. LXV, 14. Bochartus *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. XLIII. T. I. p. 466. edit. Lips. כַּר putat contractum esse e כִּכָּר *campus, planities* (Genes. XIII, 10.), et primo significatu esse *pascuum*, deinde *agnum pascualem*.

24. וְהָאֲלָפִים וְהָעֲיָרִים עֹבְדֵי הָאֲדָמָה בְּלִיל חָמִיץ יֹאכֵלוּ. *Boves autem et pulli asinorum, colentes terram, farragine subacida vescentur.* Non solum *boves*, verum et *asinos* ad agriculturam in terris illis olim adhibitos fuisse, ostendit Bochartus l. c. Cap. XIII. p. 154. Cf. infra XXXII, 20. Dictionem בְּלִיל חָמִיץ interpretes, Kimchium sequuti, passim vertunt *farraginem puram.* Hieronymus: *commistum migma.* Vox בְּלִיל a בָּלַל *miscuit*, proprie *mixtum* in universum denotat, et, ubi de pabulo pecorum dicitur, ut hic, et Job. VI, 5. XXIV, 6. *mixtum e palea, foeno, furfure.* Cf. not. ad Job. VI, 5. Sed magis dubia est vocis חָמִיץ significatio. Kimchi explicat per נָקִי *purum, mundum*; quae interpretatio satis bene convenit ei quod sequitur, *vanno et ventilabro ventilatum*, sed minus respondet genuinae notioni vocabuli חָמִיץ, quod est a חָמֵץ *fermentescere, acidum factum esse*, unde חֹמֶץ *acetum.* Quare בְּלִיל חָמִיץ valebit *farraginem subacidam*, i. e. farraginem acido quodam condimento, salis, granorum, aut herbarum aliarum mixtam, qua rustici fastidienti jumentorum stomacho subvenire solent; quod pabuli genus jumentis accidit, et Arabibus simili nomine effertur, uti docuit Bochartus l. c. P. I. L. II. Cap. VII. T. I. p. 55. Cf. J. E. Faber et Harmeri *Observatt. super Oriente* P. I. 409. רַחַת instrumentum est, a vento (רוּחַ) nomen habens, quo in area a paleis separantur grana, *ventilabrum.* Ejusdem fere significationis est, מִזְרֶה, a

ven-

ventilando seu *spargendo* habens appellationem; *vannum* dicere possis.

25. וְהָיָה — יִבְלֵי־מָיִם Tanta erit copia imbrium, ut multi rivi aquarum sint super montes: tanta pluvia, ut etiam ea madescant, quae suapte natura sunt aridissima. Geminatio פְּלָגִים יִבְלֵי־מָיִם *rivi fluenta aquarum*, multitudinem indicat. Idque fiet בְּיוֹם הֶרֶג רָב *tempore caedis magnae*, i. e. hostium populi Jovae, בִּנְפֹל מִגְדָּלִים cum *ruent turres*, i. e. omne elatum et magnificum, quo tyranni isti confisi et gloriati sunt, ut supra II, 15. Quia Chaldaeus pro מִגְדָּלִים posuit רַבְרְבִין מַלְכִין *magnates, reges*, huncque secuti Aquila μεγαλυνομένους, et Symmachus μεγάλους, Lowthus, Michaele et Doederlinio consentientibus, מְגַדְּלִים reponendum autumant. Sed videtur Chaldaeus suum tantummodo sensum expressisse. Praeterea מְגַדְּלִים *procerum* significatione nusquam occurrit.

26. וְהָיָה אוֹר־הַלְּבָנָה כְּאוֹר הַחַמָּה *Et erit lux lunae ut lux solis.* Felicissimae vicissitudinis reipublicae significatio. Sic poetae:

Ipsi mihi visus pulchrior ire dies.

Similique dictione Horatius beatum sub Augusto seculum pingit, *Carm.* Lib. IV. c. 5. *Soles melius nitent.* וְאוֹר הַחַמָּה יִהְיֶה שִׁבְעָתַיִם *Lumenque solis erit septuplum*, lux erit septupla, quasi praeter solem sex essent parelii. Seipsum mox declarat, dicendo, כְּאוֹר שִׁבְעַת הַיָּמִים *sicut lux septem dierum:* ac si dicat: erit intensius *lumen, quod alioqui constaret lumine septem dierum.* Per quod intelligit magnitudinem gaudii et laetitiae, quae per *lucem* intelligitur. בְּיוֹם חֲבֹשׁ יְהוָה אֶת־שֶׁבֶר עַמּוֹ וּמַחַץ מַכָּתוֹ יִרְפָּא *Quo die obligaverit Jova fracturam populi sui, et vulnus plagae ejus sanaverit*, i. e. quo tempore rempublicam plane collapsam fractamque instauraverit, et religioni suum restituerit decus et

nito-

nitorem. Vide eandem imaginem ad ſtatum reipublicae graviter afflictae deſcribendum ſupra I, 5. 6. Jerem. X, 19.

27. „Stylo poetico pro more poenas denunciat, quae numen de populi ſui hoſtibus Asſyriis ſumturum erat. Adventat numen, cujus ira e vultu emicat: comitem habet tonitru cum fulgure: his dimicat, his vincit, victosque in tartarum demittit, igne comburendos, i. e. trucidandos.“ Doederlein. Cohaerent igitur quae ſequuntur optime cum antecedentibus, nec opus eſt cum Koppio novi carminis initium hic conſtituere. שֵׁם יְהוָֹה *Nomen Jovae*, i. e. Jova, cujus laude et gloria plena omnia ſunt. Interdum *nomen* pro *fama et gloria* accipitur apud Hebraeos ſicut apud Latinos, infra C. LX, 9. Deut. XXVIII, 58. Verba בָּא מִמֶּרְחָק *Venit e longinquo*, geminam ſuſtinent interpretationem; vel enim ſignificatur, Jovam venturum eſſe de coelo (coll. Rom. I, 18. ἀποκαλύπτεται ὀργὴ Θεȣ̃ ἀπ' ȣ̓ρανȣ̃), vel, Deum poenas in hoſtes exſequuturum eſſe poſt interpoſitam juſti temporis moram, quum a propheta dudum ante eſſent praedictae, acſi inſtar principis ad vindictam vel judicium properantis, longum iter conficiendum haberet, quomodo phraſin accepit Graecus interpres: ἔρχεται διὰ χρόνȣ, ſive, ut Codex Alexandrinus habet, διὰ χρόνȣ ἔρχεται πολλȣ̃. Chaldaeus adhuc preſſius, agens paraphraſten: *ecce nomen Domini revelabitur, ſicut de eo prophetarunt prophetae* מִלְקַדְמִין *ab antiquo*. וְכֹבֶד מַשָּׂאָה *Et eſt grave incendium*, nam ita vertendum eſt מַשָּׂאָה hoc loco, qua ſignificatione et occurrit Jud. XX, 40. et alias, a נָשָׂא *efferre*, quod flamma et fumus, quem ignis ſpargit, ſe in altum efferant. Solent altos gerentes ſpiritus, vel irati, veluti incenſi copioſos per nares emittere vapores inſtar *fumi*, quo alluditur Pſ. XVIII, 9. שְׂפָתָיו מָלְאוּ זַעַם *Labia ejus repleta ſunt indignatione*.

זַעַם

זַעַם hic eſt *ſeveritas*, et refertur ad *linguam* Hoſ. VII, 16. ut hic ad *labia*. Poteſt autem hic alludi ad ſeveritatem ſententiarum, quae Jova adverſus hoſtes pronunciaret: etſi, ut ira gravis, totum hominem occupat et commovet, eadem quoque ſe oſtentare ſoleat in *lingua* et *labiis* loquentium.

28. וְרוּחוֹ כְּנַחַל שׁוֹטֵף *Et ſpiritus ejus tanquam torrens inundans.* Introducit *ſpirantem* Jovam, cujus flatus ita obvia quaeque proſternat, ut ſolet proſternere *inundatio*, quae tantum non cacumina ſeu capita montium operit: *inundatio*, inquam, *torrentis*, quae violentior eſſe ſolet, et eo plus nocere, quo minus praevidetur. עַד צַוָּאר יֶחֱצֶה *Ad collem usque dividit*; i. e. qui usque ad collum perveniens, quaſi dividere hominem in duas partes videtur, ſed tamen inaequales, et aliam, quae in aqua eſt. *Metaphorice*, inquit Kimchi, *loquitur de rege Aſſyriorum, qui perdendus erat paene usque ad internecionem et conſumtionem, veluti cum quispiam eſt in aqua usque ad collum, propinquus eſt ſubmerſioni.* לַהֲנָפָה גוֹיִם בְּנָפַת שָׁוְא *Ad agitandas gentes agitatione vanitatis.* Metaphora deſumta eſt a cribratione, quae tam violenter inſtituitur, ut cribranda comminuantur, et in nihilum exeant. Formam inſolentem לַהֲנָפָה Hubigantius molliter in לְהָנִיף הַגּוֹיִם corrigit; citra neceſſitatem, ut bene Kocherus animadvertit, nam הֲנָפָה nomen verbale ex Hiphil bonaeque notae eſt, ut הֲנָחָה, הֲצָלָה; atque verbalia nomina apud Hebraeos et Arabes Infinitivi vicem praeſtare, forma varia, utroque genere, ſtatu utroque, abſoluto et conſtructo, uſurpari, caſumque ſui verbi regere, ſatis notum eſt. Itaque nec Michaelis לַהֲנָפָה ex Arabico نفى *repulit*, *disjecit*, i. e. ventus pulverem et feſtucas, facile probabitur, maxime ob ſequens נָפָה ex eodem נוף, quam vocem Rabbini recte per כְּבָרָה *cribrum*, explicant, nec enim quid-

quidquam, sive nominis originem, sive rem ipsam spectes, aptius videtur. וְרֶסֶן מַתְעֶה עַל לְחָיֵי עַמִּים *Et fraenum errare faciens*, i. e. avertens eos a via, qua ire cupiebant et designabant, *in maxillis gentium*, Israelitis infestarum.

29. הַשִּׁיר יִהְיֶה לָכֶם כְּלֵיל הִתְקַדֶּשׁ־חָג *Canticum vobis erit tanquam nocte, qua sanctificatur festum.* Deletis hostibus canticum civium reipublicae restauratae simile erit cantico, quod cani solet nocte praecedente solennitatem, h. e. praecedente lucem, in qua celebratur solennitas. Incipiebat enim festum a nocte, sive vespera praecedente. *Solennitatem* hanc intelligunt Hebraei *pascha*, κατ' ἐξοχὴν *festum* dictum, cujus festi nox summa laetitia celebrabatur. Grotius intelligit coenam, quae diem festum sequitur, in qua fiebat postcoenium, circumferebatur ποτήριον εὐλογίας, omniaque erant plena latitiae. וְשִׂמְחַת לֵבָב כַּהוֹלֵךְ בֶּחָלִיל לָבוֹא בְהַר־יְהוָה *Et laetitia cordis tanquam ejus, qui incedit ad tibiam eundo ad montem Jovae.* Respicit pompas sollennes, religionis causa in laetis casibus, veluti in primitiarum oblatione, institutas, ubi tibiarum cantu aliorumque instrumentorum musicorum concentu ad templum ibant.

30. Redit poeta ad descriptionem stragis hostium: excitatur a Jovae tempestas gravis ac terribilis, qua tonitrua, fulmina, imber, grando, venti dispergentes, ita inter se commiscentur, ut omnes mortales intelligant, Jovam, justum judicem, descendisse in nubes ad hostes suos perterrefaciendos agitandosque. קוֹל hic *tonitru* indicat, ut saepissime, veluti Ps. XXIX, 2. seqq., et הוֹד ejus gravitatem et majestatem indicat. In loco parallelo Cap. XXIX, 6. positum est רַעַם *tonitru*, et קוֹל גָּדוֹל *sonitus magnus.* נַחַת זְרוֹעוֹ *Descensio brachii ejus*, alludit ad gestum ferientis. נֶפֶץ *dissipatio*, ab interpretibus

pretibus quibusdam accipitur de *fulguribus*; sed rectius exponitur de *vento procelloso*, qui סוּפָה, *turbo*, dicitur in loco parallelo; et apud Jeremiam LI, 1. רוּחַ מַשְׁחִית *ventus perdens*, perniciosus.

51. כִּי מִקּוֹל יְהוָה יֵחַת אַשּׁוּר בַּשֵּׁבֶט יַכֶּה *Nam a voce Jovae prosternetur Assur, baculo eum percutiet.* Pro יַכֶּה post Forerium Dathius et Koppius legere mallent יֻכֶּה, quod et Syrus Vulgatusque expresserunt. Sed vertas vel: qui scil. Assyrius *virgâ caedit*, i. e. qui solitus erat, alios gravissime vexare; vel, *virga* sua *percutit* illum subaudi Jova, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetendus, quod praeferendum videtur, nihil est, quod mutandi necessitatem nobis imponat. Sub שֵׁבֶט *clava, baculo*, Doederlein intelligit *tonitru, fulgur.* Sic Homerus de percussione *fulminis* Iliad. B. 783. ἀμφὶ Τυφωεῖ γαῖαν ἱμάσσῃ, ubi Scholiastes: ἱμάσσῃ, μαστίζῃ, ὃ ἐστι κεραυνοῖς πλήττῃ.

52. וְהָיָה כֹּל מַעֲבַר מַטֵּה מוּסָדָה אֲשֶׁר יָנִיחַ יְהוָה עָלָיו בְּתֻפִּים וּבְכִנֹּרוֹת *Et futurum est, ut omnis transitus baculi illius constituti, super quem Jova eum fecerit requiescere, transeatur cum tympanis et citharis.* מַטֵּה מוּסָדָה *Baculus decreti* (esse enim haec duo nomina in constructo posita, docet *Zere* priori appositum, quod in statu absoluto est מַטֶּה) est baculus decreto divino judiciali ad puniendum constitutus. Est enim, ut recte observat Schelling in *Animadverss. Philolog. critt.* p. 102., verbi יָסַד prima notio, ut arabici وسد, *posuit*, tum ad rem architectonicam translatum *fundandi*, ad judicialem denique *constituendi decernendive* significatum habet. Inde est, quod in Niphal *consilium inire, deliberare* Ps. II, 2. XXXI, 14., et nomen סוֹד pro יְסוֹד *consessum*, aut *concilium consultantium inter se* significat. Usus hujus judicialis manifestum exemplum exstat Habac. I, 12. in phrasi וְצוּר לְהוֹכִיחַ יְסַדְתּוֹ, quae idem fere dicit, quod in membro praecedenti parallelo לְמִשְׁפָּט

 שַׂמְתּוֹ,

שַׂמְתּוֹ *ad judicium exercendum constituisti eum.* Quod igitur Habacuci loco est צוּר לְהוֹכִיחַ מוּסָר *petra ad castigandum constituta*, idem hoc in loco est מַטֵּה מוּסָדָה. Simili phrasi utitur Michas VI, 9. שִׁמְעוּ מַטֶּה וּמִי יְעָדָהּ *audite virgam et quis eam constituerit*, i. e. audite, quae poena vobis sit decreta, et a quo. Hoc vero loco per מַטֵּה מוּסָדָה *baculum constitutum* decreto divino, indicatur, ut recte observavit Jarchius, exercitus Assyrius, qui et supra X, 5. 15. 24. XIV, 5. *baculus* et *virga* irae Jovanae (*flagellum Dei*) vocatur, quod Deus illius ministerio usus erat ad plures gentes castigandas. אֲשֶׁר יָנִיחַ יְהוָה עָלָיו *Super quem Jova fecerit requiescere* scil. hunc baculum, hunc virgam. Ellipsis est pronominis relativi satis usitata. Integra oratio est: אֲשֶׁר יְנִיחוֹ יְהוָה עָלָיו *super quem* (locum transitus) *Jova eum* baculum *fecerit quiescere.* Intelliguntur loca, quae Assyrius cum exercitu vastatore pervasit, in quibus castra metatus est, quaeque expugnavit, aut ab incolis deserta occupavit. Est autem phrasis Hebraeis recepta, qua *baculus super quem quiescere* dicitur, ut Ps. CXXV, 3. *Quia non requiescet* שֵׁבֶט הָרֶשַׁע, *sceptrum improbitatis super sortem justorum*, i. e. non incumbet grave ac molestum. Metaphora desumta est a bobus sub jugum missis, aut ab asinis gravia onera portantibus, qui ab actoribus sine intermissu percutiuntur, ut baculus ab humero jumenti vix unquam recedat, et super ea jumenta quasi *quiescere* videatur. בְּתֻפִּים וּבְכִנֹּרוֹת *Cum tympanis et citharis* scil. *erit*, quod habetur in initio sententiae; *et erit omnis transitus baculi illius constituti cum tympanis et citharis*, i. e. futurum est, ut transeatur cum tympanis et citharis. Schelling l. c. per מַטֵּה מוּסָדָה non Assyrium exercitum, sed *Jovae baculum*, quo ipse Assyrium feriat, intelligit, et nomine מַעֲבַר, *transitu* baculi, *ictum* ejus indicari arbitratur, ut sensus sit, fore, ut quivis ictus decreti a Deo demittendique

in

in Aſsyrios baculi fiat inter cithararum tympanorumque laetum concentum. E noſtro tamen ſenſu multo concinnior prodibit ſententia, ſi מַטֵּה מוּסָדָה de Aſsyrio capiamus, praeſertim quum, uti vidimus, ſolenne Jeſajae ſit, illum iſta appellatione nuncupare, ut ſententia haec ſit, futurum, ut illa loca, quae ab Aſsyrio obſeſſa, vaſtata, incultaque relicta erant, quibusque durum ejus ſceptrum grave incubuerat, poſt ejus lapſum transirentur cum tympanis et citharis, cum jubilo et plauſu ob liberationem ab hoſte adeo importuno divinitus procuratam. וּבְמִלְחֲמוֹת תְּנוּפָה נִלְחַם בָּהּ *Et bellis agitationis pugnabitur adverſus eam*, ſcil. virgam; ſive ſecundum alteram lectionem, *adverſus eos*, ſcil. hoſtes, quod eodem redit. *Bella agitationis* ſunt *proelia fortia*, ut recte Chaldaeus vertit; valida, in quibus Jova ipſe manum brachiumque exerit ad hoſtes ſuos concutiendos et conterendos. Alludit vates ad id quod dixerat vs. 28. Jovam iratum *agitaturum* eſſe gentes infenſas Iſraelitis *agitatione vanitatis*. Conf. Cap. XIX, 16. ubi Aegyptii a Deo graviter puniendi inter alia mala dicuntur afficiendi metu femineo: מִפְּנֵי תְּנוּפַת יַד יְהוָה צְבָאוֹת. Sic item Deus ipſe Zach. II, 13. de ſe dicit: *Ecce ego agitans* (מֵנִיף) *manum meam ſuper eos.*

33. Clauſula confirmatoria, integrum hoc carmen obſignans. Continet autem eandem, quam ſuperiora, ſententiam, ſolummodo ſchema figurae mutatur, quod hic totum eſt parabolicum. Fingit vates, interitum hoſtis deſcripturus, magnam quandam pyram ex materia uſtili lignisque multis in lata aliqua valle paratam inſtructamque eſſe, ab halitu divino incendendam, in quam conjiciendus ſit hoſtis conſumendus. כִּי עָרוּךְ מֵאֶתְמוּל תָּפְתֶּה *Nam ordinatum eſt ab heſterno Topheth.* תֹּפֶת *Topheth* eſt vallis in tractu orientali et auſtrali urbis Hieroſolymae, ut ſi urbem Hioroſolymam circuiturus ab

 Ori-

Oriente deflectas Austrum versus, mox occurrat vallis, olim dicta *vallis filii Hinnom* (גֵּי בֶן־הִנֹּם), vel *vallis Hinnom* (גֵּיא חִנּוֹם), vid. Jos. XV, 8. In hac *valle* erat locus dictus *Topheth* (hic loci תָּפְתֶּה cum ה paragogico), ut patet ex verbis Jeremiae VII, 31.: *et aedificcrunt excelsa Topheth, quod est in valle filii Hinnom*; unde tota haec vallis appellatur *Topheth* apud eundem Jeremiam, qui utrumque nomen alternat, Cap. XIX, 6.: *non appellabitur amplius hic locus Topheth et vallis filii Hinnom.* In hac valle autem reges Judaeorum idololatrae sacra fecerunt Molocho, ex detestabili Ammonitarum et Phoenicum instituto, atque adeo ibi foverunt ignem, per quem liberos suos lustrabant. Sed pius rex Hiskias, qui idololatriam sustulerat, 2 Paral. XXIV. haud dubie etiam illum locum purgaverat. Jam fingit propheta, ironia admodum acuta, regem curasse, ut spatium sit satis amplum et sufficiens in illo loco, rogo parando et exstruendo, in quo hostes possint comburi; non quod sibi hoc propositum habuerit Hiskias, quam quod id tam commode evenerat, quam si hoc revera sibi proposuisset. מֵאֶתְמוֹל *Ab heri*, i. e. jam pridem, ut Exod. IV, 10. 2 Sam. III, 17. הֶעֱמִיק הִרְחִב *Profundiorem fecit et laxiorem*, remotis scilicet impedimentis omnibus vacua facta est. מְדֻרָתָהּ – בָּהּ *Pyra ejus ex igne constat et lignis multis; Deus autem vi sua, quasi sulfure multo injecto, ista ligna accendit.* Sensus, perituros hostes ita subito, quasi igne violentissimo absumerentur. Allusio ad morem idololatrarum, qui in eadem valle liberos suos cremare in honorem Molochi solebant.

CAP. XXX. 1. *Vae filiis immorigeris, inquit Jova, qui consilia ineunt non auctore me, commentumque comminiscuntur non afflatu meo, addendo peccatum peccato.*

2. Qui

2. *Qui pergunt in Aegyptum descendere ore meo non consulto, ut se firment robore Pharaonis, seque sub umbram Aegypti recipiunt.*

3. *Erit autem vobis potentia Pharaonis probro, et receptus in umbram Aegypti dedecori.*

4. *Cum principes ejus fuerint Tsoane, et legati ejus Hanesam venerint;*

5. *Omnes pudore affecti sunt caussa populi ipsis non profuturi, neque ad auxilium, neque ad utilitatem, quin contra futuri in opprobrium atque ignominiam.*

6. *Onus jumenta austrum versus in terram miseriarum et afflictionum, e qua leaena et leo* (prodeunt), *item vipera ac prester volans, deportant; opes eorum dorsis asinorum, divitiae eorum gibbis camelorum impositae sunt, destinatae populo nihil profuturo.*

7. *Quippe Aegyptii in vanum et inaniter auxiliabuntur; unde nomen ei dato: ferocia quondam, nunc desidia.*

8. *Nunc i, inscribe tabulae apud eos, et in libro exara illud, ut permaneat in dies subsequuturos, in perpetuum, in secula.*

9. *Quoniam ea gens rebellis est, filii degeneres, qui dictis Jovae parere recusant,*

10. *Qui dicunt praevidentibus: nolite praevidere, et cernentibus: ne cernatis nobis recta; dicite nobis blandia, videte nobis fallacias,*

11. *Deflectite de via; declinate de semita; auferte ex nostro conspectu Sanctum Israelis.*

12. *Quamobrem sic pronunciat Sanctus Israelis: propterea quod hanc orationem respuistis, et confisi estis fraudationi ac pravitati, et in eam innixi estis;*

13. *Ideo erit vobis iniquitas haec tanquam ruptura cadens, ut tumor in muro praealto, cujus repente atque improviso ruptura venit;*

14. Cujus fractura est, ut contritio vasis fictilis, quod adeo inclementer confringitur, ut ne testa quidem in ejus fragmentis inveniatur, ad capiendum de foco ignem, aut hauriendam e lacuna aquam.

15. Nam sic fatur Dominus Jova, Sanctus Israelis: in conversione et quiete salvi eritis; in tranquillitate et in fiducia erit victoria vestra; sed recusastis.

16. Quin dixistis: minime, imo equis fugiemus: itaque fugietis; celerrimis equis equitabimus, propterea veloces erunt, qui vos persequuntur.

17. Milleni ad singulorum increpationem, ad quinorum clamorem omnes fugietis, eousque ut restetis quasi pinus in vertice montis, aut sicut vexillum super colle.

18. Ideo Jova moram trahet in gratia vobis facienda, ideoque suspendet, ut erga vos misericordia utatur. Nam Jova Deus est juris observantissimus. O felices! qui eum exspectant.

19. Certe populus Zioniticus Hierosolymis habitabit; non amplius amare flebis; certo miserebitur tui ad vocem clamoris tui. Simulac audierit, vobis respondebit.

20. Quamvis enim Jova vobis dederit panem afflictionis et aquam miseriae, non tamen amplius delitescent doctores tui, imo vero videbunt oculi tui doctores tuos.

21. Et auribus a tergo hujusmodi vocem audietis: haec est via, hac incedite; si vel ad dextram vel ad sinistram deflectere velitis.

22. Foedabitisque simulacra vestra argento obducta, et auro vestita fusilia; abiicies ea tanquam pannum menstruo excremento infectum, dicesque ei: apage sis.

23. Dabit autem pluviam semini, quo conserueris humum, et panificium e terra proveniens, eritque uber et pingue; tum pascent greges tui in pascuis amplis.

24. Bo-

24. *Boves atque asini terram colentes farragine subacida vescentur, vanno et ventilabro purgata.*

25. *Futurumque est; ut in omni monte alto et super omnem collem elatum sint rivi, fluenta aquarum, die caedis istius magnae, quando turres corruent.*

26. *Erit et lunae lux ut lux solis, et lux solis septuplex ut septem dierum lux, quando Jova populi sui fracturam obligabit, et vulnus plagae ejus sanabit.*

27. *Ecce Jovae nomen procul adveniens, ardet ira ejus, et est grave incendium, labia ejus plena sunt indignatione, et lingua ejus, ut ignis devorans.*

28. *Halitus ejus ut torrens inundans, ad medium collum pertingens, ad ventilandas gentes vanitatis ventilatione, et ut sit fraenum seducens in maxillis populorum.*

29. *Carmine utemini, quale noctis est, qua festum indicitur, animique laetitia quali qui cum tibia ad montem Jovae, ad rupem Israelis ire pergit.*

30. *Tum sonabit Jova voce sua magnifica et impressionem brachii sui ostendet ira gravi, et cum flamma ignis vorantis, dissipatione, imbre et grandine.*

31. *Nam voce Jovae Assur consternabitur, baculo ab ipso percutietur.*

32. *Omnisque transitus baculi illius constituti, super quem Jova illum fecerit requiescere, transibitur tympanis et citharis; quippe proeliis agitationis pugnabit adversus illos.*

33. *Quoniam ordinatum est Topheth jampridem; etiam regi paratum est; profundum illud latumque fecit; pyra ejus ignis, lignaque multa; flatus Jovae quasi torrens ignis eam succendit.*

CARMEN VICESIMUM QUINTUM.

Cap. XXXI.

ARGUMENTUM.

Et in hoc carmine, ut in praecedente, varie adhortatur vates suos minis et promissionibus, ut a fiducia humanorum praesidiorum abstineant. Auxilium ab Aegyptiis petitum damnat, primo eleganti comparatione humanas inter et divinas suppetias instituta, vs. 1—3.; dein promissione de tutela divina, qua et servanda sint Hierosolyma, et repulsandi Assyriorum exercitus, vs. 4. usque ad finem.

Carmen hoc eodem tempore, quo praecedens, editum esse, argumentum ipsum docet.

---

1. הוֹי הַיֹּרְדִים מִצְרַיִם לְעֶזְרָה *Vae descendentibus in Aegyptum ad auxilium* ibi quaerendum. Cf. Argumentum ad Carmen praecedens. וְעַל־סוּסִים יִשָּׁעֵנוּ *Quique innituntur equis;* cf. not. ad XXX, 16. Nomen פָּרָשִׁים hic non *equos* designat, ut supra XXI, 7. 9. 2 Sam. I, 6. al., sed *equites.* Dixerat enim in propositione: *vae his ...... qui innituntur equis.* Id vero mox declarat. Quum enim equorum duplex possit esse usus in proeliis, ut vel jungantur *curribus*, ex quibus more Veterum a bellatoribus pugnabatur, vel sessoribus in

in proelio serviant; utrumque distincte recitat, *quique*, ait, *confidunt curribus*, *quod multa sunt*, *et equitibus*, *quod valde numerosi sunt*.

2. וְגַם־הוּא חָכָם *Atque etiam ipse sapiens est*. Novit, inquit, Jova versutias hominum, nec illum ullum latere potest consilium, quod homines moliuntur contra decreta sua; sed Deus id illis vertit in perniciem, ubi ipsi quaerunt salutem, ut tum hi, qui salutem apud homines quaerebant, tum illi, apud quos illa quaeritur, confundantur. וְאֶת־דְּבָרָיו לֹא הֵסִיר *Verba sua non abstulit*, rata faciet, quae per prophetas dixit; decreta sua non rescindet.

3. וּמִצְרַיִם אָדָם וְלֹא־אֵל *Et Aegyptii sunt homo et non-Deus*, i. e. nil minus quam Deus, ut supra X, 15. לֹא־עֵץ *non lignum*, quod nihil minus est quam lignum, cum natura ligni nil commune habet; vid. not. ad eum loc., et cf. infra vs. 8. וְסוּסֵיהֶם בָּשָׂר וְלֹא־רוּחַ, *Et equi eorum* sunt *caro nec spiritus*, i. e., ut recte Grotius, equi eorum non sunt substantiae immortalis, sed corruptibilis et dissolubilis. וַיהוָה יַטֶּה יָדוֹ וְכָשַׁל עוֹזֵר וְנָפַל עָזֻר *Itaque ubi extenderit Jova manum suam*, *et impinget auxiliator*, *et cadet cui auxilium fertur*. Si Jova extendat manum suam, corruet auxiliator, id est Aegyptius, ut maxime auxiliari vobis velit, et cadet is, cui fertur auxilium, id est, populus Judaeorum.

4. כַּאֲשֶׁר יֶהְגֶּה הָאַרְיֵה וְהַכְּפִיר עַל־טַרְפּוֹ אֲשֶׁר יִקָּרֵא עָלָיו מְלֹא רֹעִים מִקּוֹלָם לֹא יֵחָת *Quemadmodum stridit leo et leo juvenis super praedam suam*, *adversus quem si convocetur multitudo pastorum*, *a voce eorum non terretur*. מְלֹא capitur hic pro אֲסֵפָה, *congregatio* pastorum, ut Jerem. XII, 6. גַּם־הֵמָּה קָרְאוּ אַחֲרֶיךָ מָלֵא, *clamavit pone te multitudo*; vid. et Genes. XLVIII, 19.

וְרֹשׁ יִהְיֶה מְלֹא הֲמוֹנִים. Sicut, inquit, leo non terretur a pastoribus, quando captam dilacerat praedam, ita nec Jova, pro Hierosolymis pugnans. Eadem imagine utitur Homerus *Iliad.* XVIII, 161.:

Ὡς δ' ἀπὸ σώματος οὔτι λέοντ' αἴθωνα δύνανται
Ποιμένες ἄγραυλοι μέγα πεινάοντα δίεσθαι.

Ut fulvum leonem, cum valde esurit, a corpore abigere non possunt pastores, qui in agris degunt. Vid. et *Il.* XII, 302. seqq. לִצְבֹּא עַל־הַר־צִיּוֹן וְעַל־גִּבְעָתָהּ. *Ad pugnandum pro monte Zionis, et pro colle ejus*, i. e. pro urbe Hierosolymitana, regni capite. Suffixum femininum in גִּבְעָתָהּ respicit עִיר *Urbem*, nomen generis feminei, quod menti vatis obversabatur, dum *montis Zionis* mentionem fecit.

5. Verba כְּצִפֳּרִים עָפוֹת כֵּן יָגֵן יְהוָה quidam ita vertunt: *sicut aves volantes*, quae scilicet volatu celerrimo opem ferre solent, *ita Jova teget*, et quae sequuntur; ut Jova, Hierosolyma defendens, comparetur fortitudine leoni, vs. 4., velocitate avibus; tunc צִפּוֹר feminei generis hic esset, ut Deut. XIV, 11. כָּל־צִפּוֹר טְהֹרָה. Sed aptius per עָפוֹת intelliguntur *pulli.* גָּנוֹן וְהִצִּיל פָּסוֹחַ וְהִמְלִיט Ad verbum: *protegendo et eripit, transeundo et evadere facit.* Sed scite Kimchius monet, voces הִצִּיל et הִמְלִיט accipiendas esse forma *Infinitivi*, ac si punctatae essent הַצֵּל et הַמְלֵט, cujus ἀνομαλίας plura exempla colligit Buxtorfius *Thesaur. Grammat.* L. I. Cap. XVII. Vertendum igitur: *protegendo et eripiendo, parcendo et evadere faciendo.*

6. שׁוּבוּ לַאֲשֶׁר הֶעְמִיקוּ סָרָה בְּנֵי יִשְׂרָאֵל „*Convertimini ad eum, cui profundam fecerunt defectionem filii Israel*, h. e. a quo filii Israel alte defecerunt, tanquam rebellionis quodam gurgite mersi; ut de diversis dictum intelligatur. Sed ego de iisdem interpretari malo,

malo, hoc modo: *revertimini ad eum, filii Israel, a quo enormiter defectum, longissimeque recessum est;* perinde ac si dixeris: a quo defecistis, plerique recessistis. Is usus verbi *impersonalis*, quale אָמְרוּ *dixerunt*, dictum est, dicitur; קָרְאוּ *vocarunt*, vocatum est, vocatur." Kocherus. Veteres autem הֶעְמִיקוּ verterunt in persona secunda, non quod ita legerunt, sed quod ea aptior ipsis visa esset; conf. not. ad Cap. I, 29. V, 3. 8. Ceterum *profundam facere defectionem* nihil aliud significare, quam, summo studio omnibusque viribus aversionem persequi, nemo non videt.

7. בַּיּוֹם הַהוּא *Die illa*, postquam Dei providentiam tam magno et singulari beneficio agnoverint. יְדֵיכֶם חֵטְא *Manus vestrae sceleris*, i. e. scelestae, adsitum additum nomini regenti, cum alias plerumque addi soleat nomini recto, vid. Schroederi *Syntaxi Nomin.* Reg. X. et not. *b.*

8. *Cadet Assur gladio* לֹא־אִישׁ *non-viri, et gladius* לֹא־אָדָם *non-hominis vorabit eum*, i. e. ejus, qui plane alius est, quam vir et homo. Scilicet vocula לֹא saepe cum substantivis in unam quasi vocalem coalescit, ad significandum id, quod a re prorsus diversum, eique oppositum est, veluti Ps. CVII, 40. תֹּהוּ לֹא־דָרֶךְ *vastitas non-via*, i. e. plane invia Job. XVIII, 17. לֹא־שֵׁם לוֹ *non-nomen ei erit*, i. e. infamia publica. Vid. Schroederi *Syntax. Particul.* Reg. XCIV, γ. וְנָס לוֹ מִפְּנֵי חֶרֶב *Fugiet sibi*, i. e. fugiet *prae*, propter ensem illum, de quo antea. Dativus pronominum personalium in hebraico sermone multo etiam saepius, quam in graeco aut latino, πλεονάζει· exempla collegit Storrius in *Observatt. ad Analog. et Syntax. Hebr. pertinentt.* p. 448, 449. Pro לוֹ in duobus codicibus et editione Soncinensi legitur לֹא, idemque in suis codicibus legerunt Alexandrini, quos secutus est Vulgatus. Sunt et

clari

clari nominis interpretes, ut Castalio, Doederlein, Dathius, qui receptae lectioni hoc praeferunt, ut hic exeat sensus, *fugient nec gladius eos urgebit;* apte sane ad id quod sequitur: בַּחוּרָיו לָמַס יִהְיוּ *juvenes sui*, selecta manus ejus, *erunt in liquefactionem*, sive *dissolutionem*, destituti erunt animis, quemvis horrebunt folii strepitum. Hieronymus vertit: *et juvenes ejus vectigales erunt*, quem sensum phrasis hebraea הָיָה לָמַס omnino admittit, vid. Gen. XLIX, 15. Deut. XX, 11.

9. סַלְעוֹ מִמָּגוֹר יַעֲבוֹר *Petram suam prae timore transibit*, i. e. tanto metu hostis perculsus erit, ut et ipsa munimenta, quae ipsi sunt, transiturus sit fugiens, quippe non ausurus prae metu se iis committere; *fugiet etiam ultra caesam*, ut Latinum proverbium habet. סֶלַע *Petra* hic notat *munimenta, arces*, in petris, si quae darentur, exstrui solitas, quas ipse infra XXXIII, 16. מְצָדוֹת סְלָעִים *arces petrarum* vocat. וְחַתּוּ מִנֵּס שָׂרָיו *Et pavebunt principes ejus a signo*, id est, ubicunque in specula aliqua vexillum videbunt (qualium mentio supra XXX, 17.), putabunt imminere sibi hostium (Judaeorum) agmina. „Nulla fere imago praecipiti fugae exercitus consternati accommodatior. Gregarii palantur; rex ita festinat, ut munita loca, quo se recipere possit, praetervolet." Doederlein. נְאֻם יְהוָה *Effatum Jovae.* Quae adhuc audistis nemo dubitet quin futura sint; certus sermo est, et fidelis Jova, qui perpetuis sacrificiis in templo Hierosolymitano colitur. Id enim *habere focum et furnum* significat.

CAP. XXXI. 1. *Vae his, qui Aegyptum auxilii petendi causa abeunt, equis confidunt, fretique curruum numero et equitatus virtute, numen Israelis non respiciunt, nec Jovam consulunt.*

2. Ve-

2. *Verum is ſapiens eſt. Malum inducet, dicta ſua non mutabit, pugnabit adverſus populum iſtum improbum, et adverſus maleficorum auxilium.*

3. *Aegyptii autem homines ſunt, non dii, eorumque equi caro, nec ſpiritus. Simulac Jova manum extenderit, irruet auxiliator et cadet adjutus, ſimulque omnes conficientur.*

4. *Quippe Jova ita ad me fatus eſt: quemadmodum ſtridet leo et juvenis leo ſuper praedam ſuam, ut ſi adverſus eum convocetur coetus paſtorum, a clamore eorum non commoveatur, neque propter eorum multitudinem ſe ſubmittat, ſic Jova, agminum Deus, deſcendet ad pugnandum pro monte Sione et pro colle ejus.*

5. *Ut aves pullos, ſic Jova, agminum Deus, proteget Hieroſolyma, atque ita proteget, ut eam eripiat, liberet, atque omne periculum evadere jubeat.*

6. *Redite ad eum, a quo tantopere deſcitum eſt, Iſraelitae!*

7. *Tum vero quisque abiiciet idola ſua argentea et aurea, quae manus veſtrae ſceleſtae fabricarunt.*

8. *Cadetque Aſſyrius gladio non-hominis, enſe non-viri; terga vertet, haud obverſante gladio; juvenes ejus colliqueſcent.*

9. *Timore pulſus arcem praeteribit, duces conſpecto vexillo conſternabuntur. Haec Jova dicit, qui ignem ſuum Sione focumque Hieroſolymis habet.*

CAP.

CARMEN VICESIMUM SEXTUM.

Cap. XXXII. vs. 1—8.

ARGUMENTUM.

Haec pericopa pars videtur carminis majoris, in quo Hiskiae regis regimen laudetur, morum mutatione et justitiae studio insigniendum. A Doederlinio, Dathio et Henslero haec pericopa conjungitur cum carmine superiore et proximo; sed qua ratione haec tria inter se cohaereant, nos quidem non satis perspectum habemus. Ut ex adverso nulla necessitas est, hoc Caput, auctore Koppio, in tria Carmina dispescendi, quorum primum, quinque versus priores comprehendens, contineat seculi aurei, Messia adventante descriptionem; secundum vero sit (vs. 6. 7. 8.) longioris, alio plane tempore enuntiati, fragmentum; tertium denique reipublicae Judaicae interitum praenunciet.

---

1. וְלְשָׂרִים לְמִשְׁפָּט יָשֹׂרוּ *Et, quantum ad principes*, pro, *principes*, manente *Nominativi* potestate, cujus constructionis exempla Glassius dabit *Philolog. S.* pag. 594. ed. Dath. Noldius *Concordantt. Partic. Hebrr.* p. 463. Storrius *Observatt. ad Analog. et Syntax. Hebr. pertinentt.* p. 289. Simillime *Lam* Arabum ante *Nominativum* redundat, vid. Schuldtensium ad

ad Job. XVI, 21. et LETTIUM in *Cantic. Deborae*, p. 85. Qualis rex est, tales esse solent principes. MARTIALIS *Epigr.* IX, 81.:

Nempe suos (haec est aulae natura potentis),
Sed domini mores Caesarianus habet.

Theuderichus Gothus: *Principis propositum facit aut negligere judices, aut amare virtutes.*

2. וְהָיָה אִישׁ *Et est vir*, id est, quisque illorum procerum. Rex, inquit, ille, et unusquisque amicorum suorum, est omnium afflictorum refugium, ad quem afflicti fugient, haud secus quam homines, qui tempore magnorum ventorum et imbrium ad tuta latibula fugiunt; tam gratus hominibus, quam gratus esse solet locus, in quo abducunt sese homines ad injuriam venti vehementis vitandam. כְּפַלְגֵי מַיִם בְּצָיוֹן *Sicut aquarum rivi in arido loco*, scil. facientibus iter. VIRGILIUS, Ecl. V, 47.:

— — quale per aestum
Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.

כְּצֵל סֶלַע־כָּבֵד בְּאֶרֶץ עֲיֵפָה *Sicut umbra petrae ingentis in terra siticulosa*, deserta, arboribus vacua.

3. וְלֹא תִשְׁעֶינָה עֵינֵי רֹאִים *Nec oblinentur oculi videntium.* Si verbum תִשְׁעֶינָה referas ad radicem שָׁעָה, significatione *respiciendi*, neutiquam sensus commodus exibit, et ad alterum membrum aptus. Hinc varii varias expediendi rationes excogitarunt. Clericus, cui assentitur Lowthius, prioris membri sensum negantem aiente mutat, hoc modo: *illum respicient*, *etc.* ut pro לֹא תִשְׁעֶינָה legatur תִשְׁעֶינָה לוֹ. Sed quum nullus codex, nemoque veterum conjecturam hanc confirmet, vix probandam eam censuerim. Michaelis, quem Dathius sequitur, aliis punctis subjectis legit תְשָׁעֶינָה a שָׁעַע, *illinere*, *calce obducere*, in lingua Chaldaica et Syriaca fre-

frequenter obvium. Sed Kocherus, nullum plane vitium textui ineſſe exiſtimans, verbum שָׁעָה hic interpretandum cenſet: *laxius apertis* et tanquam *majoribus oculis aſpectare*, quod admirantibus, rei adſtupentibus, aut opem anxie *circumſpectantibus* evenire ſolet, quam ſignificationem linguae Arabicae ope firmius adſtruere tentavit. Nos tamen dubitamus, an: *nec anxie circumſpiciant oculi videntium*, ſatis conveniat cum altero membro. Optimam ſententiam videtur dixiſſe Kimchius, שָׁעָה hoc loco ſignificatione convenire cum שָׁעַע, quod ſupra VI, 10. occurrit. Apud Syros certe et ܫܥܐ (quod tamen in conjugatione Aphel tantummodo occurrit), et ܫܥܳܐ, utrumque *illinendi* notione ſumitur. Similiter הָמַם et הָמָה, גָּלַל et כָּלָה, רָבַב et רָבָה, et plura alia hujusmodi Verba ſignificationibus conveniunt. Pro שֹׁמְעִים quidam codd. legunt חֵרְשִׁים *ſurdi*, ex conjectura. Quod integri verſus ſenſum attinet, rectum a Grotio viſum puto, qui prius illud: *non caligabunt oculi videntium*, interpretatur: non erunt, qui ſe prophetas dicant falſa viſa adferentes (nam רֹאֶה ſaepe pro *prophetis* dici, notum eſt, e. c. 1 Sam. IX, 9. 11. 1 Chron. IX, 22. Jeſ. XXX, 10.), et alterum, *et aures audientium diligenter auſcultabunt*, veris prophetis praebebitur audientia. Aliis forſan praeplacet Vogelii ſententia: „*Videntes* et *audientes* iidem ſunt, quos Cap. XXIX, 18. *coecos* et *ſurdos* appellaverat. Scilicet, qui ad omnes aliorum perſecutiones quaſi coecos et ſurdos agere coacti erant. Videntes et audientes jam nominat, quoniam nunc ſe adverſariis ſuis audacter poſſent opponere."

4. וּלְבַב נִמְהָרִים יָבִין לָדָעַת *Et cor feſtinorum conſiderabit ad cogitandum.* נִמְהָרִים hic ſunt *praecipites in judicando et agendo*, inſipientes, ſtolidi. Hi ſapiunt et

et ad meliora redeunt. וּלְשׁוֹן עִלְּגִים תְּמַהֵר לְדַבֵּר צָחוֹת Et lingua balbutientium expedita erit ad diserte loquendum. Hi, quorum lingua balba fuit in eloquiis divinis, posthac diserte et eleganter loquentur de lege Jovae. Verbum מָהִר hic ea significatione sumi potest, qua haud raro occurrit apud Aramaeos, peritus, excellens est, vide Malach. III, 5. Proverb. XXII, 29. et confer Syriacum ܡܗܝܪܐ, Castelli Lexic. Heptagl. p. 1607. Assemani Bibl. Orient. T. I. p. 181. צָחוֹת Nitida, i. e. facunda verba, q. d. prompte, expedite et facunde loquuntur proba, legibus Jovae convenientia.

5. לֹא יִקָּרֵא עוֹד לְנָבָל נָדִיב Non vocabitur amplius stultus ingenuus. Grotius נָדִיב, εὐεργέτην, beneficum, honestam appellationem viri principis esse putat; stultos vero, sive insipientes vocari putat, qui Dei providentiam non credunt. Sed membrorum parallelismus docet, נָדִיב propria significatione ingenui sumendum esse, atque נָבָל stultum esse hominem divitem et illiberalem, qui de bonis suis aliis nihil largitur, et, si quippiam largitur, facit id maligno animo. Sub tyrannis mutantur vocabula; nomina vitiorum dantur virtutibus, et judicia non sunt libera; non ita sub bono principe, et ubi res publica bene ordinata fuerit. וּלְכִילַי לֹא יֵאָמֵר שׁוֹעַ Et avarus non dicetur munificus. Idem quod in priori membro dictum fuit. „Ahasi tempore, ut Romae Sallustii, vera rerum nomina amissa erant. Melius aevum omnia verae dignitati restituit.“ Doederlein.

6. Caussas reddit, cur bonus rex neque impiis, neque avaris mandare debeat magistratus. Impius loquitur impia, et sic multos corrumpit (conf. infra vs. 8. נָדִיב נְדִיבוֹת יָעָץ). Ita recte Grotius. Sed Doederlein in hoc commate sacerdotes describi existimat, qui falsis vaticiniis quaestus causa Jovae nomen praeverterent, coll. Cap. XXX, 10. XXVIII, 13. Vogelius: „De stulto

publice adſeri poterit, ſtulta eſſe, quae adſerit. Ad hunc modum etiam ſequentia explicanda ſunt." Eadem Dathii videtur ſententia fuiſſe, qui vertit: *agnoſcetur hominis profani profanitas*, et quae ſequuntur: et in nota ſubjecta verba activa hujus et ſequentis verſus *rei cognitionem* indicare monet (Glassii *Philol. S.* Can. XVII. de Verbo p. 225.), explicare enim illa verſum praecedentem. וְלִבּוֹ יַעֲשֶׂה אָוֶן *Et cor ejus machinatur iniquitatem.* יַעֲשֶׂה *machinatur*, ut admittat impietatem; nihil aliud cogitat, quam de injuria inferenda. Nulla religio eum ab injuſtis factis prohibet. לַעֲשׂוֹת חֹנֶף וּלְדַבֵּר אֶל־יְהוָה תּוֹעָה *Exercendo hypocriſin, de Jova errorem loquendo.* תּוֹעָה recte explicant *verba erronea*, a veritate aliena, ſive potius, quae ſeducunt, putantes ſcilicet, Dei providentiam ſeſe ad haec inferiora non extendere. Pro אֶל quidam codd. legunt עַל, quod praefert Lowthus. Sed אֶל etiam ſaepe eadem notione, qua עַל pollet, *de*, occurrere, notum eſt. Senſus eſt, profanos iſtos homines aliorum fidem in Deum, ejusque providentiam, labefactare, piosque ſolatio ex illa percipiendo privare.

7. כֵּלַי כֵּלָיו *Arma avari* Kimchius bene exponit conditiones malas, quibus avarus circumvenit ſimplices et pauperes. Ceterum obſerva paronomaſiam כֵּלַי inter et כֵּלָיו. הוּא זִמּוֹת יָעָץ *Ille ſcelera conſulit.* Invenit commenta vafra. לְחַבֵּל עֲנָוִים *Ad perdendum manſuetos.* Pro עֲנָוִים *manſuetis*, Maſoretbae עֲנִיִּים, id eſt, *pauperes*, legi jubent. Senſus non multo differt, nam עָנִי *pauper*, et עָנָו *manſuetus*, atque אֶבְיוֹן *egenus*, ſaepe alternantur in libris Hebraeis. וּבְדַבֵּר אֶבְיוֹן מִשְׁפָּט *Idque in loquendo*, ſive, quamvis egenus loquatur jus, quamvis egeni cauſſa ſit juſta.

8. Grotius hunc verſum reddit: *Princeps erit, qui generoſa cogitabit, et in generoſis actionibus perſtabit.* Eſt argumentum, inquit, ἐξ ἐτυμολογίας, nam נָדִיב *princeps*,

ceps, a generositate nomen habet. Rectius forsan vertitur: *at ingenuus ingenue consulet;* manifesta enim oppositio est inter *avaros injustosque*, de quibus in superioribus, et inter *ingenuos* et *beneficos*, magistratus intellige. וְהוּא עַל־נְדִיבוֹת יָקוּם *Perstabit in generositate*, animo ingenuo, nulla re ab ingenue sentiendi agendique ratione avocari poterit. Alii vertunt: *egregie facta defendent*. Sed nostra interpretatio confirmatur simili verbi קוּם usu apud Arabes, qui يقوم على شي *super aliqua re perstitit* usurpant de eo, qui rei alicui intentus est, eamque maxima cura urget.

CAP. XXXII. 1. *En! juste regnabit rex, et principes ex aequo imperabunt.*

2. *Quisque eorum veluti protectio erit adversus ventum, confugium adversus imbrem. Ut rivi aquarum in loco arido, ut umbra rupis praealtae in terra siticulosa.*

3. *Non amplius illitos habebunt oculos illi qui videre debent, et aures praebebunt, qui audire debent.*

4. *Praecipites animo et judicio sapient, atque balborum lingua expedite proba proferet.*

5. *Socors non amplius dicetur vir egregius, nec tenax vocabitur liberalis.*

6. *Nam socors inutilia profert, et animo mala machinatur, ad stabiliendam profanitatem, et ad errores de Deo disseminandos, ad praeripiendum esurienti cibum, et ad privandum potu sitientem.*

7. *Avari instrumenta mala, scelerata consilia init, quomodo probos mendaciis circumveniat, et ubi justa pauperum est caussa.*

8. *At ingenuus ingenue consulit, et constans animi integritatem servat.*

CARMEN VICESIMUM SEPTIMUM.

Cap. XXXII. vs. 9 — 20.

ARGUMENTUM.

Priore carminis parte (vs. 9 — 14.) praedicitur urbium Judaeae et totius terrae vastatio. Sed posteriore parte (vs. 15 — 20.) vates, uti fere solet, promissionem addit, de hostium interitu, deque re publica in statum novum et meliorem, quam antea, restituenda.

Utrum vates in hoc carmine de Senacheribi irruptione, an de destructione extrema, a Nebucadnesare terrae illata, loquatur, interpretes dissentiunt: nec ego certi quidquam de tempore, quo hoc carmen editum sit, definiverim, quum certis temporis indiciis hic omnino destituamur.

---

9. נָשִׁים שַׁאֲנַנּוֹת *Mulieres trunquillae*, quas hic alloquitur vates, non proprias esse intelligendas, quod post Grotium et placuit Doederlinio, sed figuratas, nempe *urbes*, quae non solum בְּתוּלוֹת et בָּנוֹת, sed et נָשִׁים dicuntur, Esech. XVI, 41., totius orationis tenor videtur arguere. Etenim propheta nihil dicit, quod ad mulieres in specie pertineat, ut Cap. III, 16., ubi earum luxum et mollitiem reprehendit. Recte igitur Kimchius:

„*Mu-*

„*Mulieres* juxta Thargum *provinciae*, et ita *filiae* redditur *urbes:* alloquitur civitates Judaeae, quae arbitrabantur se futuras tranquillas et tutas.“ Et alius ex Hebraeis: „Per *mulieres* intelligit civitates, et per *filias* loca minora, ut sunt castella et villae.“ שַׁאֲנַנּוֹת *tranquillae*, i. e. divites, luxuriantes, urbes et vici Judaeae prospere, hilariter ac secure ad omnem copiam et abundantiam pasti.

10. יָמִים עַל־שָׁנָה תִּרְגַּזְנָה *Dies super annum commovebimini.* Per יָמִים עַל־שָׁנָה plures interpretes *biennium* intelligendum autumant, Kimchium secuti, qui עַל pro עִם positum, ut Exod. XXXV, 22., et יָמִים *annum* hic notare observans, ut Exod. XIII, 10., Levit. XXV, 29., phrasin nostram interpretatur, *annum post annum*, i. e. biennium trepidabitis etc. Iudicari igitur putat non *tempus*, quo calamitas illa afflictura sit Judaeos, sed *quamdiu* duratura illa sit. Mihi tamen יָמִים עַל־שָׁנָה optime verti videtur: *post plures dies ultra annum*, i. e. brevi, trepidabitis et commovebimini. Idem tempus definiendi modus, qualis *triennium et dimidium*, pro tempore longiore; vid. Eichhornii *Commentar. in Apocalyps.* Tom. II. p. 60. כִּי כָּלָה בָצִיר אֹסֶף בְּלִי יָבוֹא *Quia defecit vindemia, collectio fructuum non venit.* Terra Judaica per hostium vastationem frustrabitur spem communem incolarum ejus, qui fructibus ejus uberibus et optimi generis non ad necessitatem solum, verum etiam ad delicias fruebantur. Vox אֹסֶף h. l. notat *collectionem* et *comparationem fructuum* tempore messis, quam Graeci vocant συλλογήν, sive συγκομιδὴν τῶν καρπῶν, et sumitur hac significatione ἐλλειπτικῶς pro *collectione* sive *comportatione fructuum* Mich. VII, 1. perinde ac אָסִיף Exod. XXIII, 16. Utraque autem non tam respicit ad *messem vernam*, *hordei*, *tritici*, *frumenti*, quam ad *aestivam* sive *autumnalem*, *ficuum*,

clari nominis interpretes, ut Caſtalio, Doederlein, Dathius, qui receptae lectioni hoc praeferunt, ut hic exeat ſenſus, *fugient nec gladius eos urgebit;* apte ſane ad id quod ſequitur: בַּחוּרָיו לָמַס יִהְיוּ *juvenes ſui*, ſelecta manus ejus, *erunt in liquefactionem*, ſive *diſſolutionem*, deſtituti erunt animis, quemvis horrebunt folii ſtrepitum. Hieronymus vertit: *et juvenes ejus vectigales erunt*, quem ſenſum phraſis hebraea הָיָה לָמַס omnino admittit, vid. Gen. XLIX, 15. Deut. XX, 11.

9. סַלְעוֹ מִמָּגוֹר יַעֲבוֹר *Petram ſuam prae timore tranſibit*, i. e. tanto metu hoſtis perculſus erit, ut et ipſa munimenta, quae ipſi ſunt, tranſiturus ſit fugiens, quippe non auſurus prae metu ſe iis committere; *fugiet etiam ultra obſam*, ut Latinum proverbium habet. סֶלַע *Petra* hic notat *munimenta, arces*, in petris, ſi quae darentur, extrui ſolitas, quas ipſe infra XXXIII, 16. מְצָדוֹת סְלָעִים *arces petrarum* vocat. וְחַתּוּ מִנֵּס שָׂרָיו *Et pavebunt principes ejus a ſigno*, id eſt, ubicunque in ſpecula aliqua vexillum videbunt (qualium mentio ſupra XXX, 17.), putabunt imminere ſibi hoſtium (Judaeorum) agmina. „Nulla fere imago praecipiti fugae exercitus conſternati accommodatior. Gregarii palantur; rex ita feſtinat, ut munita loca, quo ſe recipere poſſit, praetervolet.“ Doederlein. נְאֻם יְהוָה *Effatum Jovae*. Quae adhuc audiſtis nemo dubitet quin futura ſint; certus ſermo eſt, et fidelis Jova, qui perpetuis ſacrificiis in templo Hieroſolymitano colitur. Id enim *habere focum et furnum* ſignificat.

CAP. XXXI. 1. *Vae his, qui Aegyptum auxilii petendi cauſa abeunt, equis confidunt, fretique curruum numero et equitatus virtute, numen Iſraelis non reſpiciunt, nec Jovam conſulunt.*

2. Ve-

2. *Verum is ſapiens eſt. Malum inducet, dicta ſua non mutabit, pugnabit adverſus populum iſtum improbum, et adverſus maleficorum auxilium.*

3. *Aegyptii autem homines ſunt, non dii, eorumque equi caro, nec ſpiritus. Simulac Jova manum extenderit, irruet auxiliator et cadet adjutus, ſimulque omnes conficientur.*

4. *Quippe Jova ita ad me fatus eſt: quemadmodum ſtridet leo et juvenis leo ſuper praedam ſuam, ut ſi adverſus eum convocetur coetus paſtorum, a clamore eorum non commoveatur, neque propter eorum multitudinem ſe ſubmittat, ſic Jova, agminum Deus, deſcendet ad pugnandum pro monte Sione et pro colle ejus.*

5. *Ut aves pullos, ſic Jova, agminum Deus, proteget Hieroſolyma, atque ita proteget, ut eam eripiat, liberet, atque omne periculum evadere jubeat.*

6. *Redite ad eum, a quo tantopere deſcitum eſt, Iſraelitae!*

7. *Tum vero quisque abiiciet idola ſua argentea et aurea, quae manus veſtrae ſceleſtae fabricarunt.*

8. *Cadetque Aſſyrius gladio non-hominis, enſe non-viri; terga vertet, haud obverſante gladio; juvenes ejus colliqueſcent.*

9. *Timore pulſus arcem praeteribit, duces conſpecto vexillo conſternabuntur. Haec Jova dicit, qui ignem ſuum Sione focumque Hieroſolymis habet.*

CAP.

CARMEN VICESIMUM SEXTUM.

Cap. XXXII. vs. 1—8.

ARGUMENTUM.

Haec pericopa pars videtur carminis majoris, in quo Hiskiae regis regimen laudatur, morum mutatione et justitiae studio insigniendum. A Doederlinio, Dathio et Henslero haec pericopa conjungitur cum carmine superiore et proximo; sed qua ratione haec tria inter se cohaereant, nos quidem non satis perspectum habemus. Ut ex adverso nulla necessitas est, hoc Caput, auctore Koppio, in tria Carmina dispescendi, quorum primum, quinque versus priores comprehendens, contineat seculi aurei, Messia adventante descriptionem; secundum vero sit (vs. 6. 7. 8.) longioris, alio plane tempore enuntiati, fragmentum; tertium denique reipublicae Judaicae interitum praenunciet.

---

1. וְלְשָׂרִים לְמִשְׁפָּט יָשֹׂרוּ *Et, quantum ad principes*, pro, *principes*, manente *Nominativi* potestate, cujus constructionis exempla Glassius dabit *Philolog. S.* pag. 594. ed. Dath. Noldius *Concordantt. Partic. Hebrr.* p. 463. Storrius *Observatt. ad Analog. et Syntax. Hebr. pertinentt.* p. 289. Simillime *Lam* Arabum ante *Nominativum* redundat, vid. Schudtensium ad

ad Job. XVI, 21. et Lettium in *Cantic. Deborae*, p. 85. Qualis rex est, tales esse solent principes. Martialis *Epigr.* IX, 81.:

Nempe suos (haec est aulae natura potentis),
Sed domini mores Caesarianus habet.

Theuderichus Gothus: *Principis propositum facit aut negligere judices, aut amare virtutes.*

2. וְהָיָה אִישׁ *Et est vir*, id est, quisque illorum procerum. Rex, inquit, ille, et unusquisque amicorum suorum, est omnium afflictorum refugium, ad quem afflicti fugient, haud secus quam homines; qui tempore magnorum ventorum et imbrium ad tuta latibula fugiunt; tam gratus hominibus, quam gratus esse solet locus, in quo abducunt sese homines ad injuriam venti vehementis vitandam. כְּפַלְגֵי מַיִם בְּצִיוֹן *Sicut aquarum rivi in arido loco*, scil. facientibus iter. Virgilius, Ecl. V, 47.:

— — quale per aestum
Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.

כְּצֵל סֶלַע־כָּבֵד בְּאֶרֶץ עֲיֵפָה *Sicut umbra petrae ingentis in terra siticulosa*, deserta, arboribus vacua.

3. וְלֹא תִשְׁעֶינָה עֵינֵי רֹאִים *Nec oblinentur oculi videntium.* Si verbum תִשְׁעֶינָה referas ad radicem שָׁעָה, significatione *respiciendi*, neutiquam sensus commodus exibit, et ad alterum membrum aptus. Hinc varii varias expediendi rationes excogitarunt. Clericus, cui assentitur Lowthius, prioris membri sensum negantem aiente mutat, hoc modo: *illum respicient, etc.* ut pro לֹא תִשְׁעֶינָה legatur לוֹ תִשְׁעֶינָה. Sed quum nullus codex, nemoque veterum conjecturam hanc confirmet, vix probandam eam censuerim. Michaelis, quem Dathius sequitur, aliis punctis subjectis legit תְּשָׁעֶינָה a שָׁעַע, *illinere, calce obducere*, in lingua Chaldaica et Syriaca fre-

frequenter obvium. Sed Kocherus, nullum plane vitium textui inesse existimans, verbum שָׁעָה hic interpretandum censet: *laxius apertis* et tanquam *majoribus oculis aspectare*, quod admirantibus, rei adstupentibus, aut opem anxie *circumspectantibus* evenire solet, quam significationem linguae Arabicae ope firmius adstruere tentavit. Nos tamen dubitamus, an: *nec anxie circumspiciant oculi videntium*, satis conveniat cum altero membro. Optimam sententiam videtur dixisse Kimchius, שָׁעָה hoc loco significatione convenire cum שָׁעַע, quod supra VI, 10. occurrit. Apud Syros certe et ܫܥܐ (quod tamen in conjugatione Aphel tantummodo occurrit), et ܫܥܐ, utrumque *illinendi* notione sumitur. Similiter הָמַם et הָמָה, גָּלַל et כָּלָה, רָבַב et רָבָה, et plura alia hujusmodi Verba significationibus conveniunt. Pro שֹׁמְעִים quidam codd. legunt חֵרְשִׁים *surdi*, ex conjectura. Quod integri versus sensum attinet, rectum a Grotio visum puto, qui prius illud: *non caligabunt oculi videntium*, interpretatur: non erunt, qui se prophetas dicant falsa visa adferentes (nam רֹאֶה saepe pro *prophetis* dici, notum est, e. c. 1 Sam. IX, 9. 11. 1 Chron. IX, 22. Jes. XXX, 10.), et alterum, *et aures audientium diligenter auscultabunt*, veris prophetis praebebitur audientia. Aliis forsan praeplacet Vogelii sententia: „*Videntes* et *audientes* iidem sunt, quos Cap. XXIX, 18. *coecos* et *surdos* appellaverat. Scilicet, qui ad omnes aliorum persecutiones quasi coecos et surdos agere coacti erant. Videntes et audientes jam nominat, quoniam nunc se adversariis suis audacter possent opponere."

4. וּלְבַב נִמְהָרִים יָבִין לָדָעַת *Et cor festinorum considerabit ad cogitandum*. נִמְהָרִים hic sunt *praecipites in judicando et agendo*, insipientes, stolidi. Hi sapiunt et

et ad meliora redeunt. וּלְשׁוֹן עִלְּגִים תְּמַהֵר לְדַבֵּר צָחוֹת Et lingua balbutientium expedita erit ad diserte loquendum. Hi, quorum lingua balba fuit in eloquiis divinis, posthac diserte et eleganter loquentur de lege Jovae. Verbum מָהַר hic ea significatione sumi potest, qua haud raro occurrit apud Aramaeos, *peritus, excellens est*, vide Malach. III, 5. Proverb. XXII, 29. et confer Syriacum ܡܗܝܪܐ, Castelli *Lexic. Heptagl.* p. 1607. Assemani *Bibl. Orient.* T. I. p. 181. צָחוֹת *Nitida*, i. e. facunda verba, q. d. prompte, expedite et facunde loquuntur proba, legibus Jovae convenientia.

5. לֹא יִקָּרֵא עוֹד לְנָבָל נָדִיב *Non vocabitur amplius stultus ingenuus.* Grotius נָדִיב, εὐεργέτην, *beneficum*, honestam appellationem viri principis esse putat; *stultos* vero, sive insipientes vocari putat, qui Dei providentiam non credunt. Sed membrorum parallelismus docet, נָדִיב propria significatione *ingenui* sumendum esse, atque נָבָל *stultum* esse hominem divitem et illiberalem, qui de bonis suis aliis nihil largitur, et, si quippiam largitur, facit id maligno animo. Sub tyrannis mutantur vocabula; nomina vitiorum dantur virtutibus, et judicia non sunt libera; non ita sub bono principe, et ubi res publica bene ordinata fuerit. וּלְכִילַי לֹא יֵאָמֵר שׁוֹעַ *Et avarus non dicetur munificus.* Idem quod in priori membro dictum fuit. „Ahasi tempore, ut Romae Sallustii, vera rerum nomina amissa erant. Melius aevum omnia verae dignitati restituit.“ Doederlein.

6. Caussas reddit, cur bonus rex neque impiis, neque avaris mandare debeat magistratus. Impius loquitur impia, et sic multos corrumpit (conf. infra vs. 8. נָדִיב נְדִיבוֹת יָעָץ). Ita recte Grotius. Sed Doederlein in hoc commate sacerdotes describi existimat, qui falsis vaticiniis quaestus causa Jovae nomen praeverterent, coll. Cap. XXX, 10. XXVIII, 13. Vogelius: „De stulto

publice adseri poterit, stulta esse, quae adserit. Ad hunc modum etiam sequentia explicanda sunt." Eadem Dathii videtur sententia fuisse, qui vertit: *agnoscetur hominis profani profanitas*, et quae sequuntur: et in nata subjecta verba activa hujus et sequentis versus *rei cognitionem* indicare monet (Glassii *Philol. S.* Can. XVII. de Verbo p. 225.), explicare enim illa versum praecedentem. וְלִבּוֹ יַעֲשֶׂה אָוֶן *Et cor ejus machinatur iniquitatem.* יַעֲשֶׂה *machinatur*, ut admittat impietatem; nihil aliud cogitat, quam de injuria inferenda. Nulla religio eum ab injustis factis prohibet. לַעֲשׂוֹת חֹנֶף וּלְדַבֵּר אֶל־יְהוָה תּוֹעָה *Exercendo hypocrisin, de Jova errorem loquendo.* תּוֹעָה recte explicant *verba erronea*, a veritate aliena, sive potius, quae seducunt, putantes scilicet, Dei providentiam sese ad haec inferiora non extendere. Pro אֶל quidam codd. legunt עַל, quod praefert Lowthus. Sed אֶל etiam saepe eadem notione, qua עַל pollet, *de*, occurrere, notum est. Sensus est, profanos istos homines aliorum fidem in Deum, ejusque providentiam, labefactare, piosque solatio ex illa percipiendo privare.

7. כֵּלַי כֵּלָי *Arma avari* Kimchius bene exponit conditiones malas, quibus avarus circumvenit simplices et pauperes. Ceterum observa paronomasiam כֵּלַי inter et כֵּלָיו. הוּא זִמּוֹת יָעָץ *Ille scelera consulit.* Invenit commenta vafra. לְחַבֵּל עֲנָוִים *Ad perdendum mansuetos.* Pro עֲנָוִים *mansuetis*, Masorethae עֲנִיִּים, id est, *pauperes*, legi jubent. Sensus non multo differt, nam עָנִי *pauper*, et עָנָו *mansuetus*, atque אֶבְיוֹן *egenus*, saepe alternantur in libris Hebraeis. וּבְדַבֵּר אֶבְיוֹן מִשְׁפָּט *Idque in loquendo*, sive, quamvis egenus loquatur jus, quamvis egeni caussa sit justa.

8. Grotius hunc versum reddit: *Princeps erit, qui generosa cogitabit; et in generosis actionibus perstabit.* Est argumentum, inquit, ἐξ ἐτυμολογίας, nam נָדִיב *princeps*,

ceps, a *generositate* nomen habet. Rectius forsan vertitur: *at ingenuus ingenue consulet;* manifesta enim oppositio est inter *avaros injustosque*, de quibus in superioribus, et inter *ingenuos* et *beneficos*, magistratus intellige. וְהוּא עַל־נְדִיבוֹת יָקוּם *Perstabit in generositate*, animo ingenuo, nulla re ab ingenue sentiendi agendique ratione avocari poterit. Alii vertunt: *egregie facta defendent.* Sed nostra interpretatio confirmatur simili verbi קוּם usu apud Arabes, qui يقوم على شي *super aliqua re perstitit* usurpant de eo, qui rei alicui intentus est, eamque maxima cura urget.

CAP. XXXII. 1. *En! juste regnabit rex, et principes ex aequo imperabunt.*

2. *Quisque eorum veluti protectio erit adversus ventum, confugium adversus imbrem. Ut rivi aquarum in loco arido, ut umbra rupis praealtae in terra siticulosa.*

3. *Non amplius illitos habebunt oculos illi qui videre debent, et aures praebebunt, qui audire debent.*

4. *Praecipites animo et judicio sapient, atque balborum lingua expedite proba proferet.*

5. *Socors non amplius dicetur vir egregius, nec tenax vocabitur liberalis.*

6. *Nam socors inutilia profert, et animo mala machinatur, ad stabiliendam profanitatem, et ad errores de Deo disseminandos, ad praeripiendum esurienti cibum, et ad privandum potu sitientem.*

7. *Avari instrumenta mala, scelerata consilia init, quomodo probos mendaciis circumveniat, et ubi justa pauperum est caussa.*

8. *At ingenuus ingenue consulit, et constans animi integritatem servat.*

CARMEN VICESIMUM SEPTIMUM.

Cap. XXXII. vs. 9 — 20.

A R G U M E N T U M.

Priore carminis parte (vs. 9 — 14.) praedicitur urbium Judaeae et totius terrae vastatio. Sed posteriore parte (vs. 15 — 20.) vates, uti fere solet, promissionem addit, de hostium interitu, deque re publica in statum novum et meliorem, quam antea, restituenda.

Utrum vates in hoc carmine de Senacheribi irruptione, an de destructione extrema, a Nebucadnezare terrae illata, loquatur, interpretes dissentiunt: nec ego certi quidquam de tempore, quo hoc carmen editum sit, definiverim, quum certis temporis indiciis hic omnino destituamur.

---

9. נָשִׁים שַׁאֲנַנּוֹת *Mulieres tranquillae*, quas hic alloquitur vates, non proprias esse intelligendas, quod post Grotium et placuit Doederlinio, sed figuratas, nempe *urbes*, quae non solum בְּתוּלוֹת et בָּנוֹת, sed et נָשִׁים dicuntur, Ezech. XVI, 41., totius orationis tenor videtur arguere. Etenim propheta nihil dicit, quod ad mulieres in specie pertineat, ut Cap. III, 16., ubi earum luxum et mollitiem reprehendit. Recte igitur Kimchius:

„Mu-

„*Mulieres* juxta Thargum *provinciae*, et ita *filiae* redditur *urbes:* alloquitur civitates Judaeae, quae arbitrabantur se futuras tranquillas et tutas.“ Et alius ex Hebraeis: „Per *mulieres* intelligit civitates, et per *filias* loca minora, ut sunt castella et villae.“ שַׁאֲנַנּוֹת *tranquillae*, i. e. divites, luxuriantes, urbes et vici Judaeae prospere, hilariter ac secure ad omnem copiam et abundantiam pasti.

10. יָמִים עַל־שָׁנָה תִּרְגַּזְנָה *Dies super annum commovebimini.* Per יָמִים עַל־שָׁנָה plures interpretes *biennium* intelligendum autumant, Kimchium secuti, qui עַל pro עִם positum, ut Exod. XXXV, 22., et יָמִים *annum* hic notare observans, ut Exod. XIII, 10., Levit. XXV, 29., phrasin nostram interpretatur, *annum post annum*, i. e. biennium trepidabitis etc. Iudicari igitur putat non *tempus*, quo calamitas illa afflictura sit Judaeos, sed *quamdiu* duratura illa sit. Mihi tamen יָמִים עַל־שָׁנָה optime verti videtur: *post plures dies ultra annum*, i. e. brevi, trepidabitis et commovebimini. Idem tempus definiendi modus, qualis *triennium et dimidium*, pro tempore longiore; vid. Eichhornii *Commentar. in Apocalyps.* Tom. II. p. 60. כִּי כָּלָה בָצִיר אֹסֶף בְּלִי יָבוֹא *Quia defecit vindemia, collectio fructuum non venit.* Terra Judaica per hostium vastationem frustrabitur spem communem incolarum ejus, qui fructibus ejus uberibus et optimi generis non ad necessitatem solum, verum etiam ad delicias fruebantur. Vox אֹסֶף h. l. notat *collectionem* et *comparationem fructuum* tempore messis, quam Graeci vocant συλλογὴν, sive συγκομιδὴν τῶν καρπῶν, et sumitur hac significatione ἐλλειπτικῶς pro *collectione* sive *comportatione fructuum* Mich. VII, 1. perinde ac אָסִיף Exod. XXIII, 16. Utraque autem non tam respicit ad *messem vernam*, *hordei*, *tritici*, *frumenti*, quam ad *aestivam* sive *autumnalem*, *ficuum*,

uvarum, olivarum, quae dicebatur collectio קַיִץ, *aestatis*, sive *autumni*.

11. חִרְדוּ שַׁאֲנַנּוֹת *Trepidate, tranquillae.* Exspectares חֲרוֹדְנָה, ut proxime antea vs. 9. שַׁאֲנַנּוֹת, קֹמְנָה; sed jungit vates *terminationem masculini* voci *generis feminei*. Ratio petenda ex eo, quod ad vs. 9. monuimus, prophetam per *mulieres tranquillas* intelligere urbes Judaeae et earum incolas. רְגָזָה בֹּטְחוֹת *Commovemini securae.* Vox רְגָזָה, ut et sequentes חֲגוֹרָה, עֹרָה, פְּשֹׁטָה, cujus formae sint, disceptant Grammatici, *Imperativi* an *Infinitivi*. Si posterius obtinet; omnino statuendum est, *Infinitivi* formam hic pro *Imperativo* usurpari, ut שָׁמוֹעַ Deut. I, 16. valet *audite*; XXXI, 26. לָקֹחַ *sumite*, cf. Jos. I, 13. Vid. Schroederi *Syntax. Verbor.* Reg. LIV. c. ubi locus noster sic redditur: *trepidate, tranquillae, contremiscite securae, spolitae*, scil. corpus, et *nudate*, *et accingite* saccum *super lumbos*. Conf. Storrii *Observatt. ad Analog. et Synt. Hebr.* p. 167. Sic רְגָזָה erit forma פְּקֹד *Infinitivi* cum ה paragogico, et פְּשֹׁטָה forma פְּקֹד item cum ה paragogico; conf. Schroederi *Institt. Ling. Hebr.* Reg. CLXV. a. α. א. 1. Aliis רְגָזָה est *Imperativus*, contracte scriptus pro רְגַזְנָה, elisa littera נ, Kimchio auctore, qui triplicem dari Imperativi formam dicit; unam quidem perfectam, imperfectas duas, in quarum altera elidatur ה *finale*, altera ן, ut hoc in loco רְגָזָה. Sed nulla hujus generis exempla producit. פְּשֹׁטָה וְעֹרָה וַחֲגוֹרָה עַל חֲלָצַיִם *Exuite ac nudate vos, et cingite saccum ad lumbos.* Cum urbes Judaicas semel intulisset sub imagine mulierum, recte persistit in similitudine incepta, proque simplici: *lugete vos incolae urbium Judaeae*, ornate dicit, laxis fluentibusque, quas luxus amat, exutis vestibus induendas illis esse vestes sordidas et arctas in gravissimi luctus signum. Verbum עָרָה Coc-

Coccejus ad עור *excitari* refert, *pergit*, addens, *trepidationem denuntiare*, *et quidem ut ſubitam*, *tanquam ſi in nocte ſuperveniat malum*, *jubet veſtes ponere*, *et vigilare vel excitari*, *ut exſiliendum ſit e lecto*, *et non quidem veſtes induendae*, *ſed vix lumbi tegendi propter fugam.* Sed totus contextus manifeſte docet, vocem עֹרָה, quamquam formata ſit ad analogiam verbi עור, adſciſcere ſignificationem affinis עָרָה *nudare*. Poſt חֲגוֹרָה ſubaudiendum eſt שַׂק, conf. ſupra XX, 2. Jerem. XLVIII, 37. Amos VIII, 10. quod tamen omiſſum eſt, ut hic, Joel I, 13. חִגְרוּ וְסִפְדוּ הַכֹּהֲנִים. Unde non eſt neceſſe, vocem illam textui inſerere, ut Lowthus faciendum putat.

12. Verba עַל־שָׁדַיִם סֹפְדִים ad verbum ſonant: *plangentes ſuper*, ſive, *ob ubera.* Sed hic difficultas eſt in eo, quod סֹפְדִים terminatione *maſculina* uſurpatur de *mulieribus*. Hinc Doederlein pro שָׁדַיִם legendum putat שָׂדִים *agros*. Lowthus, paullo audacior, praeter hanc mutationem, et ספדו pro סֹפְדִים reponendum jubet, Alexandrini, Vulgati, Syrique autoritate fultus, qui in *Imperativo* vertunt. Verum ſi pro שָׁדַיִם legatur שָׂדִים, vocem סֹפְדִים tentare, nulla neceſſitas eſt; et quod antiqui illi interpretes in Imperativo verterunt, in eo haud dubie ſenſum magis et ſermonis elegantiam reſpexerunt, quam ſingulorum verborum formam. Sed et levior illa mutatio vocis שָׁדַיִם in שָׂדִים nec codicis, nec interpretis alicujus veteris teſtimonio confirmatur, quod poſterius quidem mirari poſſis, quum שדים ſine punctis vocalibus legenti, facilius שָׂדִים, bonum haud dubie hic ſenſum reddens, in mentem venire potuiſſet, quam שָׁדַיִם. Retinendum igitur omnino quod in omnibus, adhuc collatis, codicibus legitur: עַל שָׁדַיִם סֹפְדִים, ubi in eo, quod סֹפְדִים de *mulieribus* uſurpetur, nullam invenies difficultatem, ſi cogites, terminationem maſculinam, ut in

ipso נָשִׁים, *mulierum*, nomine, sic alibi occurrere, cum non *mulier*, sed *homo*, non *sexus*, sed *numerus*, spectatur; conf. et not. ad חִרְדוּ pro חֲרָדָה vs. proxime anteced. Jam vero quod ad verborum עַל־שָׁדַיִם סֹפְדִים sensum attinet, magna interpretum discrepantia est. Ludov. de Dieu vertit: *propter ubera plangentia*, ut שָׁדַיִם סֹפְדִים idem sit, quod apud Hoseam IX, 14. שָׁדַיִם צֹמְקִים, *ubera arentia*. Quod plane est coactum. *Ubera*, sive rectius, *pectora*, dici possunt *plangi*, *feriri* (quae vera vocis notatio est antiqui usus), sed non, *plangere*. Coccejus: *tundunt ubera*; quo etiam spectat annotatio Grotii: ob *penuriam lactis mulierum*. *Seneca in Troadibus*:

> — — *Tibi maternis ubera palmis*
> *Laniata jacent.*

Consentit Jarchius: סופדים יטפחו על לבם Plangentes, i. e. *cor suum*, sive, *pectora sua*, *feriunt*. Verum recte huic interpretationi obiicit Vitringa, particulam עַל constructam cum סָפַד ubique notare *caussam luctus*, veluti Jerem. IV, 8. עַל־זאת *propter hoc accingimini saccis*, סִפְדוּ *plangite et eiulate*. Mich. I, 8. עַל־זאת אֶסְפְּדָה, *propter hoc plangam et ejulabo*. Zach. XII, 10. וְסָפְדוּ עָלָיו כְּמִסְפֵּד עַל־הַיָּחִיד, *et plangent propter ipsum*, *ut planctus est propter unigenitum*. Accedit, hoc nostro loco particulam עַל bis repeti significatione: *ob*, *propter*. Dicuntur praeterea *ubera* non *tundi*, sed *laniari*, *lacerari*, vid. e. c. Luc. XXIII, 48. Alii per *ubera* hic *synecdochice* liberos, et quidem *filios* designari putant, quos bello interemtos plangendo lugerent matres, de quibus sermo continuatur. Sic *Sanctius*, adductis locis Genes. XLIX, 25. et Hos. IX, 14. Alii *luctum propter ubera* exponunt de *caritate annonae*, qua fieret, ut ubera matrum marcescerent. Kimchius: על שדים שהיו צומקים מהרעב, *propter ubera*, scil. *mar-*

marcida ex fame. Dathius *propter agros* vertit; putat scilicet vocem שָׁדַיִם hic eadem significatione occurrere, qua οὖθαρ similiter *uber*, *mammam* significans, occurrit apud Homerum Iliad. IX, 141., ubi οὖθαρ ἀρούρης, est *ubertas telluris*, ager feracitate insignis, ἡ εὔκαρπος γῆ. Quod tam bene convenit membro sequenti, ut ego huic ingeniosae interpretationi accedere non dubitem. In eorum tamen gratiam, quibus forsan interpretatio illa non satis certa videtur, quod שָׁדַיִם in libris Hebraicis, nobis superstitibus, hac notione amplius non occurrit, Vitringae appono sententiam, qui per *ubera* hic intelligit matresfamilias lactantes tenellos suos, ab uberibus pendentes, quarum hoc tempore calamitatis communis esset luctuosissima conditio. Confert effatum Jesu Matth. XXIV, 19., ubi extremam Hierosolymorum calamitatem describit: *Vae autem gravidis*, καὶ ταῖς θηλαζούσαις *et lactantibus*. Nec non Luc. XXIII, 29. *Nam ecce venient dies, quibus dicent, Beatae steriles, et uteri, quae non genuerunt*, καὶ μαστοὶ, οἳ οὐκ ἐθήλασαν, *et ubera, quae non lactaverunt.* Putat Vitringa, Jesum respexisse tum ad locum hunc nostrum, tum ad parallelum Hoseae IX, 14. *Da iis Jova! Quid vero dabis? Da iis uterum abortientem, et ubera arescentia.* Sen sus loci, inquit, nullum ejus tempore calamitatis beneficium majus moderaminis divinae severitatis dari posse, quam ut matresfamilias nullos gignerent et lactarent liberos.

13. עַל־אַדְמַת עַמִּי קוֹץ שָׁמִיר תַּעֲלֶה *Super terram populi mei spina, sentis ascendet.* Signum vastationis maximae, terraeque incolis suis, sive bello interemtis, sive in exilium abductis nudatae. Confer supra Cap. V, 6. VII, 23—25. ubi eadem res eadem imagine depicta invenitur. In verbis קוֹץ שָׁמִיר deest copula, ut saepe alias. In iis quae sequuntur, כִּי עַל־כָּל־בָּתֵּי מָשׂוֹשׂ קִרְיָה עַלִּיזָה quomodo vocula כִּי hic sit explicanda,

interpretes dissentiunt. Vulgarem significationem, *nam*, *quia*, retinens Ludovicus de Dieu, versum nostrum ita reddit: *super terram populi mei spina, sentis ascendet, quia propter omnes domos gaudii civitas exultabunda est.* Sensus secundum ipsum: *ferre diutius Deus non potest hujus civitatis luxum et petulantiam, omnes domus plenae sunt gaudio*, et quae sequuntur. Verum quum in toto hoc carmine vates vastationem terrae Judaicae non ut poenam ob crimina et scelera immissam sistat, sed deploret illam tantummodo et depingat; Ludovici de Dieu interpretationem orationis tenori non satis congruam existimo. Alii interpretes, ut Junius et Tremellius et Coccejus, כִּי nomen esse putant, a radice כָּוָה *adustionem* significans, qua significatione aderat supra III, 24. Ut *nomen* vocem nostram et accipit Michaelis, sed vertit illam *urticam*, ab eadem illa radice כָּוָה, quasi ab *urendo* dictam, unde ab Arabibus بنت النار, *filia ignis*, dicitur. Certe huic loco melius convenit nomen dumeti aut herbae invisae, in aedium pulcrarum ruinis luxuriantis, quam particula caussalis, quae omnino languidi quid habet. Notum insuper est, urticam in aedium ruderibus felicissime provenire, nec id modo apud nos, sed et in Oriente. Hasselquist pag. 525. 526. *Florae Aegyptiacae: Urtica Aegypti maxima, — locus: Aegypti rudera, mense Martio.* Quibus tamen non satis certum videtur, כִּי *urticam* notare, quum praeter etymologicam rationem nullum aliud argumentum pro illa significatione proferri possit; ii particulam כִּי et *gradationis* et *exaggerationis* usu in libris Hebraeis occurrere sciant, vid. supra V, 10. VII, 22. Addendus Joel I, 12. *Vitis exaruit et ficus languet,* כִּי *imo exaruit gaudium a filiis hominum.* בָּתֵּי־מָשׂוֹשׂ *Domus gaudii* haud dubie sunt villae amoenae procerum in agris aut suburbanis ad delicias captandas exstructae. Nam cum קִרְיָה עַלִּיזָה vocem מָשׂוֹשׂ con-

conjungere vetant Maforethae, dum eam punctarunt notis *ftatus abfoluti*, eique fuperpofuerunt *accentum diftinctivum*. Non funt itaque vertenda verba: *fuper omnes domos gaudii civitatis exultabundae;* neque etiam, *fuper omnes domos gaudii in urbe exultabunda;* fed: *fuper omnes domos voluptarias, civitatem exultabundam!* per modum gradationis: *fuper domos gaudii*, et vero fuper *ipfam* quoque *civitatem exultabundam*, i. e. plenam luxu et laetitia, conf. fupra XXII, 2. XXIII, 2.

14. אַרְמוֹן נֻטָּשׁ *Palatium relictum eft;* palatia vacabunt. Vitringa, Coccejum fecutus, cui praeivit Chaldaeus, בֵּית מַקְדְּשָׁא hic ponens, intelligit fub אַרְמוֹן *templum Hierofolymitanum*, quod alias etiam nominibus בִּירָה, הֵיכָל, infignitur, veluti 1 Chron. XXIX, 1. Matth. XXIII, 38. coll. Pf. LXIX, 26. Ut fenfus fit: templum, olim tot facerdotibus, muneribus facris fungentibus plenum, totque hominum myriadibus frequentatum, nunc vacuum eft atque defertum. Hic tamen contextui convenientius videtur, אַרְמוֹן collective fumere, et *procerum palatia* intelligere. הֲמוֹן עִיר עֻזָּב *Multitudo urbis derelicta eft*, i. e. eft urbs multitudine hominum ftrepera et frequens, quem loquendi modum *hypallagen* vocare folent Grammatici, ut γέεννα τοῦ πυρός pro πῦρ τῆς γεέννης· שִׁכְבַת זֶרַע *concubitus feminis*, pro *femine concubitus;* νόμος δικαιοσύνης pro δικαιοσύνη τοῦ νόμου, et plura hujus generis. עֹפֶל וָבַחַן הָיָה בְעַד מְעָרוֹת מְשׂוֹשׂ פְּרָאִים מִרְעֵה עֲדָרִים *Collis et turris exploratoria erunt pro fpeluncis, gaudium onagrorum, pafcuum gregum.* Loca munitiffima urbis usque adeo erunt deferta, ut tanquam *antra* et *fpeluncae* folummodo inferviant praedatoribus vel peregrinatoribus, qui fe in iis occultent; vel ferarum aut gregum vagis ac tumultuariis incurfionibus expofita jacebunt. Hieronymus haec verba vertit: *tene-*

tenebrae et palpatio factae sunt super speluncas usque in aeternum, unde Grotius colligit, illum in suo codice legisse עֲרָפֶל וּבֹהַל. Sed in Commentario disertis verbis dicit Hieronymus: „pro *tenebris et palpatione* in Hebraico dicitur *Ophel* et *Been*, quas Hebraei duas turres in Jerusalem fuisse arbitrantur, excelsas atque firmissimas, quae his appellantur nominibus. Quarum prior interpretatur *tenebrae*, sive *nubilum*, quod usque ad nubes erigeret caput. Altera, *probamentum* et *firmitas*, sive, ut Symmachus vertit, *inquisitio*, eo quod in contemplando culmine ejus oculi fallerentur.“ Prioris tamen nominis interpretatio minus recte se habet. Nam עֹפֶל proprie notat *tumulum*, vid. Schroederi *Observatt. ad Origg. Hebrr.* p. 50., ubi origo variaeque vocis significationes enucleatae egregie sunt. Appellatus vero ita est *clivus orientalis* montis Zionis, muro proprio circumdatus et a Zione separatus ad meridiem templi (templum enim ad austrum partim Zionem respexit, partim hunc clivum), excurrens ad *murum* usque *templi* orientalem, unde Michae, Cap. IV, 8., est עֹפֶל בַּת־צִיּוֹן *Ophel filiae Zionis*, i. e. clivus Zionis, nam *filia Zion* est ipsa Zion. Mentio fit hujus clivi Nehem. III, 26. 27. 2 Chron. XXVII, 3. בֹּחַן fuisse *turrem* vel *speculam*, satis patet ex loco parallelo Cap. XXIII, 13. coll. cum Jerem. VI, 27., in quibus בָּחוֹן obtinet notionem *turris exploratoriae*. Sed quum in muro, et forsan etiam in palatiis regiis, plures fuerint *turres* (cf. Ps. XLVIII, 13.); quae hic intelligenda sit turris, haud facile quis definiverit. Veri tamen specie non caret Vitringae, aliorumque sententia, vatem fortasse hic respicere *turrim* seu *speculam* altam et prominentem palatii regii, quod fuit in *Ophel*, cujus exerta mentio fit Nehem. III, 25. *Turris illa insignis* [הַמִּגְדָּל] *prominens*, [הַיּוֹצֵא] *egrediens* (*prodiens*) *ex domo regia superiore*, *quae proxima est atrio* sive *aulae custodiae publicae* (conf.

Cle-

Clericum ad loc.). Mox rurſus vſ. 27. הַמִּגְדָּל הַגָּדֹל הַיֹּצֵא *turris magna illa prominens.* In ſenſum plane contrarium Michaelis in *Supplemm.* P. I. p. 168. verba noſtra vertit: *urbs quae olim fuerat, nunc erit clivus, et Nomadum nocturna manſio*, collato nimirum Arabum بحناءٌ *manſio Arabum campeſtrium.* בְּעַד poſitum hic eſſe pro ל *ſervili*, habere enim hanc dictionem ſignificationem litterarum ſervilium, et ita uſurpari pro מ Geneſ. XXVI, 8. bona eſt Kimchii obſervatio. עַד־עוֹלָם hic tantummodo *longum tempus* ſignificare, manifeſte patet ex eo, quod verſu proxime ſequenti *terminus ad quem* ſtatim additur. Ad verba מִרְעֵה עֲדָרִים Bochartus *Hieroz.* P. I. Lib. III. Cap. XVI. T. II. p. 220. edit. Lipſ. obſervat, pro עֲדָרִים h. l. forſan non incommode legi poſſe עֲרָדִים, *onagros, aſinos ſylveſtres*, coll. Job. XXXIX, 5. et Dan. V, 21., etſi ille nihil hic mutatum velit ob lectionis communis conſtantiam, et conſenſum antiquae verſionis Alexandrinae, quae hic habet βοσκήματα ποιμνίων, ſic enim legendum pro ποιμένων. Sequitur tamen hanc conjecturam Doederlein, vertitque *onagrorum delicias gregumque manſiones.* Verum nulla hic urget neceſſitas lectionem mutandi. *Paſcuum gregum* hic non accipitur de *paſcuo ſtabili*, ſed de vago et tumultuario, quomodo paſtores Arabes vagos ducentes ovium et caprarum greges eos promiſcue ſinunt recumbere et in locis quoque incultis herbida ſponte nata carpere; plane eodem ſenſu, quo ſupra Cap. VII, 25. poeta de praeſtantioribus montibus frugiferis ait, tempore deſolationis terrae fore *in miſſionem bovis et conculcationem parvae pecudis.*

15. Verba עַד־יֵעָרֶה עָלֵינוּ רוּחַ מִמָּרוֹם interpretatus eſt Kimchius: „*donec effundatur ſuper nos ſpiritus*, i. e. voluntas, *ab excelſo*; quaſi dicat, erit haec vaſtatio, donec voluerit Jova; nam *ſpiritus* hic eſt volun-

voluntas, *beneplacitum*, veluti Ezech. I, 12. אֶל אֲשֶׁר שָׁמָּה הָרוּחַ לָלֶכֶת *quocunque animus fuit eundi.*" Eadem significatione רוּחַ occurrere observat Esaj. XL, 13. Ezech. I, 20. Zach. VI, 8. Noldii *Concordantt. Particular. Annott. et Vindicc.* pag. 770. not. 355. Verum *spiritu ex alto*, sive Jovae, videtur potius secunda divini favoris aura Israelitas post tristia tempora adspirans, intelligenda. Aquila pro רוּחַ *ἀνάψυξις*, Chaldaeus רְוַח *respiratio* posuit. Verbum עָרָה in *Piel* proprie notat *nudare*, *denudare*, inde *effundere*, quia vasa *effusis liquidis* nudantur. Sic sumitur Genes. XXIV, 20. וַתְּעַר כַּדָּהּ, *et denudabat* Rebecca *situlam suam*, evacuabat, effundendo aquam. Eadem significatione verbum הֶעֱרָה occurrit infra C. LIII, 12. מִמָּרוֹם *Ex alto*, i. e. a Jova. Doederlein vertit: *donec res nostrae vento secundo reflorescant*, vocem יֵעָרֶה conferens cum Arabum عرى *virescere*, coll. Ps. XXXVII, 35. Verba וְהָיָה מִדְבָּר לַכַּרְמֶל וְכַרְמֶל לַיַּעַר יֵחָשֵׁב Kimchi ita interpretatur: „*et erit desertum in Carmelum*, id quod est desertum, erit Carmelus, qui est locus seminis, et agrorum proventus, et arborum fructiferarum; *et Carmelus in sylvam reputabitur*, prae multitudine arborum, quasi dicat, ascendent Israelitae ab uno felicitatis gradu ad alterum." Similiter Vatablus vocem יַעַר pro sylva pomifera, et horto amoenissimo, qui vel felicissimum agrum superet, positam putat. Quae interpretatio tamen non est ferenda; nam יַעַר *sylva* opposita *arvo* semper in deteriorem partem sumitur, et hic manifeste *τῷ* מִדְבָּר respondet. Sensus minime dubius esse potest legenti versum proximum, e quo patet, vatem hoc velle, deserti et arvi eandem fore conditionem, utrumque aeque frugiferum fore, quem et loci paralleli supra XXIX, 17. sensum esse vidimus. Membrum posterius, וְכַרְמֶל לַיַּעַר יֵחָשֵׁב, Ludovicus de Dieu sic vertit: *et arvum sylvae reputabitur*, „eadem phrasi," inquit, „ac sensu cum vs. 5. לֹא יִקָּרֵא עוֹד

עוֹד לְנָבָל נָדִיב, *non vocabitur amplius stulto ingenuus* וּלְכִילַי לֹא יֵאָמֵר שׁוֹעַ, *et avaro non dicetur liberalis*, id est, stultus non vocabitur amplius ingenuus, neque avarus dicetur liberalis: ita hoc loco, *et arvum sylvae reputabitur*, id est, sylva reputabitur arvum; ita ut לַיַּעַר subjectum enunciationis sit, כַּרְמֶל praedicatum; sitque idem, quod aliis verbis in priori membro dixit, *erit desertum in arvum.* Nec obstat, quod elegantior videatur futura fuisse oratio, si non repetivisset vocem כַּרְמֶל, sed et pro ea aliam substituisset; idem enim factum videmus infra vs. 17., ubi in posteriori membro repetitur הַצְּדָקָה, mutatur autem מַעֲשֵׂה in עֲבֹדַת, et שָׁלוֹם in הַשְׁקֵט, eodem plane in utroque membro sensu." De כַּרְמֶל, capiendo non pro nomine proprio montis, sed pro appellativo, *arvum* significante, vid. not. ad XXIX, 17.

16. In republica hoc modo in meliorem statum restituta, res tam sacrae, quam civiles, optime administrabuntur; id enim exprimunt מִשְׁפָּט et צְדָקָה. בַּמִּדְבָּר *In deserto*, in arvum frugiferum converso; vid. vs. praeced.

17. 18. Hinc inconcussa pax et omnimoda felicitas novam rempublicam beabunt.

19. Hunc versum alii proprie intelligunt, alii figurate de hostium interitu. 1) Illi interpretationem sic instituunt: וּבָרַד בְּרֶדֶת הַיָּעַר *grandinabit in descensu*, i. e. in imo, *sylvae*, i. e. quando grandinaverit, non cadet grando super civitatem, nec super sata, sed in sylvis, ne laedat ea; וּבַשִּׁפְלָה תִּשְׁפַּל הָעִיר *et in humilitate*, i. e. in valle, *desidebit civitas*, q. d. olim in locis editis et altioribus exstruere civitates solebant, quo difficilior ad eas aditus esset; in nova republica vero eam tutelam populo suo Jova praestabit, ut solitis munitionibus minime sit opus, et civitas tuto poterit confidere in valle.

Co-

Coacta, si quid video, interpretatio, nec sensus satis dignus. Praeferenda igitur omnino 2) altera interpretatio, qua per יַעַר, id est, *montes silvosos*, hostes Assyrii, perque *urbem humiliandam* Babylon urbs intelligitur. Cum antea de pace inconcussa, qua nova respublica fruitura sit, locutus esset, nunc veterem illius hostem plane deletum iri, subiicit. בָּרָד *grando poenae divinae* imago est, ut supra XXVIII, 2. 17. בְּרֶדֶת הַיָּעַר *In descensu*, i. e. cadente, ruente (sic יָרַד occurrit Deut. XXVIII, 52.) sylva. Cum posteriore commatis nostri membro conferendus locus parallelus supra XXVI, 5. *Quia depressit habitatores celsitatis, urbem elatam; humiliabit eam usque ad terram, fecit eam pertingere ad pulverem.* Similem sensum jam vidit Ephraem Syrus, sub *saltu* Assyriorum regnum, sub *civitate* magnifica Assyriorum castra intelligens. Est vero hic versus cum proximo conjungendus hoc sensu: dum hostes insolentes deprimentur, bene erit Judaeis. Doederlein versum hunc ita vertit: *tutusque* (populus meus, ex vs. praeced.) *peragrabit arva, et civitas humiles valles petet.* „Sequor," in nota subjecta inquit, „lectionem unius codicis וירד, qui Seckeri conjecturam confirmat, conf. Zachar. XI, 2. Describitur autem status tranquillus, vid. infra LXIII, 8. dum et per arva vagari libere licet, et urbs olim obsessa jam amoenitatem vallium fruendam evolat." Quia pro וּבַשִּׁפְלָה Syrus posuit ܘܐܝܟ ܦܩܥܬܐ *et in modum planitiei* humiliabitur urbs, Lowthus in illa voce בְּ in כ mutare non dubitat. Equidem בשִּׁפְלָה a Syro lectum esse in suo codice non negarim, at necessaria mutatio non est. Meretur adhuc, quae adscribatur, Hensleri interpretatio: *grando cadat in descensu saltus; in humili* valle *desidet urbs*, scil. Hierosolymitana (*des Forstes Abhang treffe Hagel, tief im Thale liegt die Stadt*); quasi dixisset poeta:

sicut

ſicut civitas, in valle ſita, ſaepe tuta eſt a grandine, qui ſaltum vicinum, in monte ſitum, depopulatur, ita, dum aliae regiones variis calamitatibus percuſſae erunt, Judaeae urbes amoena fruentur tranquillitate.

20. Dum hoſtes malis omnibus obruentur, apud Judaeos omnium bonorum copia et affluentia erit. זֹרְעֵי עַל־כָּל־מָיִם *Qui ſeretis ad omnes aquas*, i. e. vos Judaei, qui ſementem facietis in locis irriguis, et ob id valde feracibus. מְשַׁלְּחֵי רֶגֶל־הַשּׁוֹר וְהַחֲמוֹר *Qui pedem bovis et aſini eo immittetis.* Tanta omnium frugum copia, ut etiam jumentis permiſſuri ſitis ibi paſci. Vide ſupra XXX, 24. 25.

CAP. XXXII. 9. *Mulieres tranquillae, agite, audite me! et vos ſecurae, advertite aures ad ea, quae dicam.*

10. *Dies ultra annum trepidabitis, confidentes, nam intercepta eſt vindemia, meſſis nulla.*

11. *Trepidate, tranquillae, commovemini, ſecurae, exuite, nudate vos, veſtes lugubres induite.*

12. *Propter ubera plangunt, propter agros deſiderabiles, propter vites frugiferas.*

13. *Super terram populi mei ſentis et vepres aſcendit, quinimo in omnibus domibus voluptatis, in civitate exſultabunda.*

14. *Palatia erunt deſerta, urbs tumultuoſa derelicta, Ophel et turris ſpeculatoria ſpeluncae erunt per plura ſecula, gaudium onagrorum, paſcua gregum.*

15. *Donec ſuper nos effundatur ſpiritus ex alto; quando deſertum erit in arvum frugiferum, et arvum frugiferum pro ſylva reputabitur.*

16. *Tum in deserto habitabit judicium, et in arvo frugifero justitia sedem figet.*

17. *Eritque opus justitiae pax, et effectus justitiae securitas et tranquillitas in perpetuum.*

18. *Tum populus meus in terra pacata habitabit, in mansionibus tutis, sedibusque beatis.*

19. *Grando autem dejicietur saltu isto ruente, atque urbs ista ad imum statum redigetur.*

20. *O vos beatos! qui juxta omnes rivos seretis, et pastum immittetis boves et asinos.*

CAR-

CARMEN VICESIMUM OCTAVUM

Cap. XXXIII.

ARGUMENTUM.

Apostrophe ad magnum aliquem vastatorem directa, qua exitium ipsi vicinum denunciatur, carmen exorditur (vs. 1.). Infertur populus Judaicus, ad summam angustiam ab illo redactus, auxilium plorans a Jova, a cujus voce totae gentes perterritae in fugam convertantur (vs. 2. 3.). Respondet vel vates, vel Deus ipse (vs. 4.), hostem brevi prostratum iri, unde chorus Judaeorum erumpit in laudes potentissimi Jovae (vs. 5. 6.). Rursus redit vates ad descriptionem summae miseriae et calamitatis, ad quam Judaei hostis illius irruptione redacti erant (vs. 7 — 9.). Jova iterum respondet, velle se populum suum liberare (vs. 10. 11. 12.), omnesque terrae nationes testes advocat, ut videant, quam magnificum auxilium, piorum fiducia in ipso permotus, ab hostium manu Israelitis praestet (vs. 13 — 24.).

Senacheribi stragem mirumque auxilium Israelitis a Jova praestitum, in hoc carmine decantari, plerisque melioris notae interpretibus visum est, nec ego, cur huic sententiae refrager, video.

---

1. הוֹי שׁוֹדֵד וְאַתָּה לֹא שָׁדוּד וּבוֹגֵד וְלֹא־בָגְדוּ בָךְ

Heus tu, qui alios devastas, hactenus a nemine devas-

status; heus tu, qui alios impetis, et nemo te hactenus impetiit! Sensum recte enunciavit Munsterus: vae tibi, exercitus Assyriorum, qui nullis lacessitus injuriis omnes terras conaris devastare. כַּהֲתִמְךָ שׁוֹדֵד *Cum consummaveris vastans*, i. e. cum consummaveris vastare, perfeceris vastationem. Loquendi modus et Graecis, novique Testamenti scriptoribus frequens, veluti Luc. V, 4. ὡς δὲ ἐπαύσατο λαλῶν. Vox כַּנְּלֹתְךָ, quoniam alias in codice Hebraeo non extat, nisi in derivato מִנְלָה apud Jobum XV, 29., varie tentata est ab interpretibus. Ludov. Cappellus, observans, litteras נ et ל esse, ut ipse loquitur, incompatibiles, id est, *alteram numquam immediate sequi alteram*, suspicatur, litteram נ hic occupare locum τῆς כ, affinis figurae, et facillimae permutationis, ut scripserit propheta vel כְּכַלֹּותְךָ *cum absolveris*, vel כְּנְלָאוֹתְךָ *cum fatigatus*, sive *lassatus fueris*, quomodo Chaldaeus et Hieronymus vocem videntur accepisse: ille enim כַּד תִּלְאֵי, hic, *cum fatigatus desieris contemnere*, exhibet. Priorem Cappelli conjecturam, כְּכַלֹּותְךָ, probant Seckerus, Lowthus et Doederlein. Posteriorem sententiam, legendum esse כְּנְלָאוֹתְךָ a radice לָאָה, praefert Dathius, quod 21. Codd. Kennicotti legant hanc vocem plene, sive cum Vau scriptam, כנלותך, et unus exhibeat characterem Infinitivi, in Niphal usitatiorem, He, כהנלותך. Idem olim placuit Michaeli in *Bibl. Orient. Adpend*, Tom. XIV. pag. 116—120. Sed in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* P. V. pag. 1419. ita mutavit sententiam, ut כנלותך illud, quod in 21. Codd. Kennicotti invenitur, his efferendum punctis vocalibus כְּנַלֹּותְךָ, referendumque putet ad radicem לָיָה, quam confert cum Arabum لوى *obtorpuit, segnisque destitit.* Unde dictionem nostram vertit: *cum desieris contemnere*, satiatus et iners ludibriis. Verissimam de hac voce sententiam A. Schultensius videtur dixisse, qui in *Animadverss. Philologg.* ad h. l. vocem nostram refert quidem ad

ad radicem בָּלָה, sed eam illustrat ex Arabum نيل, aut نال, quod verbum praeter alias saepe significat: *perfecit opus inceptum.* Verba autem quiescentia radicali media in significationibus non raro convenire cum verbis quiescentibus radicali ultima, saepius jam vidimus. *Perficiendi* notionem insuper aperte flagitat totus contextus. בְּנְלֹתְךָ contracte scriptum esse pro בְּהַנְלֹתְךָ vix monitu opus. Verbum בָּגַר hic neque *contemnere*, neque *perfide agere* videtur reddendum, sed, quomodo Chaldaeus illud saepe interpretatur, בְּזַז *spoliavit.* Scilicet sicut ab עֹרֶף *cervix*, עָרַף notat *cervicem praecidere*, *jugulare*, ita a בֶּגֶד *vestis*, בָּגַד primum *vestem detraxit*, *illa spoliavit*, deinde omnino *spoliavit* videtur significasse. *Praedandi*, *spoliandive* notionem poscit praeterea parallelum שָׁדַד.

2. Solenne est vatibus Hebraicis, quando significare volunt, quam celeriter oppressis affuerit Deus, et historiam narrant obiter, quasi per parenthesin brevem orationem inserere, qua ad Jovam usi sint, ac mox liberationem attexere. Conf. Ps. CXVI. הֱיֵה זְרֹעָם *Esto brachium*, auxilium, *eorum*, scil. Israelitarum, popularium meorum: subito vates ipse loquitur, oblitus quasi, vehementiore phantasiae motu abreptus, se Israelitas loquentes inferre coepisse. Sed veteres interpretes, ut fere solent, primam pluralis personam in vertendo retinuerunt, unde Lowthus, pro more suo, pro tertia illam in textu reponendam censet, quod probatum esse a Dathio et Doederlinio, miramur. לַבְּקָרִים *Matutinis*, i. e. per singulos dies, *mane* pro *die*, per synecdochen.

3. מִקּוֹל הָמוֹן *A voce strepitus*, strepera, scil. Jovae, Jova increpante. מֵרֹמְמֻתֶךָ *Ab exaltatione tua* dissipatae sunt gentes. Quia tu superior es hostibus

 nostris;

nostris; hinc cognoscent, non prodesse sibi ipsorum fortitudinem et exercitum magnum.

4. וְאֻסַּף שְׁלַלְכֶם אֹסֶף הֶחָסִיל *Et colligetur spolium vestrum collectione bruchi*, sive *locustae*; vid. de hac voce MICHAELIS in *Supplementt. ad Lexx. Hebrr.* P. III. p. 862—865. אֹסֶף הֶחָסִיל gemina significatione sumi potest, *active* et *passive*. Priore sensu *collectio locustarum* erit, si illa animalia obvia abradunt et decerpunt in suos usus; posteriore et ipsarum locustarum sata consumentium collectio, quae fit ab agricolis, eas colligentibus in vasa, aut cumulate extrudentibus in fossas et foveas, ut eas enecent, quod in Africa et Hispania fieri, observat Fererius ad h. l. Posterius plures hic elegerunt, quibus praeivit Kimchius. Idem placuit Hieronymo, qui integram sententiam vertit: *et congregabuntur spolia vestra, sicut colligitur bruchus, velut cum fossae plenae fuerint de eo.* Pressius hunc sensum exposuit Ludov. Cappellus, qui, *estque*, inquit, *haec locutio ducta a rusticis, qui bruchos et locustas frugibus infestas colligunt cumulatim, collectasque pedibus conculcant. Hoc vult ergo propheta: Judaei facile et nullo negotio, nemine prohibente, spolia vestra de castris diripient, simulque colligent secumque asportabunt.* Idem sensus placuit Doederleinio, qui hunc versum vertit: *et praeda vobis legitur, sicut Chasil vel globus locustarum invasione facta colligitur:* illumque in subjecta nota sic explicat: „Deus hostilem exercitum armis suis fulgure tonitruque impugnat; Judaeis immensae castrorum divitiae in praedam cedunt. Locustae, quarum plures enumerantur species, gregatim volant, ideoque mira multitudine cogi perdique possunt.“ Verum huic interpretationi refragatur plane membrum alterum, ubi *locustae* introducuntur tanquam quae sint in actu et motu, et omnino figurant Israelites,

spo-

ſpolia hoſtium colligentes. Ergo *collectio bruchi* hic eſt quae fit a *bruchis* ſive *locuſtis*, quod et Grotius vidit, ad hunc locum ſcribens: „*congregabuntur ſpolia veſtra ſicut colligit bruchus*, tam impune legentur de vobis, Aſſyriis, quam bruchus herbas depaſcitur. Hanc interpretationem flagitant, quae ex Hebraeo ſequuntur." Eleganter vates noſter adhibuit verbum אָסַף, quod proprie uſurpatur de *collectione* ſatorum et frugum, quae fit tempore meſſis. Hanc locuſtae faciunt, quando magnis agminibus agros inſident et abſumunt. Comparatio igitur haec eſt: ſicut locuſtae magno numero involantes in agrum ſata ſparſim et promiſcue abradunt, et conſumunt; ita Iſraelitae promiſcue et tumultuario in ſpolia hoſtium tanquam communis juris facta, involabunt, et quisque eorum ſibi carpet et rapiet, quod primum occupabit. כְּמַשַּׁק גֵּבִים שֹׁקֵק בּוֹ, *Secundum discurſationem locuſtarum in eo*, ſcil. ſpolio, *discurrens*, ſcil. discurrit, i. e. *discurritur*. Senſus eſt, priori analogus, Iſraelitas ſpolia hoſtium proſtratorum, per agros ſparſorum, inſtar locuſtarum lecturos, et ad earundem locuſtarum morem ſubſultim in iis legendis discurſaturos eſſe. Totius commatis ſenſum optime expreſſit Dathius: „Apoſtrophe ad Aſſyrios: Iſraelitae caſtra veſtra deſerta invadent, et praedam ex iis pro lubitu colligent, uti locuſtae facere ſolent agros et hortos irruentes."

5. Chorus Iſraelitarum, Jovam ob auxilium promiſſum et praeſtitum, celebrantium. Verbum נִשְׂגָּב nonnulli vertunt *exaltabitur*, i. e. laudibus celebrabitur, celeberrimus eſt Jova. Sed ſenſus eſt potius: *altior*, potentior, *eſt hoſtibus* ſuis. Conf. ſupra Cap. II, 11. 17. et XII, 3. *Commemorate*, כִּי נִשְׂגָּב שְׁמוֹ, *quod in ſublime evectum eſt nomen ejus*, i. e. ipſe. Vates ſe ipſe interpretatur vs. 11. *Nunc ſurgam, ait Jova, nunc exaltabor, nunc efferar in altum*. כִּי שֹׁכֵן מָרוֹם. *Qui habitat*

bitat excelsum. כִּי hic vicem sustinet *pronominis relativi*, ut saepe alias, veluti Ps. XC, 4. *Mille anni in oculis tuis sunt ut dies hesternus*; כִּי יַעֲבֹר, *qui praeteriit;* vid. Noldii *Concordantt. Particularr.* sub vocabulo כִּי, No. 19. p. 372. מִלֵּא צִיּוֹן מִשְׁפָּט וּצְדָקָה *Jure et justitia Zionem implevit*, quod alii interpretantur: justitiam suam Israelitis manifestavit, de hostibus eorum poenam sumens; alii, Chaldaeum et plerosque ex Hebraeis secuti: sunt in Zione, qui juste recteque agant, justitiae et probitati studeant; quod fortasse praeferendum ob ea, quae sequuntur.

6. Utrum ad Hiskiam regem, an ad populum Israeliticum haec apostrophe sit directa, dissentiunt interpretes; sed mihi posterius videtur. וְהָיָה אֱמוּנַת עִתֶּיךָ *Et erit stabilitas temporis tui.* Capitur hic secundum Hebraeos אֱמוּנָה pro קִיּוּם, *firmitate, stabilitate*, ut Exod. XVII, 12. ut sit sensus: *stabilietur vobis aevo vestro pax et salus; si occupemini in sapientia, scientia, et timore Domini, qui unicus thesaurus vester est.* Bene Kocherus hunc versum reddit: *Et erit fida securitas temporum tuorum, dives copia omnimodae salutis, sapientia et scientia*, h. e. ista bona illam temporum securitatem praestabunt, *timor Domini erit thesaurus ejus:* similis personarum mutatio, qualis aderat supra vs. 2. Sed quoniam pro אוֹצָרוֹ Symmachus posuit ὁ θησαυρός σου, Lowthus אוֹצָרְךָ ab illo lectum, idque nostro אוֹצָרוֹ praeferendum censet; quamquam veteres ceteri omnes id quod nos nunc legimus tueantur. Multi libri et manuscripti, et typis exarati, pro עִתֶּיךָ in singulari legunt עִתְּךָ, eandem lectionem servarunt nobis Syrus, Chaldaeus et Symmachus. Qui hoc praeferunt, suffixum in אוֹצָרוֹ ad עִתְּךָ pertinere putant. Sensus est: pietas beatissimae aevi tui opes, et religio atque pius Jovae cultus divitiae tuae habentur.

7. Vi-

7. Vivida descriptio hostilis irruptionis. Legatorum, pacem petentium, irritae preces, viarum publicarum desolatio, viatorum raritas et defectus, arvorum marcescentium et lugentium incultus, fertilissimorum locorum sterilitas (vs. 7—9.). הֵן אֶרְאֶלָּם צָעֲקוּ חוּצָה *En, heroes illorum vociferantur foris.* De voce אֶרְאֶלָּם non constant sibi interpretes. Chaldaeus Paraphrastes illam accepit ut compositam ex אֶרְאֶה לָם pro אֶרְאֶה לָהֶם, vertitque: הָא כַד אִתְגְּלֵי לְהוֹן *ecce, quando revelatus fuero iis.* Consentiunt Symmachus et Theodotion: *ἰδὲ ὀφθήσομαι αὐτοῖς·* Aquila: *ὁραθήσομαι αὐτοῖς.* Verum quid sibi vult; *ecce apparebo illis, clamant foris?* Alii itaque vocem אֶרְאֵל hic sumunt pro אֲרִיאֵל, et id pro *altari*, ex loco Ezech. XLIII, 15., de qua significatione vocis vidimus ad Cap. XXIX, 1. 2. Sic vertendum esset: *ecce altare illorum!* sive hoc sensu, quod Israelitae in communi hac calamitate lugerent *caussa altaris*, ut Jarchius vult: sive, quod *Assyrii* foris Judaeos irridendo, iis acclamarent: *ecce altare illorum! Nihil illis proderunt victimae!* quod longe quaesitum, nescio, quomodo placere potuerit Grotio. Hieronymus reddidit per *videntes*, quod alienum est a structura vocis; monuitque, Hebraeos interpretari per *angelos*, quod verum est. Aben-Esra et Kimchius ita interpretantur ex usu Rabbinico, quo אֶרְאֵל sumitur pro *nuncio*, *legato*, et *angelo*. Sed quamquam non est negandum, hanc significationem bene convenire *τοῖς* מַלְאֲכֵי שָׁלוֹם in membro sequenti, parum tamen tribuendum est merae Rabbinorum auctoritati, vixque est dubitandum, quin usus ille vocis ex hoc loco sit derivatus. MICHAELIS quidem in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* P. I. p. 120. interpretationem illam confirmare studuit eo, quod vocem nostram refert ad Arabum رَأَلَ *festinanter incedit*, ut sint *legati*, *nuncii*, ab eundo dicti. Displicet tamen

ipsi illi hoc etymon, quod verbum est denominativum a رأل, *pullus struthionis*, *festinanter more pulli struthionis incedere*. Nec magis probatum iri puto ab aliis alteram, quam ipse praefert, sententiam, אֶרְאֵל hic *ardeam stellarem* esse, quam ab Arabibus *Ariel* vocari, auctorem esse ait Forskalium, *Descript. Animal.* p. 8.; ardeam stellarem vero, timidam avem, sed terribilia clamantem, pro *thrasone* poni, quales legati fuerint Assyrii. Rectam de hac voce sententiam dixisse mihi videtur Bochartus P. I. Lib. III. Cap. 1. p. 716. אֶרְאֵל et אֲרִיאֵל *leonem Dei*, pro *heroe* positum esse, quod egregie confirmat docta observatione, solere Arabes *virum fortem* اسد الله, i. e. *leonem Dei* appellare, in cujus rei testimonium profert non solum locum ex *Damir*, in quo Hamzae ob fortitudinem illud cognomen a Muhammede inditum narratur (conf. Herbeloti *Biblioth. Orient.* sub *Hamzah*); sed et multa alia, tam ex Arabicis scriptoribus, quam ex itineratorum libris, exempla. Eam sententiam cum multis et Lowthus sequitur, sed vertit membrum hoc prius: *heroes terribilia clamant* (*Helden schreyen furchtbar*). Scilicet quoniam pro חֻצָה Syrus in versione posuit ܩܫܝܐܝܬ, *duriter* (ejulabunt), et Chaldaeus בִּמְרַר *contumaciter*, Episcopus ab utroque קָשָׁה pro חצה lectum, illudque huic praeferendum esse autumat. Quod etsi de Syro satis, de altero vix satis verisimile videri possit, quemadmodum nec de tribus Graecis, Aquila, Symmacho, et Theodotione, pro חֻצָה ἔξωθεν habentibus; recte tamen Kocherus observat, veteres omnes illud חֻצָה de clamore, tanquam *foras* erumpente, ut procul exaudiri posset, acceptum, hos quidem ad ejus *vehementiam*, illos vero ad conjunctum *animi affectum*, dictorumque qualitatem retulisse. Merito etiam Kocherus notat Lowthum, quod pro אֶרְאֶלָּם tribus manuscriptis permotus אראלים legere mallet,

let, observans, vocem illam esse ex אֲרִאֵל et אֲרִיאֵל *leo Dei*, i. e. heros, collective *heroes* cum suffixo pluralis, ut שְׁנֵי אֲרִיאֵל, 2 Sam. XXIII, 20. 1 Chron. XI, 22. Bene ceterum Kocherus hunc versum reddit: „*Ecce heroes illorum* (legati Assyriorum) *clamant foris* (extra urbem Hierosolymam); *nuntii pacis amarum flent*. Illinc Rabsaken cum suis; hinc viros Hiskiae cernere atque audire videor." Scilicet Hiskias Sanheribo legatos obviam miserat, ut de pace tractarent, aequis conditionibus, forsitan tradendis oppidis quibusdam, obtinenda; sed ille ad pacis conditiones non accedebat, et legati scissis vestibus ad Hiskiam redibant, vid. 2 Regg. XVIII, 17. 18.

8. Sunt interpretes, qui, Grotium sequuti, versu hoc et sequenti, legatos Hiskiae loquentes induci putent, regi miseram terrae conditionem describentes. Sed nihil impedit, quo minus vel vatem ipsum, vel chorum Israelitarum, terrae suae vastationem deplorantium, loquentem existimemus. נָשַׁמּוּ מְסִלּוֹת *Vastatae sunt viae publicae*, bene munitae, firmiterque exstructae, id enim indigitat מְסִלָּה, conf. not. supra ad Cap. XI, 16. שָׁבַת עֹבֵר אֹרַח *Desiit viator*, cessant viatores. In terra, hostili irruptione perturbata, infestum et periculosum fit iter; cessant negotiationes et civitatum inter se commercia. הֵפֵר בְּרִית *Irritum factum est pactum*; Assyrii stare nolunt foederi, quod reges Judae cum ipsis inierant. Ahasus, pater Hiskiae, foedus et amicitiam Assyrii petierat, ut ipsum juvaret adversus Syros et Israelem; vid. 2 Regg. XVI. Postea et ipse Hiskias, videns quod venisset Assyrius, ut Hierosolyma caperet, vastaretque totam Judaeam, misit ad Sanheribum legatos pro pace. Assyrius indixit ei trecenta talenta argenti et triginta talenta auri; quae et Hiskias persolvit, ut ille a se recederet. Ille vero, et pecuniam accepit, et ad capiendam urbem exer-

exercitum misit; vid. 2 Regg. XVIII. מָאַס עָרִים *Sprevit civitates*, et invadens eas, et illudens iis, conf. supra Cap. X, 9. infra XXXVI, 1. 19. et locum plane parallelum Habac. I, 10. *Ille autem*, rex Assyrius, *reges irridet*, *et principes ludibrio habet*; מִבְצָר יִשְׂחָק *ridet omnes munitiones*. לֹא חָשַׁב אֱנוֹשׁ *Nullius reputat homines*, sive ut parcat eis, sive ut cum illis foedus custodiat. Vel: omnes homines nostros pro nihilo duxit, quod magis adhuc convenit ei quod praecessit.

9. אָבַל אֻמְלְלָה אָרֶץ *Luget, languet terra*, ἀσύνδετα, ut supra XXIV, 4. *Lugere* autem dicitur terra, quando devastatur. Vel capitur *terra* pro *habitatoribus* ejus lugentibus. הֶחְפִּיר לְבָנוֹן *Pudore suffusus est Libanon*, mons ille superbe se efferens, quod nudatus sit ornatu suo, cedris, quas hostes exsecuerant ad parandas machinas bellicas. Cf. supra Cap. XIV, 8., et infra XXXVII, 24. ubi Assyrius ipse loquens inducitur: *ego cum curruum meorum multitudine montium fastigia occupavi, cacumina Libani*, וְאֶכְרֹת קוֹמַת אֲרָזָיו מִבְחַר בְּרוֹשָׁיו, *prostravi cedros ejus proceras*, *abietes ejus praestantissimas*. Verbum קָמַל, quod proprie de quodam insectorum genere dicitur, arida tempestate in plantis natorum, easque perdentium (vid. supra ad Cap. XIX, 6.), hic, ita poscente contextu, generaliori *marcescendi*, *exarescendi* notione sumendum est. הָיָה הַשָּׁרוֹן כָּעֲרָבָה *Factus est Saron instar solitudinis*. Proxima Basani arva squallebant, vid. 1 Paralipom. V, 16. In verbis וְנֹעֵר בָּשָׁן וְכַרְמֶל interpretandis de verbo נָעַר ambigitur, aliis *rudere* vertentibus, quod pro *vehementiori clamore* positum sumunt, quasi dicat vates, *Basan et Carmel clamoribus anxiis resonant*; aliis *excutiendi*, *spoliandi* significationem adhibentibus. In hunc sensum Doederlein vertit: *Basan et Libanon spoliati*; ad quod in nota observat: „Voci נֹעֵר alia puncta subieci: vel a

radice

radice נָעַר, vel נָעוֹר, a radice עוּר, utrumque notionem habet *excussionis*, *spoliationis*." Chaldaeus צְדִי, *vastatus est*, Syrus ܐܬܒܙܙ, idem notans, Alexandrini φανερὰ ἔσται, reddunt, non quod נֶעֱרָה, Praeteritum *Niphal*, ab עָרָה *nudavit* legerunt, quod Lowtho videtur, ipsique probatur, sed quod verbum נָעַר *vastandi* significatione acceperunt, quae facile e notione *excutiendi* oriri potuit. Nec male Kimchius: „*excutiens* fructus suos *Basanus et Carmelus*, quasi dicat, abjicient arbores eorum fructus suos." Duas alias interpretandi rationes Michaelis proponit in *Supplemm.* p. 1651. Unam: *muscis sonat Basan et Carmel*, simili imagine ut supra VII, 18., collato Arabico نَعِرَ *infestatus ab asilis fuit*. Alteram, in auxilium vocato Arabum نَغَرَ *aestuavit*, *bulliendo efferbuit*: *aestuat Basanitis et Carmelus*; montes opacissimi aestuare et torreri sole dicuntur.

10. עַתָּה אָקוּם *Nunc surgam* ad vindictam, instar herois caussam meam et populi mei vindicaturus, post patientiam longi temporis. Eadem phrasis in eandem rem designandam occurrit Ps. VII, 7.

11. תַּהֲרוּ חֲשַׁשׁ תֵּלְדוּ קַשׁ *Concipitis quisquilias*, *paritis stipulam*, i. e. stulta consilia inanes habent eventus. Similes imagines vide Cap. XXVI, 18. LIX, 4. In verbis רוּחֲכֶם אֵשׁ תֹּאכַלְכֶם *spiritus vester ignis*, qui *vos consumet*, obscurius nonnullis visum est, quomodo *spiritus* ipse hostium *ipsos consumere* dici possit. Id Ludovicum Cappellum permovit, ut vocem רוּחַ non acceperit pro *nomine*, sed pro *verbo*, sensu *difflandi*, verteritque: *difflabit vos*, *ignis consumet vos*; ut haec verba sint prophetae de Jova loquentis. Quam sententiam ita mutare vellet Vitringa, ut exigua mutatione vertendum censeat: *afflabit vos* Jova; *ignis consumet vos*; affla-

afflatum enim Jovae, maxime irati, saepe describi *igneum*, conf. Cap. XXX, 33. Pf. XVIII, 9. Vitringa tamen ipse fatetur, nullam necessitatem cogere, ut vulgatior illa interpretatio repudietur, quum receptior usus phraseos Hebraeae eam commendet, sensumque bonum fundat. Scilicet vertas: *quantum ad spiritum vestrum*, h. e. animum superbia iraque aestuabundum, *ignis consumet vos*, et omnia plana erunt. רוּחַ hic eadem significatione, qua Graecorum θυμὸς, sumendum est, ut supra XXX, 28. Recte igitur Grotius: ira vestra vobis exitio erit. Lowthus pro רוּחֲכֶם legit רוּחִי כְּמוֹ, auctore Seckero, contra antiquitatis testiumque fidem, nisi quod Chaldaeum citat, cujus מֵימְרִי, verbum meum, hebraico רוּחִי *spiritus meus* respondeat, sicque adeo legendum esse arguat. At Chaldaeum, textus masorethici semper tenacem, non verbum de verbo reddere, sed ita vagum, ut tali conjecturae vix locus sit, ferri, notum est: aut si qua conjectatio valeat, illud מֵימְרִי potius ad hebraicum אֵשׁ, quemadmodum Chaldaicum כְּעַלְעוּלָא לְקַשָּׁא *sicut turbo stipulam*, ad nostrum רוּחֲכֶם spectare videtur.

12. וְהָיוּ עַמִּים מִשְׂרְפוֹת שִׂיד *Et erunt populi combustiones calcis*, i. e. erunt quasi positi in fornace calcaria, magno igne percalefacta, cujus vi lapides urantur in calcem. קוֹצִים כְּסוּחִים בָּאֵשׁ יִצַּתּוּ *Spinae resectae quae igne succenduntur.* כְּסַח Chaldaeis est *amputare*, Syrisque de *putatione vitium ponitur*, veluti in Assemani *Bibl. Orient.* Tom. I. p. 374. Sensus igitur: ut spinae resectae et aridae cum strepitu et murmure ab igne subjecto facile absumuntur. Saepe observavimus, subitum illud malum, quo Assyrii Hierosolymorum obsidionem solvere coacti sunt, qualecunque tandem fuerit, incendio comparari.

13. שִׁמְעוּ רְחוֹקִים אֲשֶׁר עָשִׂיתִי *Audite, longinqui, quid fecerim.* Vos, populi longinqui, facinora mea fama

fama percipite! וּדְעוּ קְרוֹבִים גְּבֻרָתִי *Et cognoscite, propinqui, potentiam meam.* Vos, qui propinqui estis, advertite, quae patravi!

14. אָחֲזָה רְעָדָה חֲנֵפִים *Corripuit tremor impios.* חֲנֵפִים sunt *impii in Jovam, irreligiosi*, cf. not. supra ad Cap. IX, 16. מִי יָגוּר לָנוּ אֵשׁ אוֹכֵלָה מִי יָגוּר לָנוּ מוֹקְדֵי עוֹלָם *Ecquis nostrum commoretur apud ignem consumentem? quis nostrum cohabitet foco aeterno?* Varie hujus commatis sensum constituunt, aliis per *ignem consumentum focosque aeternos* Asſyriorum exercitum ad Hierosolyma appropinquantem, aliis stragem, quam Jova in illo edidit, intelligentibus. Qui prius illud praeferunt, σχῆμα orationis sic constituunt, quasi loquentes hic inducerentur increduli ex Israelitis, qui desperantes de auxilio Jovae hostili exercitu appropinquante, dicerent: quis ex nobis superstes manebit ab exercitu Assyriorum, qui similis est igni, qui non exstinguitur, omniaque loca nostra in favillas redigit? Sed quum proxime antea, ut saepe alias *ignis consumens* sit symbolum poenae a Jova immissae in Assyrios, sententiam posteriorem praeferre tutius erit. Hinc sensus erit: ipsi impii in Jovam, quum animadverterint terribilem illam poenam, quem Deus, adhuc ab ipsis neglectus, ab Assyriis sumsit, numen illud tam severe puniens timere coeperunt, anxieque quaesiverunt, quomodo hujus numinis vindictam evadere quis possit? מִי יָגוּר לָנוּ *Quis cohabitabit*, quis aderit nobis, juvans, auxilium et tutelam praebens?

15. Respondet propheta ad illa verba impiorum מֹאֵס בְּבֶצַע מַעֲשַׁקּוֹת *Qui spernit lucrum fraudationum*, qui spernit opes oppressione aliorum partas. נֹעֵר כַּפָּיו מִתְּמֹךְ בַּשֹּׁחַד *Qui excutit manus suas, ne prehendant munus*; qui ob rem judicandam non accipit pecuniam, non sinit se corrumpi. אֹטֵם אָזְנוֹ מִשְּׁמֹעַ דָּמִים *Obturans aurem*

aurem ſuam, ne audiat caedes, qui non vult audire eos, qui loquuntur de patranda caede, qui ſurdus eſt ad calumnias, per quas vitae alterius periculum ſtruitur. וְעֹצֵם עֵינָיו מֵרְאוֹת בְּרָע *Et qui claudit oculos ſuos, ne videat malum*, i. e. ἀδικίαν, ut recte hic Alexandrini. Senſus eſt, qui averſatur omne genus injuſtitiae.

16. הוּא מְרוֹמִים יִשְׁכֹּן *Is habitabit loca celſa*, hoſtibus inacceſſa, ab iis tuta. מְצָדוֹת סְלָעִים מִשְׂגַּבּוֹ *Propugnacula petrarum elevatio ejus*, i. e. aſylum ejus, vel perfugium. Senſus, is non minus tutus erit, quam ſi turrem inacceſſa rupe habitaret. לַחְמוֹ נִתָּן *Panis ejus dabitur*, a fame liberabitur. מֵימָיו נֶאֱמָנִים „*Aquae ejus fideles* ſunt, quae non ſicceſcunt, vel viatorem ſpe ſua fallunt. In his omnibus pulchra deſcriptio vitae ſecurae et beatae." Doederlein.

17. Beneficia, liberationem illam ſecuta. In hujus commatis ſenſu conſtituendo iterum variant interpretes, quum non conſtet inter ipſos, quis intelligendus ſit ſub *rege*, qui hic nominatur. 1) Nonnulli, Kimchio auctore, ſub *rege* intelligunt Aſſyrium, vertuntque, *qui viderunt regem terrae longinquae*, i. e. regem Aſſyriae, ſubintellige ad moenia Hieroſolymorum. 2) Vitringa, quem Koppius ſequitur, *Jovam* ipſum hic *regem* vocari cenſet; ſed nullum alium adducere potuit locum, in quo מֶלֶךְ, abſolute poſitum, ut hic, Jovam indicet; hinc praeſtabit, eorum accedere ſententiae, qui 3) per *regem* intelligunt *Hiskiam*. Inter hos et Doederlein, qui vertit: *regem conſpicies*, Hiskiam, non orbatum dignitate ſua, ſed *ſplendore* priſtino (בְּיָפְיוֹ) ornatum. תִּרְאֶינָה אֶרֶץ מַרְחַקִּים *Vident terram diſtantiarum*, i. e. remotam, et multam diſtantem; q. d. ſoluta obſidione, et reſtituto rege tuo in priſtinam dignitatem, tibi licet ſecure peregrinari ad regiones multum diſtantes ab Hieroſolymis. Non-amplius moenibus incluſi quoquo lube-

iubebit ſpatiantur. Quale illud Virgilii *Aeneid. II.* vs. 27.:

— — libet ire, et Doricà caſtra
Deſertosque videre locos.

18. לִבְּךָ יֶהְגֶּה אֵימָה *Cor tuum meditabitur terrorem.* Dulcis eſt exactorum periculorum memoria. אַיֵּה סֹפֵר *Ubi eſt ſcriba?* Significat eum, qui conſcripſit nomina eorum, qui pendere debebant tributa. Ceterum ſponte quisque intelliget, haec verba eſſe exultantium de elapſa calamitate. אַיֵּה שֹׁקֵל *Ubi ponderator*, i. e. collector tributorum, qui ad ſacoma numos exigebat. אַיֵּה סֹפֵר אֶת־מִגְדָּלִים *Ubi qui numerat turres?* Praefectus moenium, qui turrium, praeſidio indigentium numerum inibat, et praeſidia in ſingulas mittebat. Perperam Hieronymus vertit *doctor parvulorum*, quia pro הַמִּגְדָּלִים extulit הַמְגֻדָּלִים, et pariter Symmachus.

19. אֶת־עַם נוֹעָז *Populum robuſtum*, durum, ſaevum, propr. multis copiis auctum, aut trahentem ſecum multas copias. נוֹעָז enim eſt forma *Niphal* a radice עוז *invaleſcere.* Non improbabilis eſt conjectura Lowthi, Vogelii et Michaelis, pro נוֹעָז aut reſcribendum eſſe לוֹעֵז *barbarus,* ut Pſ. CXIV, 1., aut נוֹעָז eadem notione qua לוֹעֵז hic ſumendum eſſe, נ et ל permutatis, quae Vitringae eſt opinio. Certe לוֹעֵז ſequentibus egregie eſt aptum. עַם עִמְקֵי שָׂפָה מִשְּׁמוֹעַ *Populus profundae linguae ab audiendo*, i. e. cujus ſermo obſcurior eſt, quam ut intelligatur. אֵין בִּינָה *Non intelligentia*, i. e. utentem ſermone non intelligibili. Si Syriacam linguam populus Judaeorum non intelligebat, ut vides 2 Regg. XVIII, 26., multo minus Aſſyriacam.

20. חֲזֵה צִיּוֹן קִרְיַת מוֹעֲדֵנוּ *Reſpice Sionem*, cum gaudio contemplare Sionem, *civitatem conventuum noſtrorum,* urbem ad quam undique diebus feſtis confluitur.

עֵינֶיךָ תִרְאֶינָה יְרוּשָׁלַםִ נָוֶה שַׁאֲנָן *Oculi tui videbunt Hierosolymam, mansionem tranquillam.* Ad securitatem et tranquillam pacis fruitionem indicandam utitur phrasin ex Nomadum vitae genere desumtis. Huc pertinet נָוֶה, proprie *Nomadum statio*, ovium et pastorum habitaculum, vid. 2 Sam. VII, 8. Jerem. XXXIII, 12. אֹהֶל בַּל־יִצְעָן וגו׳ *Tentorium, cujus paxilli nec de loco movebuntur, nec transferentur*, i. e. tentorium immobile, incolume et firmo loco haerens. צָעַן conferendum est cum Arabum ظعن *transferri, moveri de loco in locum, proficisci*, et praesertim de Nomadum migrationibus usurpatur, ut exemplis docuit A. Schultensius in *Animadverss. Philologg.* in h. l. יְתֵדוֹת *Clavos*, vocat paxillos ad quos tentoriorum funes (חֲבָלִים) alligantur.

21. כִּי אִם־שָׁם אַדִּיר יְהוָה לָנוּ *Nam certe ibi magnificus erit Jova nobis*, habemus in Zione praepotentem et praevalidum Jovam; id enim hic indicare videtur אַדִּיר *magnificus*, i. e. qui illustrem se ostendit in profligandis hostibus populi sui. Non igitur est, cur cum Lowtho Syri et Alexandrini auctoritate legamus שֵׁם *nomen*, aut cum Koppio שָׂם (*Jehova, der Allmächtige wird uns bereiten einen Ort, den weite Flüsse, breite Ströme tränken*). מְקוֹם־נְהָרִים יְאֹרִים רַחֲבֵי יָדַיִם *Locus*, sive *loco, in locum, vice fluminum, rivorum latarum manuum*, brachiorum latorum, late se extendentium, i. e. Jova nobis erit pro lato fluvio, nostram circumeunte civitatem, ut ab incursione hostium tutos nos praestet. Flumina enim et fossae pro munimentis sunt urbibus, quas circumvallant. בַּל־תֵּלֶךְ בּוֹ אֳנִי־שַׁיִט וגו׳ *In quem nec eat navis remi*, remigum, *nec navis magna transibit eum*, i. e. quem rivum, prospiciente ipso Jova, nulla navis, sive parva, sive magna, transmeare poterit. Per *naves remigum*, quae hic aperte opponuntur צִי אַדִּיר, *parvae* designantur, quia navigia, quae remis

remis aguntur, humilia sunt, et ad fluctus maris alti tolerandos haudquaquam idonea. צִי quidem *naves* absolute notat, sed cum אַדִּיר conjunctum, non dubium, quin *ingentes naves* et *onerarias* designet. Vulgatus posuit: *navis trieris*, i. e. ternis remorum ordinibus, quod caveas ne confundes cum *triremi*, i. e. navi, quae tribus remis agitur. Ergo aquarum molem illam, quae circumdat Hierosolyma, neque parva neque magna navivia pertransire poterunt; ut quam inexpugnabilis sit, intelligas. Illam enim insulam satis tutam ab hostibus diceres, quae circum se mare adeo tempestuosum habeat, per quod neque parvae neque magnae naves possunt navigare.

23. נִטְּשׁוּ חֲבָלָיִךְ *Laxati sunt funes tui*, qui malum navis confirmant: hostem alloquitur. Perstat in metaphora, vs. 21. coepta, comparatque hostes navi malo destitutae, funibus, quibus ille firmatur, ruptis, atque velo dissoluto, quae ob id arbitrio ventorum in mari jactatur, et tandem procellis obruta in profundum demergitur. Optime Grotius: „Ob coeptam comparationem fluminis, Assyriorum exercitum navi comparat, ut rempublicam Horatius (*Od.* I, XIV.), cujus locus hic respondens est:

— — ac sine funibus
Vix durare carinae
Possunt imperiosius
Aequor?

בַּל יְחַזְּקוּ כֵן־תָּרְנָם *Non firmabunt*, scil. funes *basin mali eorum*, pro, *mali sui*, poetae enim menti obversantur ipsi illi, de quibus per metaphoram loquitur. *Funibus* enim et in navibus veterum malum esse sustentatum clarissime patet ex *Odyss.* XV, 290.:

Ἱστὸν δ' εἰλάτινον κοίλης ἔντοσθε μεσόδμης
Στῆσαν ἀείραντες· κατὰ δὲ προτόνοισιν ἔδησαν.

 (Ma-

(*Malum autem abiegnum intra thecam statuerunt erectum; funibus autem ligaverunt.* Μεσόδμην Hesychius interpretatur ξύλον τὸ ἀπὸ τῆς τρόπιως ἕως τοῦ ἱστοῦ, *lignum, quod a carina exsurgit ad malum;* id ipsum est, quod *Pollux* voce propria vocat ἱστοδόκην, Lib. I. cap. IX. Est *theca* et *loculamentum mali*, quod propheta כֵּן vocat). Quoad sensum imaginis conferendus iterum est Horatius, ubi supra:

Et malus celeri saucius Africo,
Antennaeque gemant?

Et *Alcaeus*, in carmine illo, quod Venusinus poeta hic imitatur, inter alia habet:

Πὰρ μὲν γὰρ ἄντλος ἱστοπέδαν ἔχει,

ubi ἱστοπέδα sive ἱστοπέδη eandem mali *basin* dicit, quam כֵּן hebraicum significare modo notavimus. בַּל־פָּרְשׂוּ נֵס *Non expandunt*, non expandere possunt, *signum, vexillum*, i. e. velum; non confirmato enim malo vel antenna, haud quaquam potest expandi velum. אָז חֻלַּק עַד־שָׁלָל מַרְבֶּה *Tum dividetur praeda spolii multi.* Nunc deserit vates metaphoram et proprie loquitur. Fugatis partim, partim occisis hostibus, spolia inter se dividunt, conf. supra versu 4. פִּסְחִים בָּזְזוּ בַז *Claudi adeo diripient*, locutio proverbialis, vid. 2 Sam. V, 6. Tam parum hostium reditus timendus erit, ut ipsi claudi et minus celeres per hostium castra vacua ire indeque praedam auferre possint.

24. וּבַל־יֹאמַר שָׁכֵן חָלִיתִי *Nec dicet habitator: langueo*, male habeo, ob afflictiones obsidionis scilicet. Vivent postea in summa tranquillitate, nec affligentur postea. הָעָם הַיֹּשֵׁב בָּהּ נְשֻׂא עָוֹן *Populus, qui habitat in ea*, erit remissus *noxa, pravitate*, carebit omni aegritudine; omnis mali sensus ab ipso auferetur.

CAP. XXXIII. 1. *Vae tibi, qui vastas, neque ipse vastaris; qui diripis, nec ipse diriperis! Ubi desieris vastare, et ipse vastaberis; cum absolveris spoliationem, et te spoliabunt.*

2. *O Jova, esto nobis propitius, te exspectamus quotidie, defende nos, praesta nobis salutem tempore adverso!* —

3. *A tonitru tuo fugiunt populi, a potentia tua dissipantur gentes!* —

4. *Praedam vestram colligunt ut bruchi, ut solent locustae discurrere, sic spolia hinc inde carpuntur.*

5. *Praepotens est Jova, coelum inhabitans, qui Sione justitiam et benignitatem manifestat.*

6. *Sapientia et prudentia immotum et firmissimum temporum tuorum praesidium sunt. Religio Jovae thesaurus tuus!*

7. *En viri fortes clamant foris; pacis legati amare flent!*

8. *Desolatae sunt viae publicae. Nemo iter suscipit, irritum est foedus. Nihil facit urbes, nullius hominis rationem habet.*

9. *Luget, languet terra, pudet Libanum quod exaruit, Saron redacta est in solitudinem, Basan et Carmel clamoribus resonant.*

10. *Nunc surgam, inquit Jova, nunc exaltabor, nunc efferar.*

11. *Gravidi estis ex palea, parietis stramen; ista arrogantia vestra ignis est, qui vos consumet.*

12. *Nationes erunt veluti in calcem combustae, veluti spinae corrasae, quae igne comburantur.*

13. *„Audite longinqui, quid fecerim, et propinqui cognoscite potentiam meam!“*

14. *Timent in Sione peccatores, tremor corripit impios. Ecquis, inquiunt, commoretur apud ignem*

 con-

consumentem? quis nostrum habitet apud focum aeternum?

15. *Qui juste vivit et recte loquitur, nec turpis lucri appetens est, qui excutit manus suas, ne prehendant munus; qui obturat aurem, ne audiat consilia sanguinaria, oculosque obstipat, ne malum videat.*

16. *Is alte habitabit, arces super petris exstructae eum recipient, panis ei non deerit, aqua ei semper scaturiet.*

17. *Regem in ornatu suo vides, terram late patentem.*

18. *Recordaris terroris illius bellici, „ubi, inquiens, est scriba? ubi appensor, ubi qui recenset turres?*

19. *Non amplius vides populum atrocem, populum sermonis ignoti, linguae peregrinae, quam non intelligis.*

20. *Aspice Sionem, civitatem conventuum nostrorum! Vide Hierosolymam, mansionem tranquillam, tentorium immobum, cujus paxilli non evelluntur; cujus funes non disrumpuntur.*

21. *Quin ibi nobis Jova praepotens, qui nobis est vice fluviorum et rivorum spatiosorum, per quos non ibit navis remigum, quosque non pervadet navis magna.*

22. *Nam Jova est judex noster, Jova legislator noster, Jova rex noster, ipse salutem nobis praestat.*

23. *Laxati sunt funes tui; non sunt apti firmare basin mali sui, aut expandere velum. Tunc divisa est praeda spolii multi; ipsi quoque claudi diripuerunt praedam.*

24. *Nec dicit ullus incola: „angores sentio.“ A populo urbem inhabitante omnis ablata est noxa.*

CAR-

CARMEN VICESIMUM NONUM.

Cap. XXXIV.

ARGUMENTUM.

Apostrophe ad omnes orbis terrarum gentes orsus (vs. 1.), vates statim denunciat, Jovam, in omnes populos iracundia exarsum, gravissime in illos esse animadversurum (vs. 2—4.). Coepisse jam castigationes excidio Idumaeorum (vs. 5—9.), quorum terra semper vastata et deserta mansura sit (vs. 10—17.).

Vastationem terrae Edomiticae a Nebucadnezare illatam carmine hoc depingi, vix dubium erit conferenti Obadiae fragmentum, et Jerem. XLIX, 7. seqq. Ezech. XXV, 12. seqq. Hinc sponte sequitur, poetam quisquis ille fuerit, vel Jeremiae vel Ezechieli coaevum fuisse.

1. וּמְלֹאָהּ *Et plenitudo ejus*, qui replent eam, sive quotquot habitant in ea. De צֶאֱצָאִים vid. supra ad Cap. XXII, 24. Recte Jonathan sensum expressit: תֵּבֵל וְכָל דְּדָיְרִין בַּהּ *orbis et omnes in eo habitantes*. Alexandrini: ἡ οἰκουμένη καὶ ὁ λαὸς ὁ ἐν αὐτῇ.

3. וְחַלְלֵיהֶם יֻשְׁלָכוּ *Et confossi eorum projicientur*, insepulti jacebunt. פִּגְרֵיהֶם יַעֲלֶה בָאְשָׁם *Et cadavera*

vera

vera quod attinet *adſcendit foetor eorum.* *Lucanus* Libro VII. Pharſalicorum vs. 821.:

Quid fugis hanc cladem? quid olentes deſeris agros?

וְנָמַסּוּ הָרִים מִדָּמָם *Et liqueſcent montes ſanguine eorum.* Quemadmodum montes aſſiduis imbribus decreſcunt, ac veluti liqueſiunt aquarum defluxu, ita tantum ſanguinis effundetur, ut diffluerent montes.

4. וְנָמַקּוּ כָּל־צְבָא הַשָּׁמַיִם *Et contabeſcet omnis exercitus coelorum.* Quae Grotius ita explicat: „aër ipſe ex ſanguine et tabo attracto obducetur turpibus nebulis, et quidem tam craſſis, ut ſiderum conſpectum adimant.“ Sed rectius meo judicio Vitringa: „metaphora plane eſt poetica, deſumta a populari praejudicio, quo coeli illi ſupremi, in quibus aſtra ſuperiora, ut *gemmae*, fulgent, ſtatuuntur eſſe ſubſtantiae non fluidae et mobilis, ſed concretae et conſiſtentis, veluti *cryſtallinae*, in qua *ſidera* certa lege et ordine, inſtar *gemmarum*, defixa ſint, et qui proinde admoto igne, vel qua alia materia naturae ſuae contraria poſſint *liqueſcere*, *diſſolvi*, et *tabi* inſtar *diffluere*.“ וְנָגֹלּוּ כַסֵּפֶר הַשָּׁמָיִם *Convolventur, inſtar libri, coeli.* Metaphora deſumta eſt ab ea ſpecie coelorum, qua dicuntur רָקִיעַ *expanſum* *), vid. Geneſ. I, 8. Pſ. CIV, 2. (*qui extendit* [נוֹטֶה] *coelos inſtar aulaei*), Jeſ. XL, 22. (*Qui extendit, ut tenue, coelos*). Ut autem libri, h. e. volumina (qualia erant veterum), in longum expanſa, circa teres ali-

*) Id enim hac voce notari, patet collato Arabico رقع, quod dicitur de *tabula*, ſeu potius *ſtrato coriaceo expanſo*, in quo exercetur *latrunculorum luſus*, in *Vita Timuri*, P. II. p. 198. ed. Manger.

aliquod lignum convoluta videntur veluti disparere; sic coelum, coorta tempestate, contrahitur in nubes et atrorem. Sic HORATIUS Epod. XIII, 1. *Horrida tempestas coelum contraxit.* 'וְכָל־צְבָאָם יִבּוֹל וגו *Et omnis eorum imago decidet, sicut decidit folium de vite, et sicut decidua de ficu.* Imago iterum desumta est a vehementiore aliqua tempestate, qua stellae, non utique verae, sed imaginariae, h. e. faculae sulphureae in aere ascensae videntur veluti e coelis in terram labi. GROTIUS: „Multa sanguinis copia multas exhalationes de se edit calidas, quae ubi in nubes incurrunt, faciunt speciem stellarum cadentium, aut, ut Seneca loquitur, *defluentium* (*Sternschnuppen*). Hic tales stellae *folio cadenti* comparantur, in Apocalypsi VI, 13. *grosso decidenti.*" Sic poeta Georg. L. I. vs. 365.:

Saepe etiam stellas, vento impendente, videbis
Praecipites coelo labi, *noctisque per umbram*
Flammarum longos a tergo albescere tractus.

Illustrandae huic imagini inserviet et hic Ammiani, calamitatem Nicomediae sub Constantio tempore terrae motus horrendi, qui per Macedoniam, Asiam et Pontum saeviit, describentis, locus Hist. Lib. XVII. Cap. VII. *Primo lucis exortu die nono Kal. Septembrium, concreti nubium globi nigrantium, latam paullo ante speciem coeli confuderunt, et amandato solis splendore, nec contigua vel apposita cernebantur, ita oculorum obtutu praestricto, humo involutus, crassae caliginis squalor insedit.*

5. כִּי־רִוְּתָה בַשָּׁמַיִם חַרְבִּי *Nam inebriatus est in coelis gladius meus.* Nil frequentius apud poetas Orientales, quam ad caedis magnitudinem designandam *gladium sanguine inebriatum* sistere, vid. not. ad Deut. XXXII, 42. et SCHNURRERUM ad Chabacuc. III, 9. in *Dissertatt. junctim editt.* p. 360. 361., et not. nostr.

 ad

ad eum loc., ubi plures similes imagines ex Arabum poetis invenies. Nisi potius hoc versu gladius in *coelo* jam *ira divina ebrius* intelligendus sit, prius quam in terram demitteretur hostium satiandus sanguine: tum apte versu sequenti gladius ille in Edomitarum terra sanguine satiatus describeretur.

6. הֻדַּשְּׁנָה מֵחֵלֶב *Impinguatus ex adipe.* Caedes nunc sacrificiis comparatur, et iis maxime, quae pro peccato fiebant, in quibus adeps et sanguis Jovae cedebant, Levit. VII. הֻדַּשְּׁנָה positum esse pro הִתְדַּשְּׁנָה ab activo דִּשֵּׁן (conf. Storrii *Observatt. ad Analog. et Synt. Hebr.* p. 157.), minus exercitatorum caussa observamus. כִּי זֶבַח לַיהוָה בְּבָצְרָה *Nam sacrificium Jovae est in Bozra.* Inter Idumaeae metropoles olim fuit *Bozra*, cujus vates hic meminit et Cap. LXIII, 1. perinde ac Amosus I, 12., et Jeremias XLIX, 13. 22. Quae urbs Idumaeae omnino distinguenda ab urbe cognomine Moabitidis, sita in Arabia Moabitica, cujus urbis inter urbes Moabitidis meminit Jeremias XLVIII, 24.

7. Omnia animalia ad sacrificia idonea in unum congregantur. Indicat magnitudinem caedis. רְאֵם, quod nonumquam *Dorcadum* quandam speciem designare, non negamus, hic tamen docente contextu, *bubali* vel *tauri* notione est accipiendum; quod confirmat Arabicae dialecti consensus, in qua ريم utramque, tam *Gazellae*, quam *bovis sylvestris* significationem habet. Vidit id jam Michaelis *Bibl. Oriental.* P. XXII. p. 109. not.

8. שְׁנַת שִׁלּוּמִים לְרִיב צִיּוֹן *Annus retributionum ad vindicandum Zionem.* Verba לְרִיב צִיּוֹן sumenda sunt acsi integre scriptum esset, לְרִיב רִיב צִיּוֹן *ad litigandum litem Sionis*, h. e. ad agendas ejus vindicias et exigendam poenam, pro injuriis, ei illatis. Tempus adest, quo

quo Jova ſe ulciſcetur de hoſtibus Iſraelis, ſumetque poenas de iis, qui injuſte contenderint cum illis. Idumaei ſemper infeſtiſſimi erant Judaeis, vid. Amos I, 11. Obad. 10. ſeqq. Thren. IV, 21. Ezech. XXV, 12. Pſ. CXXXVII, 7.

9. Prorſus devaſtandam fore Idumaeorum terram indicat, ac ſi eſſet terra picis et ſulphuris, quae perpetuo ignem alit.

10. לְעוֹלָם יַעֲלֶה עֲשָׁנָהּ *Perpetuo fumus ejus aſcendet.* Solent enim incenſarum urbium diu manere favillae et fumus. De fumo Virgilius III. *Aeneid.* vs. 3.

— — *Omnis humo fumat Neptunia Troja,*

Ubi Servius: *ruina fit brevi, fumus vero longo permanet tempore.* Seneca in *Troadibus:*

Ilium eſt illic, ubi fumus alte
Serpit in coelum, nebulaeque turpes
Troes hoc ſigno patriam videbunt.

11. וִירֵשׁוּהָ קָאַת וגו׳ *Itaque accipient eam in poſſeſſionem,* i. e. habitabunt in ea, tanquam in ſua et propria hereditate. קָאַת eſſe *Pelecanum Graculum* Linnaei, loca deſerta inhabitantem, ſatis veriſimile effecit Oedmann *Vermiſchte Sammlungen zur Naturkunde,* Faſc. III. Cap. VI. Terra illa in ſummam redigetur ſolitudinem, quam nullus hominum, ſed animalia horrenda, aſperrimis aſſueta ſolitudinibus, habitabunt. וְנָטָה עָלֶיהָ קַו־תֹהוּ וְאַבְנֵי־בֹהוּ *Et extendet ſuper eam lineam vaſtitatis et perpendiculum confuſionis.* Architecti, cum veteris aedificii partem aliquam dejicere volunt, metiuntur latitudinem linea, et altitudinem perpendiculo. Quaſi ad normam legemque omnia diruentur et vaſtabuntur; per ὀξύμωρον.

12. חֹרֶיהָ וְאֵין שָׁם מְלוּכָה יִקְרָאוּ *Ad nobiles ejus quod adtinet, non erunt ibi, quos ad regnum evocent,* ellipſis

ellipsis שַׂר אֲשֶׁר et שַׂר לְ; nemo supererit, qui regno praefici possit. Quam explicationem posterius membrum confirmat.

13. וְעָלְתָה אַרְמְנֹתֶיהָ סִירִים *Et ascendent palatia ejus in spinas.* De hac phrasi confer. not. Cap. V, 6. בְּמִבְצָרֶיהָ *In munitionibus ejus*, intra ambitum moenium quae fuere. De תַּנִּים et בְּנוֹת יַעֲנָה conf. not. ad Cap. XIII, 22.

14. De צִיִּים, אִיִּים et שָׂעִיר conf. not. ad Cap. XIII, 21. De לִילִית, vocabulo ἅπαξ λεγομένῳ, Bochartus *Hieroz.* P. II. Lib. VI. c. 9. egit, et satis probabile effecit, *spectrum esse, φάντασμα, daemonem.* Id quidem maxime confirmat lingua Arabica, in qua nomen superest, et ab utroque interprete repositum, Chaldaeo לִילִין habente, Syro ܠܠܝܬܐ, manifesto librarii errore vel editoris pro ܠܝܠܝܬܐ, quod ipsum nomen et Lexica Syrorum habent, et Bar Ali (cujus verba Michaelis ad Castelli Lexicon Syriacum dedit) *daemonem, adparentem specie ornatae feminae*, vel generatim daemonem, i. e. spectrum vertit. Nemo hic obvertet, spectra et φαντάσματα non existere. In poetica vastitatis descriptione imagines etiam a fabulis non raro peti solent. Doederlein confert Arabum ليل, quod Golius *tardam avem ejusque pullum* interpretatur, unde ille colligit esse *otidem* veterum, avem sordidam, solitudinis amicam. Sed conf. Michaelis in *Supplementt. ad Lexx. Hebrr.* P. V. p. 1442. 43.

15. קִפּוֹז distinguendum a קִפּוֹד vs. 11. recte Bochartus videtur contulisse cum Arabum قَفَّازَة *serpens jaculus*, vid. *Hieroz.* P. II. L. III. c. XI. p. 411. וַתְּמַלֵּט *Et pariet*, subintell. *ova*, q. d. pariet more gallinae, quae ponit ova. וּבָקְעָה *Rumpetque*, ruptis ovis excludet

det foetum. וְדָגְרָה בְצִלָּהּ *Et confugiet in umbram ejus,* i. e. ſub ejus umbra hoſpitabitur. דָּגַר, auctore Michaële, in *Supplemm.* p. 394. confero cum Arabum نجر *fugit;* nam *congregandi* notio, in lexica recepta, nullo argumento ſolido nititur. נִקְבְּצוּ דַיּוֹת אִשָּׁה רְעוּתָהּ *Congregati ſunt milvi femina cum ſocia ſua,* ſive *unusquisque ad ſocium ſuum:* i. e. nidulabuntur ibi milvi. דַּיָּה eſt *falco milvus* Linnaei, vid, Oedmann *Sammlungen,* Faſc. III. Cap. VIII. p. 75. ſeqq.

16. דִּרְשׁוּ מֵעַל־סֵפֶר יְיָ וּקְרָאוּ אַחַת מֵהֵנָּה לֹא נֶעְדָּרָה *Quaerite in volumine Jovae, et legite, nec unum ex illis deſiderabitur,* vos, inquit, qui fueritis in illa devaſtatione, ſciſcitamini verba Jovae per me praedicta, et deprehendetis nihil non impletum. סֵפֶר יְהוָה eſt *volumen, in quo conſcriptum eſt hoc oraculum, Jova jubente a vate prolatum.* אִשָּׁה רְעוּתָהּ לֹא פָקָדוּ *Femina cum ſocia ſua non deficient;* illorum quae dixi animantium nullum ibi deſiderabitur. כִּי פִי הוּא צִוָּה וְרוּחוֹ הוּא קִבְּצָן *Nam os ipſius praecepit, et ſpiritus ejus congregabit ea,* i. e. Jova ipſe praecepit id fieri, et ille ipſe jubebit animantia illa ibi congregari. הוּא *Ille,* poſitum eſt pro nomine Dei, *Jovae,* conf. not. ad Deut. XXXII, 39. et Vrimoet *ad Dicta Claſſ. V. T.* P. I. p. 119. Quare non eſt opus הוּא mutare in יְהוָה, ut exponunt Alexandrini, leguntque quinque Codd. Kennicotti, quamquam id praeferunt Lowthus et Doederlein.

17. וְהוּא־הִפִּיל לָהֶן גּוֹרָל *Et ipſe jecit eis ſortem,* terram hanc illis ita attribuit, ut ſolent, qui per ſortes eam asſignant. Vid. Num. XXVI, 56. וְיָדוֹ חִלְּקַתָּה לָהֶם בַּקָּו *Et partietur eam illis animalibus funiculo,* ut ſolent dividi hereditates. Sortem praecedit dimenſio, vid. Joſ. XVIII.

CAP.

CAP. XXXIV. 1. *Accedite gentes ad audiendum, et nationes attendite! Audiat tellus cum suis incolis, orbis cum sua propagine.*

2. *Irascitur Jova omnibus istis gentibus, ardet ira ejus adversus earum copias. Devovit eas, mactandas eas tradidit.*

3. *Caesi ex iis projecti jacent; cadavera eorum foetorem exhalant; montes de sanguine eorum liquescunt.*

4. *Astra coelestia contabescunt; coeli convolvuntur ut volumen; omnesque eorum exercitus decidunt ut folium de vite, ut grossus de ficu.*

5. *Nam inebriatus est in coelis ensis meus. En! in Edomitas descendit, ut vindictam sumat de populo, internecioni a me devoto!*

6. *Ensis Jovae cruore plenus, impinguatus ex adipe, ex sanguine agnorum et hircorum, ex adipe renum arietum. Nam Jovae mactatio sacrificalis est Bozrae, et mactatus magnus in terra Edom.*

7. *Coguntur bubali, tauri cum juvencis; tota terra eorum sanguine repleta, pulvis ex adipe eorum impinguatus.*

8. *Nam dies est vindictae Jovae, annus retributionis, ad vindicandum Sionem!*

9. *Flumina illius terrae in picem convertuntur, et pulvis in sulphur; quin tota terra in picem ardentem conversa est.*

10. *Diu noctuque non extinguetur, perpetuo fumus ejus ascendet. Perpetuo erit vastata, nemo umquam eo iter faciet.*

11. *Possidebunt eam jure hereditatis pelicanus atque ericius, bubo et corvus eam inhabitabunt. Ad mensuram vastabitur, ad regulam depopulabitur.*

12. *Non erunt nobiles, qui regno praefici possint, primores omnes erunt sublati.*

13. Pa-

13. *Palatiis eorum ſpinae increſcent, carduus et urtica munitionibus ejus; habitacula erunt hyaenarum, atria ulularum.*

14. *Occurrent veſpertiliones (lemures) thoibus, et ſatyrus ſocio ſuo acclamabit. Quin ſpectra ibi requieſcent, ſibique invenient quietem.*

15. *Ibi nidulabitur acontia et enitetur, excludet ova, pullique in umbra ejus hoſpitabuntur. Vultures ibi ſuos habebunt conventus.*

16. *Quaerite in volumine Jovae et in eo legite: nullum horum deficiet; nullum ibi deſiderabitur. Nam Jova ita juſſit, et flatus ejus ea congregabit.*

17. *Has ſedes eis ſorte diſtribuit et menſura certa aſſignavit. In perpetuum eas poſſidebunt, per complures generationes eas inhabitabunt!*

CAR-

CARMEN TRICESIMUM.

Cap. XXXV.

ARGUMENTUM.

Terrae Israelitarum vastatae felicior instat vicissitudo, arva deserta reflorescent, et incolae Judaeae omnium bonorum affluentia fruentur (vs. 1—7.). Exules Israelitae Zionem redeunt nullis impedimentis retardati, laetitia atque gaudio pleni (vs. 8—10.).

Carmen hoc vel eo tempore, quo exulibus Israelitis in patriam redeundi spes erat facta, vel in ipsa templi secundi inauguratione esse cantatum, mihi quidem manifestum videtur. Convenit in multis cum parte posteriore Carminis Quinti Cap. XI. XII.

---

1. יְשֻׂשׂוּם מִדְבָּר וְצִיָּה *Laetabuntur desertum et aridum.* Litteram ם in prima voce haud pauci interpretes, Aben-Esra auctore, affixum neutrale quartique casus putant, pro בָּם, sive הֵם, quemadmodum et Latini *gaudere aliquid*, *laetari rem* dicere solent, ut sensus sit, loca deserta Idumaeae gavisura de feris, quae in ipsis habitaturae sint. Quem sensum plane ineptum esse, et nulla refutatione dignum, sponte quisque intelliget. Recte Kimchius illud *Mem* pro *Nun paragogico* positum autu-

autumat, in multis futuris occurrens, veluti יִשְׁמְעוּן, יִקְצְרוּן. Kennicottus (in *Nott. Critt.* ad hoc Cap. a Lowtho editis in Prael. XX. *de ſacra Poeſi Hebraeor.* p. 238. edit. Lipſ.) ſuſpicatur, ם illud in יְשֻׂשׂוּם adhaeſiſſe ex initio vocis ſequentis, et proinde expungendum eſſe. Scilicet ſolenne erat in Hebraeis Mſſ. ad implendam lineam deſinentem, aſſumere litteram vel litteras initiales vocis ſequentis, quam tamen integram poſtea exhibent. Eadem de noſtra voce ſententia placuit Eichhornio *Einleitung in das Alte Teſtam.* P. I. p. 225. edit. ſec. Nec ego admodum refragor; et id quidem eo minus, quum nullum aliud exemplum ם in fine poſiti, loco Nun paragogici, proferri poſſit. Ceterum per *deſertum*, cujus hic mentio fit, multi ſunt, qui intelligant *Idumaeam*, cujus mutatio in deſertum praedicitur in Capite praecedente, quod cum noſtro conjungendum, ut in unum carmen, cenſent. Quod male ſtatui puto, quum ea quae ſequuntur, manifeſte oſtendant, de Judaea, adhuc deſerta jacente, ſed aliquando priſtinis incolis reddenda, eſſe ſermonem.

2. פָּרֹחַ תִּפְרַח וְתָגֵל אַף גִּילַת וְרַנֵּן *Efflореſcet eximie et exultabit, idque exultatione cum cantu ſive exultatione, et quidem jubili.* Notum eſt, ſtatum conſtructum nomini particula intercedente non inſcite jungi, ut שִׂמְחַת בַּקָּצִיר *laetitia meſſis*, Eſaj. IX, 2., et licentius שְׁכֻרַת וְלֹא מִיָּיִן *ebria, at non vino*, LI, 21. Aut quod enallagen conſtructi ſtatus pro abſoluto dicere liceat, in his ſimilibusque: מֵי הַמָּרִים, pro הַמַּיִם הַמָּרִים, *aquae illae amarae* Num. V, 18., מַכַּת בִּלְתִּי סָרָה *plaga non recedens* Eſaj. XIV, 6., חָכְמַת וָדָעַת *ſapientia et ſcientia* XXXIII, 6. Pro גִּילַת וְרַנֵּן apud Alexandrinos legitur, τὰ ἔρημα τοῦ Ἰορδάνου· unde Kennicottus גִּירַת יַרְדֵּן *ripa Jordanis*, ab illis in Hebraeo lectum, idque lectioni Maſorethicae praeferendum cenſet. Sed recte huic con-

jecturae opponit Kocherus, in libris Hebraicis nonnisi plurale גֻּלּוֹת a גֻּלָּה occurrere, nusquam גִּילוֹת a גִּיל. At reperto in aliquot codicibus גלת, absque littera י, cum Hubigantio Lowthus ex Jos. XV, 19., ubi גֻּלֹּת *scatebrae*, leguntur, *irrigua Jordanis* maluit, unde vertit: *auch frohlocke die wässerreiche Flur des Jordans.* Verum in tali constructione גֻּלֹּת הַיַּרְדֵּן scribi solere, merito, meo judicio, Kocherus monet. כְּבוֹד הַלְּבָנוֹן נִתַּן לָהּ *Gloria Libani data est ei*, terrae desertae, i. e. arboribus abundabit, sicut Libanon repletus est cedris, quae saepe ejus *decor* vocantur, veluti Cap XIV, 8. LX, 13. הֲדַר הַכַּרְמֶל וְהַשָּׁרוֹן *Decor*, i. e. laetae segetes, *Saronis et Carmeli*, foecunditatem indicat. הֵמָּה יִרְאוּ כְבוֹד יְהוָה *Illi videbunt gloriam Jovae.* Potentem Jovae tutelam experientur. Id enim saepe est *videre* Hebraeis.

3. חַזְּקוּ יָדַיִם רָפוֹת וּבִרְכַּיִם כֹּשְׁלוֹת אַמֵּצוּ *Confirmate manus lassas*, et genua *labantia*, nutantia, *confortate*, i. e. animo bono sitis, animum capite, conf. vs. sequ. Vires hominis in brachiis et cruribus maxime consistunt; metus autem et brachia remittit, et genua dissolvere videtur.

4. נִמְהֲרֵי־לֵב *Festinos corde* vocant Hebraei eos, in quibus cor palpitat, quod meticulosorum et pusillanimorum est. הִנֵּה אֱלֹהֵיכֶם נָקָם יָבוֹא *En Deus vester! ultio veniet.* Haec eo sunt referenda, quod Israelitis, profligato Babylonico regno, reipublicae Judaicae infestissimo, sicque vindicatis injuriis, quas Israelitae ab illis perpessi erant, in patriam redeundi potestas est facta. Conf. supra Cap. XIV, 1. 2. et not. ad loc.

5. 6. Imagines poeticae, quae hoc sibi volunt, laetitiam de felicissima illa mutatione communem fore, et universam. אָז תִּפָּקַחְנָה עֵינֵי עִוְרִים *Tunc aperientur*

tur oculi caecorum. Tunc etiam ſtupidiſſimi intelligent, quam faveat ſuis Jova. אָז יְדַלֵּג כָּאַיָּל פִּסֵּחַ *Tunc ſaliet ſicut cervus claudus.* Etiam prae ſenio aut morbo tardi alacres fient, et laetitiam externis motibus prodent. וְתָרֹן לְשׁוֹן אִלֵּם *Et lingua muti ovabit.* Etiam infauſtiſſimi Dei laudes canent. כִּי נִבְקְעוּ בַמִּדְבָּר מַיִם וּנְחָלִים בָּעֲרָבָה *Quod perrumpent in deſerto aquae, et torrentes in ſolitudine.* Hoc dicent omnes, magnam et proſperam factam eſſe rerum mutationem.

7. וְהָיָה הַשָּׁרָב לַאֲגַם *Eritque ardor deſerti in ſtagnum.* Vocabulum שָׁרָב conferendum eſt cum Arabum سَرَاب, quod dicitur de vapore, qui tempore meridiano in locis deſertis eminus ſpeciem aquae habet, quem radii ſolis repercuſſi ex arena efficiunt. Tebrizius, Hariri Scholiaſtes, ad *Conſeſſ. V.* p. 171. edit. Schultens. de سراب haec habet: هو ماء يري في الفلاة من ضوء الشمس وقت الظهيرة يسرب علي وجه الارض كانّه ماء يجري, i. e. *eſt ſpecies aquae, quae in deſerto apparens ad ſplendorem ſolis tempore meridiano, fluit liberius in ſuperficie terrae, haud ſecus ac aqua fluens.* Gelaleddin ad *Coran. XXIV*, 40. de سراب haec dicit: وهو شعاع يُري فيها نصف النهار في شدّة الحرّ يشبه الماء الجاري *eſt quidem ſplendor lucidus, qui apparet in illis deſertis in meridie, cum calor ſolis eſt vehementiſſimus, ſimilisque eſt aquae currenti.* Reiskius ad Tarafh. vs. 3. p. 49. *Confragoſa et hiantia montium valliumque praecipitia, ardentesque illi vapores, qui jactare omnia fluctuum inſtar et pellere videntur,* سراب *dicti Arabibus, de quibus Curtius,*

 pul-

pulcre maris quaſi rictus et tremendas undarum profunditates et violentiam exhibent. Conf. eundem Reiskium ad verſion. germanic. *Carminis Tograi*, p. 31. not. X. Curtius Lib. VII. Cap. 5. *Arenas vapor aeſtivi ſolis accendit — camporumque non alias, quam vaſti et profundi aequoris ſpecies eſt.* Thom. Hyde in *Annott.* ad Peritſolii Itinera Cap. 11. *Dictum nomen* (Batca) *ſplendorem ſeu ſplendentem regionem notat; cum ea regio radiis ſolaribus tam copioſe colluſtretur, ut reflexum ab arenis lumen adeo intenſe fulgens, a longinquo ſpectantibus, ad inſtar corporis ſolaris, aquarum ſpeciem referat; et hinc arenarum ſplendor et radicatio dicitur* [voce Perſica] سراب, Serab, i. e. *aquae ſuperficies, ſeu ſuperficialis aquarum ſpecies.* Hic vapor ſaepe viatores deludit, ut eum pro aqua ſtagni aut lacus habeant (quo ſaepe alluditur in Corano, e. c. Sur. XXIV, 40. *Impiorum opera ſunt* كَسَرَابٍ بِقِيعَةٍ يَحْسَبُهُ الظَّمْآنُ مَآءً, *ſicut vapor in deſerto, quem ſitibundus aquam reputat*). Sic elegans eſt oppoſitio inter שָׁרָב et אֲגַם. Hoc igitur, quod ardente coelo aequoris ſpeciem refert, id non jam ſubtili arena, ſed aquis fluctuabit. בִּנְוֵה תַנִּים רִבְצָהּ חָצִיר לְקָנֶה וָגֹמֶא *In habitaculo* (ſubint. אֲשֶׁר, *in quo*) *dracones accubitus ejus*, pro *dracones accubitus eorum*, et quae ſequuntur. Nam affixum femininum in רִבְצָהּ referri ad תַּנִּים, neminem offendet, qui ſciat, non Arabes modo idem affixum ſingulare femininum cum pluralibus utriusque generis conjungere, et verborum perſonam tertiam ſingularis femininam pluralibus iisdem addere (conf. Michaelis *Arabiſche Grammatik*, §. 70.); ſed et apud Hebraeos eosdem dicendi modos ſubinde obſervari. Veluti Malach. II, 2. *Maledicam* אֶת־בִּרְכוֹתֵיכֶם וְגַם אָרוֹתִיהָ, *benedictionibus veſtris, et quoque male-*

dixi

dixi ei, h. e. huic rei, fcil. benedictionibus veftris. Thren. I, 13. *Laxavit fulmen* בְּעַצְמֹתַי וַיִּרְדֶּנָּה *in offa mea, et elifit eam*-rem, fcil. offa mea. Sumitur igitur pronomen fingulare femininum affixum, hoc modo fe referens ad nomen plurale vel mafculinum vel femininum, fenfu neutrali, vid. Schroederi *Syntax. Pronomm.* Reg. XXXV, c., ubi plura exempla hujus dicendi moris invenies. Superflua igitur eft mutatio τῆ רִבְצָהּ in רִבְצִים, ut concordet cum תַנִּים, quam Kennicottus facere jubet. Verba חָצִיר לְקָנֶה וָגֹמֶא interpretes plerique fumunt hoc fenfu; *gramen in arundinem et juncum vertetur*, i. e. locis arentibus aeftuque torridis pro fterili tenuique gramine arundo et juncus provenient, talis aquarum erit copia. Sed quia *juncus* faepe ut ferarum beftiarum habitaculum fiftitur, veluti Pf. LXVIII, 31. (conf. Oedmann *Sammlungen aus der Naturkunde*, Fafc. I. p. 41. feqq.), ego veterim: *gramen orietur pro junco et papyro*, ubi antea junci paluftres et arundines, ferarum cubilia, erant, ibi gramina et herbae, pecorum pafcua, orientur. ל faepe *pro* notare, notiffimum eft.

8. Conf. Cap. XI, 16. דֶּרֶךְ הַקֹּדֶשׁ יִקָּרֵא לָהּ *Et via fancta appellabitur ea.* Quare *via fancta* vocanda fit illa via, oftendit, quod ftatim fequitur, לֹא־יַעַבְרֶנּוּ טָמֵא *nullus pollutus eam pertranfibit*, i. e. nemo ibi fpectabitur praeter illos qui ad populum Jovae peculiarem (הַקֹּדֶשׁ) pertinent, nullus idolorum cultor. וֶאֱוִילִים לֹא יִתְעוּ *Et ftulti non errabunt.* Ne imperiti quidem viae ab ea deerrabunt. Recto tramite, qui breviffimus, fine tortuofis anfractibus, quibus ignari poffent decipi, ambulabunt.

9. Ferae, quae fecuritatem turbant viatorum, non funt timendae. וְהָלְכוּ גְּאוּלִים *Et ibunt redemti*, in

libertatem asserti. Ibique ambulabunt ii, quos Jova tot malis eripuit.

10. וּפְדוּיֵי יְהוָה *Redemti a Jova*, Judaei, qui exitio erepti multis in locis exsulaverant, supra XI, 11. יְשֻׁבוּן *Redibunt* in patriam. וְשִׂמְחַת עוֹלָם עַל־רֹאשָׁם *Et laetitia aeterna* erit *super caput eorum.* Alluditur ad oleum, quo diebus laetitiae publicae caput perungi solebat. Cf. Cohel. IX, 8. *Sint vestes tuae omni tempore albae,* וְשֶׁמֶן עַל־רֹאשְׁךָ אַל־יֶחְסָר *et oleum super caput tuum non desit.* Et Luc. VII, 46. Ἐλαίῳ τὴν κεφαλήν μου οὐκ ἤλειψας.

CAP. XXXV. 1. *Laetatur desertum siticulosum, gaudet solitudo, floret tanquam rosa.*

2. *Valde floret, et exultat jubilo et gaudio magno. Libani decore, Carmeli et Saronis splendore ornatur. Vident gloriam Jovae, majestatem Dei nostri.*

3. *Firmate manus remissas, et genua labantia roborate.*

4. *Dicite hominibus meticulosis: fortes estote; nolite timere. Ecce Deus vester, ultio venit, retributio Dei, ipse venit, salvator.*

5. *Tunc aperientur oculi coecorum et aures surdorum reserabuntur.*

6. *Tunc saliet claudus, tanquam cervus, et lingua muti jubilabit. Nam erumpent in deserto fontes, et flumina in solitudine.*

7. *Tunc vapor arenae apparens mutabitur in stagnum, et loca siticulosa in aquarum scaturigines. Ubi antea ferae bestiae jacebant, ibi pro junco et arundine gramen orietur.*

8. *Exi-*

8. *Existet ibi via aggerata, quae via sancta vocabitur, quam nullus profanus ingredietur. Solis ipsis strata erit, qua iter facientes ne simplicissimi quidem errabunt.*

9. *Non erit ibi leo, nec violenta fera ulla eam adscendet, aut ibi conspicietur. Sed ibunt redemti.*

10. *Jovae vindicati revertentur et venient Sionem cum jubilo, sempiterna caput perfusi laetitia, laetitia et gaudium eos consequentur, et fugient moeror et gemitus.*

LIBRI PARS HISTORICA.

Cap. XXXVI — XXXIX.

A R G U M E N T U M.

Sequitur compendium historicum rerum memoratu dignarum sub rege Hiskia, spatium duorum aut trium annorum complectens. Primo historia expeditionis Sanheribi, Capp. XXXVI. et XXXVII. Deinde historia morbi lethalis Hiskiae, curatio ejus miranda, et carmen eucharisticum pro recuperata valetudine, Cap. XXXVIII. Tandem narratio de legatis a rege Babylonis Hierosolymam missis, qui Hiskiae restitutam valetudinem gratularentur, Cap. XXXIX.

Disputatur, *utrum Jesajas hanc historiam composuerit ipse et in hunc librum digesserit, an quis alius?* Prior quidem sententia, si eam in se spectes, non destituta est omni probabilitate. Quum enim prophetae passim manus admoverint ad conscribendam historiam sui temporis, ut ex exemplis Gadis, Nothanis, Abiae, Iduntis, liquet, et Jesajas ipse conscripserit res gestas Usiae (2 Chron. XXVI, 22.); verisimile esse possit, et eventus memoratu dignos temporis Hiskiae, in quibus ipse Jesajas personam sustinuit insignem, ab illo memoriae mandatos esse. Cui sententiae praeterea favere videtur locus 2 Chron. XXXII, 32. Re tamen penitius per-

perpenſa; ſunt quaedam, quae dubitare nos jubent, hanc, quae ſequitur, particulam hiſtoricam Jeſajae ipſi tribuere. Primo enim ille Chronicorum locus huic ſententiae non patrocinatur, vide notam noſtram ad libri hujus Jeſajani inſcriptionem. Deinde conferenti hanc hiſtoriam cum ea, quae extat in *libro Regum poſteriore* a vs. 13, Cap. XVIII. usque ad vs. 20. Cap. XX. clariſſime patet, hiſtoriam hanc, ut in noſtro hoc libro legitur, eſſe transſcriptam et quidem contractam ex libro Regum. Hinc probabile videri poſſit, hiſtoriam libri Regum eſſe typum, ad quem noſtra excerpta ſit; reſciſſis, quae videri poterant ad corpus ipſum hiſtoriae minus neceſſaria, et neceſſariis tantum, quae ad ſummam hiſtoriae ſufficerent, retentis. Quum tamen inter hanc noſtram, et eam, quae in Regum libris legitur, hiſtoriam, aliae quoque haud paucae variationes occurrant; probabilius videtur, utramque illam eſſe compendium majorum et longe ampliorum commentariorum, quos in hiſtoriam regum Judaeorum olim extitiſſe, teſtatur locus inſignis 2 Regg. XX, 20. *et cetera Hiskiae, et omnis potentia ejus — — ſcripta ſunt in diurnis Commentariis regum Judae.* Ex illis majoribus commentariis igitur, ex quibus Regum libri excerpti ſunt poſt exilium demum Babylonicum (nam in exilio hiſtoria in illis narrata, terminatur, et vide praeterea Eichhornii *Einleitung in das Alte Teſtam.* P. II. §. 484.), et ea, quam nos hic habemus, particula hiſtorica videtur deſumta. Illi enim, qui vaticiniorum hanc Syllogen, quae a Jeſaja nomen fert, digeſſerunt, quum viderent hiſtoriam illam ad intellectum nonnullorum, quae ſupererant, Jeſajanorum oraculorum, plane neceſſariam eſſe, non ingratum poſteris facturos intellexerunt, ſi eandem, reſectis non plane neceſſariis, paullo contractiorem huc transferrent. Idem hoc fecerunt illi, qui Jeremiae oracula collegerunt; ſubjecerunt illis notitias

historicas, maxime necessarias, quae quum non minus saepe, quam hae nostrae, saepe convenirent cum secundo Regum libro, et ipsae cum eo ex communi illo commentariorum prolixiorum fonte haustae videntur. Hac assumta hypothesi simul patet ratio mutationum inter nostrum, et Regum librum extantium. Ceterum conferri meretur cum hic dictis Eichhornius *Einleitung in das Alte Testam.* P. III. §. 526. p. 73. 74.

Cap. XXXVI.

1. עַל־כָּל־עָרֵי יְהוּדָה הַבְּצֻרוֹת וַיִּתְפְּשֵׂם *Contra omnes urbes Judaeae munitas, easque cepit.* Cum primam adversus Judaeam expeditionem susciperet Senacheribus, videtur cum majore copiarum suarum parte iter per Judaeam directe instituisse Aegyptum versus, vid. ad Cap. X, 28, quando primo terrore perculsi incolae Judaeae viros et agros plerique deseruerunt, et urbes plerasque *munitas* dictas (sed, ut probabile est, *minus probe munitas*, curatasque) hosti occupandas dediderunt. Nec tamen *omnes*, sed regi in expeditione obvias; quo in Aegyptum digresso, Judaei consilio et cura Hiskiae provide pro ratione temporis eas muniverunt, atque adeo animis jam paulo confirmatioribus regi redeunti ex Aegypto eas obiecerunt, ut occurrent exempla in *Libna* et *Lachisa*, infra Cap. XXXVII, 8.

2. וַיִּשְׁלַח מֶלֶךְ־אַשּׁוּר אֶת־רַבְשָׁקֵה *Misitque rex Assyriae Rabsacen.* Praetermittuntur hic, quae ἀμέσως consequentia in libro Regum II. Cap. XVIII. vs. 14. 15. 16., nos docent, Hiskiam per legatos ad Senacheribum missos Lachisam tum confessione culpae defectionis, tum munere oblato, conatum esse, animum regis offensi placare,

care, vel saltem mitigare. Est autem probabile, quae hic narrantur, gesta esse, postquam rex Assyrius redierit ab expeditione Aegypti, vid. Josephi *Antiqq.* Lib. X. Cap. 1. §. 1., et *Usserium* ad Ann. 710. ante C. N. Pro רַבְשָׁקֵה plenius in historia libri Regum dicitur: deinde misit rex Assyriae Tartanem, Rabsaribum et Rabsacen ad Hiskiam; sed quum Rabsaces unus ex legatis verba fecerit, forsan quod Hebraei idiomatis peritior esset, solus appellatur, et narratio de illo continuatur in *Singulari*; in *libro Regum* vero in *Plurali*. *Rabsace* nonnulli, Clerico auctore, pro nomine appellativo habent, quod indicet munus hominis, qui *princeps potionis*, sive regi a *poculis* fuerit, qualem Pharao habuit (רַב *princeps*, et שָׁקָה *potum ministrans*, *pincerna*), Genes. XL, 2. 23. שַׂר הַמַּשְׁקִים *princeps pincernarum*. מִלָּכִישׁ *E Lachisa*. Urbs erat ditionis tribus Judae, sita in *Campestri* sive humilioris et planioris terrae tractu (qui *montano* oppositus שְׁפֵלָה *planities* dicebatur) ad Occidnum Hierosolymorum, austrum versus, ut colligere est ex Josuae Cap. X, 31. XV, 39. coll. cum vs. 33., unde simul patet, urbem fuisse antiquam, reguli alicujus Amorraei, a Josua devicti, sedem. Erat urbs sub regibus Judae munitissima (quo alluditur Mich. I, 13.), haud dubie opposita excursibus Philisthaeorum. Conf. Relandi *Palaest.* p. 494. 505. 870. Hinc, si verum est, quod supra supposuimus, Senacheribum ex Aegypto venisse consilio tentandi Hierosolyma; obviam sibi habuit *Lachisam*, nihilque magnopere proficere potuit, antequam eam non expugnasset. בְּחֵיל כָּבֵד ad verbum non est vertendum; *cum copia magna*, id enim Hebraice esset בְּחַיִל כָּבֵד, hic vero חֵיל in *statu constructo* positum est: sed elliptice positum est pro: בְּחֵיל עַם כָּבֵד *cum copia multi populi*. Videtur Sancheribus, ut terrorem incuteret Hiskiae, et populo Hierosolymitano, partem copiarum suarum cum legatis, *Tartane*, *Rabsa-*

ribo

ribo (2 Reg. XVIII, 14.) et *Rabsace* misisse. Inde in libro Regum unus tantum *Rabsaces* ad regem reversus legitur, ut *Tartanes* apud copias permanserit, nova per Rabsacen a rege exspectans mandata: conf. supra Cap. XXII, 6. 7. seqq. Quod autem 2 Chron. XXXII, 9. dicitur, *Sancheribum fuisse apud Lachisam cum toto dominatu suo* (וְכָל־מֶמְשַׁלְתּוֹ), intelligendum haud dubie est de regis comitatu et impedimentis. Mos enim erat Assyriis et Persis, omnem copiam et magnificentiam aulae suae in expeditionibus bellicis adeo ostentare. De verbis quae sequuntur, בִּתְעָלַת הַבְּרֵכָה וגו׳ vid. not. ad Cap. VII, 3. Legati ab Occidente progressi Hierosolyma versus hac via perducti sunt usque ad murum Zionis, in tractu urbis occiduo, apud *aggerem sive viam stratam* (מְסִלַּת), quae proxima agro fullonum (שְׂדֵה כוֹבֵס) excurrebat ad *piscinam superiorem*; adeo ut sub murum stantes intelligi potuerint a populo, qui murum urbis conscenderat; ut patet ex vs. 11.

3. De *Eliakimo* conf. supra ad Cap. XII, 15. 20. *Sebna* vocatur סֹפֵר *scriba*, cujus munus apud veteres Graecos et Asiae populos satis honestum fuit. Nepos in *Eumene* Cap. I. *Fulgebat enim jam in adolescentulo indoles virtutis: itaque eum habuit* (Philippus, Amyntae filius) *ad manum scribae loco, quod multo apud Graecos honorificentius est, quam apud Romanos, nam apud nos revera, sicut sunt, mercenarii scribae existimantur: at apud illos contrario nemo ad hoc officium admittitur, nisi honesto loco, et fide atque industria cognita, quod necesse est, omnium consiliorum eum esse participem.* Vere ἀρχιγραμματεὺς, quo officio pariter functus est apud Alexandrum, quomodo vocis sensum recte reddidit Plutarchus. Curtius in historia Darii non semel eadem hac voce *scribae* hoc sensu utitur. Conf. 2 Sam. VIII, 17. Esth. III, 12. Jerem. XXXVI,

XXXVI, 10. הַמַּזְכִּיר Hieronymus bene reddidit: *a Commentariis.*

4. הַמֶּלֶךְ הַגָּדוֹל *Rex ille magnus*, epitheton valde usitatum regum veterum Assyriorum et Persarum, vid. supra ad X, 8. XXX, 33.

5. אָמַרְתִּי אַךְ־דְּבַר־שְׂפָתַיִם וגו׳ *Dixi certe verbum labiorum; consilium et vis ad bellum.* Est in his verbis, quod exerceat interpretes, et eo quidem magis, quod alia lectio extat in loco parallelo 2 Reg. XVIII, 20. ubi pro אָמַרְתִּי *dixi*, habetur אָמַרְתָּ *dixisti.* Hieronymus Hebraeis haec tantum supposuit latina: *aut quo consilio vel fortitudine rebellare disponis?* Quum singula non assequeretur, visus sibi est satisfacere officio, si sensum sententiae daret, qualem mente conceperat. Alexandrini hunc versum sic reddunt: Τί πεποιθὼς εἶ· Μὴ ἐν βουλῇ ἢ ἐν λόγοις χειλέων παράταξις γίνεται· καὶ νῦν ἐπὶ τίν πέποιθας, ὅτι ἀπειθεῖς μοι· Vides et illos sensum utcunque dedisse. Syrus pro אָמַרְתִּי videtur legisse אָמַרְתָּ, sensumque sic reddit: *et dicis, quod sit in te verbum labiorum et prudentia et fortitudo ad bellum;* satis obscure. Doederlein vertit: *quaero ex te, num in verbis sapientia virtusque bellica consistat?* Sensus quidem aptus. Sed utrum verba hebraea eum admittant, jam dubitavit Dathius, qui praeterea recte observat, *verba labiorum* omnino indicare *verba inania, subtilia*, et sequentia dicere, quae sint verba illa inania Hiskiae: *consilium et fortitudo ad bellum*, scil. mihi sunt, non desunt mihi. Commendatur haec sententia etiam eo, quod ea assumta, verborum nostrorum sensus non differt ab iis, quae in loco parallelo 2 Regg. XVIII, 20. leguntur. Potes enim: *dixisti tantummodo verba inania, dum consilium et robur ad bellum gerendum tibi non deesse affirmasti;* sive: *quod consilium et robur ad bellum gerendum tibi non deesse, affirmas, id ego*

ego verba tantum vana et inania dico; cui enim confidis et quae sequuntur; utrumque perinde erit. עַתָּה עַל־מִי בָטַחְתָּ כִּי מָרַדְתָּ בִּי *Nunc in quo confidis, quod adversus me rebelles*, i. e. quod mandatis meis te morigerum non praesies, nec deditionem facias urbis. Perpenderat quidem Hiskias mulctam ab Assyrio impositam vid. 2 Regg. XVIII, 14. 15. 16. sed munivit urbem contra hostis irruptionem, 2 Chron. XXXII, 2—8. Hinc quod Hiskias imperatam sibi urbis deditionem recusaret, id Rabsaces rebellionem vocat.

6. בָּטַחְתָּ עַל־מִשְׁעֶנֶת הַקָּנֶה הָרָצוּץ *Confidis scipioni arundinis infractae.* Vox רָצוּץ hic proprie notat arundinem ex agitatione venti tempestatisque gravioris et quassatione laesam; non tam prorsus fractam, quam semifractam, *fressam*, ut prisci Latini dixerunt. Nec sine caussa metaphoram desumsit de *calamo*. Ut enim hic in *Aegypto* apud Nilum et alveos ejus, ac paludes Aegypti frequens nascitur (conf. cap. XIX, 6.); sic fuit olim inter Aegypti symbola, ut palma Judheae. Id certe clare patet ex Ezech. XXIX, 6., in prophetia de Aegypto, ubi hoc emblema repetitur ad quem loc. cf. Not. Vocat vero Aegyptum *arundinem infractam*, quod, postquam Salmanassar bellum gessisset cum Aegyptiis et Cuschaeis per *triennium*, vires hujus regni magis adhuc frangerentur ab ipso Sancheribo, qui cum potissima copiarum suarum parte expeditionem suscepit, eamque tentavit, etsi non liqueat, quo effectu et successu. Videtur tamen Aegyptum affecisse aliquo damno; quum Cuschaei, quibus praecipue defensoribus Aegyptus cum rege suo Sethone hoc tempore nitebatur (vid. Cap. XVIII.), non essent parati ad Sancheribum repellendum; expeditionem enim hanc Sancheribi fuisse inopinatam, ex Chronicorum Lib. II. Cap. XXXII. patet. אֲשֶׁר יִסָּמֵךְ אִישׁ עָלָיו וּבָא בְכַפּוֹ וּנְקָבָהּ *Super quo fulcitur*

tur quis, subibit volam ejus eamque pertundet. Altera pars τῆς ἀποδόσεως his verbis comprehenditur, altera vero reticetur, quippe quae ex ipsa προτάσει, sive ex similitudine proposita, facile colligi posset. Prima pars ἀποδό-σεως hic non expressa, sed subintellecta est; Hiskiam, Aegyptio fidentem, cum ipso casurum esse, ut solent, qui calamo arundineo semifracto innituntur, Aegyptium enim regem, aegre se ipsum sustinentem, Hiskiae sustinendo imparem esse. Altera apodosis est, quae hic ipsa exhibetur: ut enim qui *calamo acuto et tenui*, quem manus suae vola complexi fuerint, acrius et toto corpore nituntur, metuere debent vulnus, ne forte canna volam subeat, eamque perforet; sic Hiskiam regi Aegyptio, hoc tempore modicis viribus circumscripto, innitentem, facile sibi conciliaturum esse noxam. כֵּן פַּרְעֹה מֶלֶךְ־מִצְרַיִם לְכָל־הַבֹּטְחִים עָלָיו *Talem se Pharao, Rex Aegypti, praestat omnibus, qui in eo confidunt.* Respicit ad id, quod Ephraimitarum, et forte Syriae quoque reges, certe Philisthaei, Aegyptio nixi, ejusque opem implorantes, ab ipso destituti fuerint, vid. Cap. XXX, 3. seqq.

7. כִּי־תֹאמַר אֵלַי *Et si mihi dixeris*, veluti de Hiskia. Sed in *Lib. Regg.* וְכִי תֹאמְרוּן אֵלַי, *et si dixeritis mihi*, quod melius respondet sequentibus: *Jovae Deo nostro confidimus.* Utraque tamen lectio ferri potest. הוּא אֲשֶׁר הֵסִיר חִזְקִיָּהוּ אֶת־בָּמֹתָיו וְאֶת־מִזְבְּחֹתָיו *Nonne is ipse est, cujus altaria et celsa Hiskias amovit?* Audiverat Assyrius fama aliquid de abolitione idolorum, ab Hiskia facta, quae narratur 2 Regg. XVIII, 4. 2 Chron. XXVIII. Sed male illud intellexit, et veterem religionem a rege immutatam opinatus est. וַיֹּאמֶר לִיהוּדָה וְלִירוּשָׁלַם לִפְנֵי הַמִּזְבֵּחַ הַזֶּה תִּשְׁתַּחֲווּ *Et dixit Judae atque Hierosolymis: ante altare hoc adorabitis,* scil. Deum. Intelligit altare in templo Hierosolymitano, uni-

unicum, solum, ut patet ex *Lib. Regg.: ante altare hoc adorabitis* בִּירוּשָׁלָ͏ִם *Hierosolymis.*

8. Irridet Hiskiam ob defectum equitatus, *fac, inquiens, sponsionem cum domino meo, rege Assyriae, ut, si tibi duo millia equorum dederit, tu totidem equites sistas!* Non ad virorum paucitatem id referendum est, sed eo, quod pauci admodum Judaeorum equitandi artis periti essent; nam post Jothamum reges Judaeae nullum equitatum aluerunt: hinc partem Judaeorum ab Aegyptiis equitatum petiisse vidimus supra Cap. XXX. XXXI. Pro הַמֶּלֶךְ in *Lib. Regg.* legitur אֶת־מֶלֶךְ, utrumque bonum.

9. וְאֵיךְ תָּשִׁיב אֵת־פְּנֵי פַחַת אַחַד עַבְדֵי אֲדֹנִי הַקְּטַנִּים *Quomodo ergo cogitas avertere* (ut 2 Regg. XVIII, 14.) *vel unum praefectum servorum domini mei minimum?* Tu quomodo vel uni minimo duci, domini mei vasallo, resistere audeas? וַתִּבְטַח לְךָ עַל־מִצְרַיִם לְרֶכֶב וּלְפָרָשִׁים *Sed confidis Aegypto curruum et equitum caussa.* Praefixum ל ante voces רֶכֶב et פָּרָשִׁים hic non tam: *quod adtinet ad* vertenda, quam potius *caussam* indicare videtur.

10. וְעַתָּה הֲמִבַּלְעֲדֵי יְהוָה וגו' *Et nunc, an praeter Jovam, i. e. invito Jova, ascendi in terram hanc ad eam vastandam? Profecto ipse jussit Jova hanc provinciam aggredi, et devastare.* Cum tu, Hiskia Rex, et qui in partibus ejus estis, jactetis, Jovam vobis propitium causam vestram suscepturum; aio ego, vos turpiter falli; ego enim Jova ipso jubente hanc expeditionem suscepi: frustra itaque illi fiditis tanquam propitio, quem vobis experiemini adversum. Vitringa putat, id non mendacium fuisse, a Rabsace inventum; sed illum dicere voluisse, *se non absque monitu et hortatu ejus numinis, quod ipse pro vero Deo habuit, hanc expe-*

expeditionem suscepisse, vel quod a prophetis et hierophantis Assyriis (absque quibus consultis Orientales rerum gravioris momenti nihil aggrediebantur) ad hoc iter fuerit incitatus (tunc vocem יהוה hic sumeret *appellative*, ut saepe sumitur, pro eo numine, quod ipse pro vero Deo habuit); vel quod ad illum pervenerit fama vaticiniorum hac de re a Jesaja editorum, in quibus saepius ille praedixerat, Jovam missurum esse Assyrium ad castigandos Judaeos, veluti Cap. X, 6. VIII, 6.

11. Pro אֶלְיָקִים in *Lib. Regg.* est: *Eljakimus, filius Hiskiae;* et pro שֶׁבְנָא ibi scriptum est שֶׁבְנָה. — אַל־תְּדַבֵּר אֵלֵינוּ יְהוּדִית *Ne loquere ad nos Judaice*, i. e. lingua Hebraea, sive Cananaea, ut Neh. XIII, 24. Bene Vitringa observat, hanc notionem vocabuli יְהוּדִית novam esse, et circa hoc tempus demum usurpari coeptam, postquam Ephraimitae abducti essent Babylonem. Ante hoc tempus enim linguam non magis dici potuisse *Judaicam* quam *Ephraimiticam;* sed eversa Ephraimitarum republica omnes Jacobitas censeri coepisse sub *Judaeis*, et nomen *Judaeorum* evasisse nomen totius gentis et religionis. Nomen יְהוּדִי *Judaeus*, de *tota gente*, *Judaeis* et *Ephraimitis* usurpatum tantum invenitur in libris post tempus Μετοικεσίας Babylonicae scriptis, veluti Nehem. II, 7. 9. Esr. VIII, 36. 2 Chron. XXXII, 18. Esther IX, 29. 31. X, 3. etc. Jesajas ipse, quod hic appellatur יְהוּדִית *Judaice*, vocat supra XIX, 18. שְׂפַת־כְּנַעַן. Ceterum ex hoc etiam loco liquet, quod monumentis et reliquiis antiqui aevi confirmatur, Syros et Assyrios eadem usos fuisse lingua; hinc *Assyrii* scriptoribus exoticis *Syri* quoque dicti sunt.

12. וַיֹּאמֶר רַבְשָׁקֵה וגו׳ *Rabsace vero respondit: num putatis me a domino meo missum esse, ut cum domino vestro et vobiscum his de rebus agerem, et non potius ad milites istos, qui murum tenent, et vobis-*

cum merdam suam comedere, et urinam bibere cogentur? Scilicet, si urbs forte arcta premeretur obsidione, ut hoc ipso cogeretur ad deditionem. Liquet ex tota historia antiqua, artem urbium per obsidionem expugnandarum a populis veteribus minus excultam fuisse: hinc saepe haeserunt in munitatum urbium obsidione per plures annos. Sic Samaria per triennium vim Salmanassaris sustinuit, et tantum fere temporis Hierosolymorum urbs Nebucadnezarem delusit. Ceterum observandum est, Masorethas vocibus חראיהם et שיניהם, nimio verecundiae studio, puncta vocalia aliarum vocum supposuisse, quas praeteritis textualibus pro iis legi voluerunt. Voci חראיהם substituerunt puncta vocis צוֹאָתָם, in hanc formam: חֲרָאֵיהֶם, et voci שיניהם puncta vocum מֵימֵי רַגְלֵיהֶם, in hunc modum: שֵׁינֵיהֶם. Idem in aliis quoque locis fecerunt, quae recenset Cappellus in *Crit. Sacra* Lib. III. Cap. VI. p. 204. ed. Vogel., qui idem recte observavit, חָרָא esse conferendum cum Arabum خرى *alvum exoneravit, cacavit;* cf. Michaelis *Supplemm.* p. 900.

16. עֲשׂוּ אִתִּי בְרָכָה *Facite mecum pacem.* Per בְּרָכָה *faustam apprecationem*, metonymice hic intelligitur *pax.* Cum enim *benedictiones* vulgo hac conciperentur formula: *pax tibi, vobis;* ipsa *pax* videtur dicta esse fausta apprecatio. Recte igitur Chaldaeus reddidit: עֲבִדוּ עִמִּי שְׁלָמָא *facite mecum pacem.*

17. עַד־בֹּאִי וְלָקַחְתִּי אֶתְכֶם וגו' *Donec vos in terram vestrae similem transferam, in terram frumento et musto, pane et vino abundatem.* Solebant antiquis temporibus populi victi a victoribus translocari, sive mitti in colonias; jubebantur etiam sedes inter se permutare; secundum id, quod Histiaeus finxit apud Herodotum (Lib. VI, cap. 3.), Regem Darium constituisse *Φοίνικας ἐξαναστήσαντας ἐν τῇ Ἰωνίῃ κατοικίσαι, Ἴωνας δὲ ἐν Φοινίκῃ,*

Phoe-

Phoenices sedibus suis amotos in Joniam transferre, et Jones in Phoenicen. Id dicebatur μετοικισμὸς, et *transmigratio* ipsa μετοικεσία. Ratio erat, ut populi facilius retinerentur in obsequio. Fuit etiam moris Romani. Suetonius *de Augusto* (Cap. XXI.): *Suevos et Sicambros dedentes se traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocavit.* Posteriori commatis membro in Regum libro haec addita leguntur: *terram olearum, olei et mellis, ut vivatis nec moriamini.*

19. De אַרְפָּד vid. not. supra ad Cap. X, 9. et de חֲמָת ad Genes. X, 18. סְפַרְוַיִם esse *Sippharam* Ptolemaei, quae Eusebio (in *Praeparat. Evangel.* Lib. IX. Cap. XLI.) dicitur Σιπφαρηνῶν πόλις, quae urbs sita erat in Mesopotamia ad Euphratem proxime illum locum, ubi fluvius ille in duos alveos scinditur, plerorumque recentiorum est sententia, cui etiam adsentiuntur Doederlein in not. infra ad Cap. XXXVII, 12., et Michaelis in *Supplemm.* p. 1805. qui praeterea addit d'Anvillii observationem p. 77. *Euphratis et Tigridis*, eam videri *Hipparenum* Plinii, de qua ille *Hist. Nat.* Lib. VI. §. 30.: *Sunt etiamnum in Mesopotamia oppida, Hipparenum, Chaldaeorum doctrina clarum et hoc, sicut Babylonii juxta fluvium Narragam. Muros Hipparenorum Persae diruerunt.* וְכִי־הִצִּילוּ שֹׁמְרוֹן מִיָּדִי *Et an eripuerunt Samariam e manu mea*, scil. Dii sui? כִּי usurpari in interrogationibus, notum est.

22. *Vestium lacerationem* gravis luctus signum fuisse, vix monitu opus; exempla vid. 2 Sam. III, 31. 1 Reg. XXI, 27. Jerem. XXXVI, 24.

Cap. XXXVII.

2. Moris fuisse, ut prophetae spectabilis auctoritatis in casibus dubiis consulti sint, per totam historiam Hebraei populi liquet, estque huic plane simile exemplum Josiae, Huldam prophetissam per legatos adeuntis, 2 Reg. XXII, 12. seqq. Conf. 1 Reg. XXII, 13.

3. יום צרה ותוכחה ונאצה היום הזה *Dies est angustiae, et redargutionis et insectationis probrosae hic dies.* Sunt interpretes, qui vocem תוכחה *injustam* interpretentur *reprehensionem*, qua usus esset Rabsake adversus Jovam. Sed ego vix mihi persuadeo, prophetam ad indicanda convitia, quae dux Assyrius contra Jovam dixit, illo nomine usum esse. Rectius alii *castigationem* reddunt, qua significatione vox occurrit saepius, veluti Ps. LXXIII, 14. CXLIX, 7., et Hos. V, 9. יום תוכחה esse *tempus, quo Jova Israelitarum flagitia puniturus sit* (ut bene ibi interpretatur Kuinoelius), illius orationis nexus docet. נאצה hic indicat *contumeliam*, contumeliosam insectationem (verbum נאץ enim praeter alia et *spernendi* notionem habere satis notum est, et digni sunt, qui de illo conferantur Joh. Wilh. Schroederus in *Commentar.* ad Ps. X. p. 70. seqq., et ejus frater Nic. Wilh. Schroederus in *Observatt. ad Origg. Hebrr.* p. 145. seqq., nec non Everard. Scheidius in *Specim. Animadverss. ad novam Jesajae version.* Harderov. 1779. p. 11. 12., Michaelis in *Supplemm.* p. 1581. seq.). *Diem contumeliae* autem dicit Hiskias illum diem, quod tam ipse cum universo populo, quam numen, ab ipsis sancte cultum, ab Assyriis contumelia afficiebatur. Bene Dathius sensum expressit:

preſſit: *tempus hoc eſt valde afflictum, quo contumelia et ignominia afficimur.* כִּי בָאוּ בָנִים עַד־מַשְׁבֵּר וְכֹחַ אַיִן לְלֵדָה *Nam venerunt filii usque ad matricem, et nulla pariendi vis eſt.* Locutio, uti videtur, Hebraeis proverbialis, qua ſignificatur, rem verſari in ſummo discrimine, ut, niſi auxilium aliunde adferatur, actum ſit de ſalute publica et domeſtica; ſimilitudine deſumta a puerpera, praecedaneis doloribus debilitata, quam deficiunt vires enitendi dum foetus in eo jam eſt, ut uterum praerupturus ſit, modo vi et conamine matris adjuvetur, qua vi deficiente et labefactata, nulla ſpes eſt ſalutis foetus, niſi aliunde auxilium et remedium arceſſatur. Haud abſimilis locutio occurrit Hoſ. XIII, 13., ad quem loc. cf. not.

4. אוּלַי יִשְׁמַע יְהוָה אֱלֹהֶיךָ אֵת דִּבְרֵי רַבְשָׁקֵה *Forſan audiverit Jova, Deus tuus, verba Rabſaces.* *Audire* hic eſt ad *animum revocare*, ut eorum, quae audis et noris, rationem te habere demonſtres. Vult itaque dicere: forte ea res *advertit Jovam, Deum tuum*, ut Latini loquuntur. וְנָשָׂאתָ תְפִלָּה בְּעַד הַשְּׁאֵרִית הַנִּמְצָאָה *Et tolles precationem pro iis quae inveniuntur.* Sed verbum נָשָׂא hic ſignificat, *verba proferre, effari*, ut Exod. XX, 7. XXIII, 1. Habac. II, 6. Job. XXXVII, 1., et נִמְצָא *inventum*, hic indicat id, *quod exiſtit, comparet, ſupereſt*, qua ſignificatione, obſervante Vitringa, vox uſurpatur recentioribus Hebraeorum philoſophis, veluti *Maimonidi*, ſub initio Tractatus de *fundamentis Legis*, ubi, primum eſſe, ait, credendorum dogma, שיש שם מצוי ראשון והוא ממציא כל הנמצא *eſſe aliquod exiſtens primum, illudque exiſtentiam largiri omni exiſtenti.* Recte Dathius hoc inciſum vertit: *intercede igitur precibus pro reliquis, qui adhuc ſuperſunt.*

6. אֲשֶׁר גִּדְּפוּ נַעֲרֵי מֶלֶךְ־אַשּׁוּר אוֹתִי *Quibus* (verbus probroſis) *me proſciderunt regis Aſſyrii miniſtri.*

Verbum גִּדֵּף notare *conviciis* quem *proscindere*, *insectare probris*, ὑβρίζειν, ὀνειδίζειν, hinc, ubi de *Deo est* sermo; βλασφημεῖν, satis est notum.

7. הִנְנִי נֹתֵן בּוֹ רוּחַ *En indam ei spiritum.* רוּחַ hic positum est vel pro רוּחַ־רָעָה 1 Sam. XVI, 14., vel pro רוּחַ־אֱלֹהִים רָעָה, C. eod. vs. 15., conf. supra XXXI, 8. 9., ubi hic affectus, Assyrio inditus, מָגוֹר *trepidatio*, *tremor*, dicitur; vel simpliciter notat *voluntatem*, quod nonnullis Hebraeis interpretibus placuit. Sic sensus esset: *indam ei voluntatem ad sua revertendi*, simul ac ad ipsum pervenerit rumor de expeditione Taraconis, infra vs. 9. וְהִפַּלְתִּיו בַּחֶרֶב בְּאַרְצוֹ *Et faciam cadat gladio in terra sua*, vide infra vs. 38. Patet, hanc orationem Jesajae suggestam esse ab illo, qui librum hunc, illius prophetae nomen prae se ferentem, conscripsit.

8. וַיִּמְצָא אֶת־מֶלֶךְ אַשּׁוּר נִלְחָם עַל־לִבְנָה *Invenit regem Assyriae oppugnantem Libnam.* Num Lachisam in suam potestatem redegerit rex Assyrius, non adscribitur in historia; sed probabile est, excidisse illum voto, quod urbs tam situ, quam munitione probe curata fuerit. *Libna* urbs antiquo tempore fuit spectabilis, aetate Josuae a regulo Amoraeo administrata, sita ad occiduum Hierosolymorum flexum austrum versus, Lachisae ad Septentrionem, a qua non longe distitit; estque verisimile, ipsam quoque ad modum Lachisae situm obtinuisse illic loci, ubi campestris regio in montanam assurgebat. Cf. Jos. X, 29. seqq. XV, 41. 42. XXI, 13.

9. וַיִּשְׁמַע עַל־תִּרְהָקָה וגו' *Et pervenit ad eum* (regem Assyrium) *rumor de Tirhaca, rege Cuschaeae, ferens: egressus est, ut tecum pugnet.* Tirhaca, qui in Manethonis Dynastiis apud Eusebium Ταρακὸς vocatur, Aethiopum rex fuit, qui Aegyptum sibi subjecerat. Conf. Gatterer *Weltgesch.* P. I. p. 225. Erat autem virtu-

virtutis et peritiae bellicae Taraconis magna fama, ut liquet ex verbis Megasthenis apud STRABONEM *Geogr.* Lib. XV. p. 472. ed. Casaub. Καὶ τὸν Σεσωστρίν μεν τὸν Αἰγύπτιον, καὶ Τεάρκωνα, τὸν Αἰθίοπα, ἕως Εὐρώπης προελθεῖν. Ναβοκοδρόσορον τὸν παρὰ Χαλδαίοις εὐδοκιμήσαντα Ἡρακλέους μᾶλλον, καὶ ἕως στηλῶν ἐλάσαι· μέχρι μὲν δὴ δεῦρο καὶ Τεάρκωνα ἀφικέσθαι. Hinc adventantis Thirhacae famam tantum metum incussisse Assyrio, nemo mirabitur. Michaelis quidem, in *Spicileg. Geograph. Hebraeor. Ext.* P. I. p. 149. 150. et in *Praefat. ad vers. teuton. Jesajae*, p. 26. non hoc Senacheribo adlatum putat, *Taraconem in Palaestinam castra movere*; hunc rumorem enim regi Assyriae non tantum metum incutere potuisse, ut tam repente in regnum rediisset, cum Taraconi totam Nubiam et Aegyptum prius peragrandam esse, noscere debuisset. Hunc igitur potius rumorem Senacheribo adlatum fuisse, Taraconem, ex illa Cuschaeae parte, quae in Arabia sita est (conf. not. ad Genes. X, 6.), per deserta Arabiae agmen ducentem intima Assyriae invasurum esse; ad suum ergo regnum tutandum, non fugam, sed iter festinasse Assyrium. Sed recte observat Koppius in not. ad h. l. nihil esse, quod Taraconem ex intima Aethiopia contra Sancheribum Palaestinam expugnantem exercitum duxisse existimemus; videri potius illum, cum ingenti exercitu plures terras, ut eas expugnaret, pererrantem, vere jam ad fines Palaestinae usque pervenisse. וַיִּשְׁמַע וַיִּשְׁלַח מַלְאָכִים אֶל־חִזְקִיָּהוּ *Simul id intellexit; simul misit nuncios ad Hiskiam*, ad regem, et forsan etiam ad populum, laturos סְפָרִים *epistolas*, vs. 14. Videtur Hiskiam, ut probabile est, adventus Taraconis adhuc ignarum, praevenire voluisse, ut quanto ocyus ei persuaderet deditionem.

10. אַל־יַשִּׁאֲךָ אֱלֹהֶיךָ אֲשֶׁר אַתָּה בּוֹטֵחַ בּוֹ *Ne decipiat te Deus tuus, cui fidis.* Geminum sensum ad-

 mittit;

mittit; vel enim sonat: ne decipiant te sacerdotes, prophetae, vates illius Dei, quem colis; vel, ne in eo quem colis, Deo vanam vel nimiam colloces fiduciam. Utrumque in re convenit.

11. לְהַחֲרִימָם Ad internecionem perdendo eos, Deut. VII, 2. וְאַתָּה תִּנָּצֵל Tune ergo eripiaris?

12. עֵדֶן esse *Mesopotamiae* regionem, jam ex eo, quod cum חָרָן, i. e. *Carris* (conf. not. ad Genes. XXXI, 9) conjungitur, colligi potest. Alias sententias recensitas et dijudicatas vide in Michaelis *Supplemm.* p. 279. seqq. רֶצֶף *Rezeph*, commune quidem secundum *Abulfedam* (Tab. Syr. p. 119.) pluribus oppidis nomen; prae ceteris tamen clara fuit *Roszafat Hescham*, urbs, quae iter fere diurnum ab Euphrate distat, occidentem versus. Videtur eadem esse ac Ῥησάφα Ptolemaei. Verisimiliter haec est Resapha ab Assyriis devicta, quippe statim post vicinas ei ab altero Euphratis latere Carras nominata. Conf. Michaelis *Supplemm.* p. 2264. וּבְנֵי־עֶדֶן אֲשֶׁר בִּתְלַשָּׂר *Et Edenitas in Telasar.* De תְּלַשָּׂר nil certi liquet. Verisimilem tamen de hoc loco conjecturam proposuit Doederlein in nota ad h. l. „Multae Syriae atque Mesopotamiae urbes, inquit, nomina gerunt ab initio cum תֵּל composita: vs. 9. *Tal-Chamdum*, cujus frequens apud *Abulfedam* mentio. *Tal* autem *collem* significat. Ita *Tal-Sar*, *collis Sar*, sive *arx*, in colle Sar sita, videtur. Jam apud *Abulfedam*, in *Tab. Syr.* p. 8. 11. 14. regio et collis *Sckar* occurrit circa Chesbonem; verum Michaelis in *Spicil. Geogr. Hebr. ext.* p. 261. docuit, Telassarem non posse esse Scharram. Sed aliam *Scharram* Büsching, Geogr. Asiae, p. 382. memorat, in deserto *Dschesira*, quae dimidium milliare distat ab Euphrate, collique superstructa est, et confinis urbi *Anae*, versu sequenti memoratae.

ratae. Quae junctim ſumta conjecturam commendabunt, *Tel-Aſar* ſive *Tel-Sar* hoc loco reperiri."

13. De אַרְפָּד et חֲמָת vid. ſupra ad Cap. X, 9., et de סְפַרְוַיִם ad Cap. XXXVI, 19. הֵנַע et עִוָּה fuere, qui negarent, nominum propriorum vim habere, vertentes cum Symmacho (ἀνεστάτωσε καὶ ἐταπείνωσε) *dejecit* et *perdidit* (ut Georg. Ludov. Oeder in *Obſervatt. SS.* p. 222. ſeqq.); et הֵנַע quidem Michaelis in *Supplemm.* p. 562. et 1650. ſecundum receptam lectionem ad radicem נָעַע referendum putat, quam habent Arabes; نع *debilis* eſt *flaccidus et languidus*, inde quadrilitterum نعنع *flaccidus fuit, vacillavit*; vertendum ergo eſſet ad verbum: *flaccidos eos et vacillantes fecit*. Ex ſerie tamen orationis nomen geographicum, urbis aut regionis, exſpectares, ſicque ex veteribus plerique acceperunt, tum hoc loco, tum parallelo 2 Reg. XVIII, 34. Apposite etiam Doederlein monuit, quum ipſe de ſe loquatur rex Aſſyriae, verba ponenda fuiſſent in prima perſona. Satis veriſimilis Büſchingii eſt conjectura (*Geograph. Aſiae* p. 382.), urbem *Henam* eandem eſſe, quae apud *Abulfedam* عانة *Anah* vocatur, ad Euphratis ripas ſita, Abulfedae aetate Arabiae deſertae primariis ſatque celebris. Adſenſi ſunt Doederlein et Michaelis, niſi quod hic ſuſpicetur, in Hebraico textu reſcribendum eſſe עָנָה; ipſe tamen fatetur, nullo codice hanc conjecturam confirmari. De עִוָּה bene Michaelis in *Supplemm.* p. 1851.: „Nomen ſi proprium, vix dubium, quin ſit *Ava*, Berytum inter et Tripolin, *Avvaeorum*, qui Hiſkiae tempore ſub ditione Aſſyriorum erant, et quorum colonias hi in devictam Samaritidem deduxerunt. 2 Reg. XVII, 24., patria, urbs, vel regio. Egregie illa filo orationis concinit, devicta ab Aſſyriis, et vero inter devictas ultima, ut fas eſt, in jugo Libani ad

 mare

mare mediterraneum; accedit, quod in eadem Jesajae pericopa et Libanus memoratur ab Assyriis expugnatus, vastatus, cedrique, quarum silva illi regioni finitima excisa, c. XXXVIII, 24."

14. Pro וַיִּקְרָאֵהוּ in loco parallelo libri Regum legitur וַיִּקְרָאֵם *legit eas.* Hoc loco numeri relativi enallage est, satis frequens in libris Hebraeorum, latine sic solvenda: *quamque earum.* Sic Jos. II, 4. *Et suscepit femina illa* (Rahab) *duos illos viros*, וַתִּצְפְּנוֹ *et abscondit eum*, h. e. utrumque eorum.

18. כָּל־הָאֲרָצוֹת elliptice scriptum pro גּוֹיֵי כָּל הָאֲרָצוֹת *populos omnium terrarum*, *et terram ipsorum* vastavit violentus ille Assyrius, coll. 2 Reg. XIX, 17. *Reges Assyriae vastarunt* אֶת הַגּוֹיִם וְאֶת אַרְצָם *gentes et terram earum.* Eadem metonymia, Genes. VI, 11. 12. 2 Sam. XIV, 29. *terra* pro *terrae incolis* ponitur.

19. וְנָתֹן אֶת־אֱלֹהֵיהֶם בָּאֵשׁ *Et dando* scil. *dederunt* (quare in Libro Regg. scribitur וְנָתְנוּ *dederunt*) *Deos ipsorum*, populorum, *in ignem.* Patet ex hoc loco, reges Assyriae illius temporis, ut postea Babyloniae, zelotypia quadam fuisse affectos erga Deos aliarum gentium; quod minus convenit mori aliorum antiquitatis populorum, si populum Judaicum solum excipias. Romani multarum gentium victarum Deos in suam receperant civitatem; et alii etiam populi gentium aliarum Deos suo loco reliquerunt et illaesos. Non improbabilis est Vitringae sententia, Assyrios et Chaldaeos hoc modo instituisse cum respectu ad respublicas illarum gentium; quas cum scirent fundatas esse in *religione*, ipsa quoque *religionis objecta* sive *idola* sibi corrumpenda esse existimasse, quippe fulcra sustinendae ac instaurandae reipublicae.

21. אֲשֶׁר הִתְפַּלַּלְתָּ אֵלַי אֶל סַנְחֵרִיב מֶלֶךְ אַשּׁוּר *Quod ad ea attinet, quae precatus es ad me de Sancheribo,*

Assy-

Assyriae rege. In libro Regg. faciliore constructione legitur שָׁמַעְתִּי אֲשֶׁר וגו׳ *Audivi, quae precatus es* etc. אַחֲרֶיךָ רֹאשׁ הֵנִיעָה בַּת יְרוּשָׁלִָם *Caput pone te motitat Hierosolyma*, gestus est subsannantium et illudentium, conf. Ps. XXI, 8.

23. אֶת־מִי חֵרַפְתָּ וְגִדַּפְתָּ *Cui vero opprobrasti et maledixisti?* Vim habet haec interrogatio. Nescis; o miser, cui convitiatus sis? ignoras, quantum scelus commiseris? וְעַל־מִי הֲרִימוֹתָה קּוֹל וַתִּשָּׂא מָרוֹם עֵינֶיךָ אֶל־קְדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל *Adversus quem extulisti vocem? Israelitarum numen alto supercilio despicis. Efferre vocem* hoc in loco est *audaciae*, iracundiae et contemtui mixtae; *et efferre oculos in sublime* arrogantiae et superbiae. Posterius satis notum; prioris exemplum habes Prov. XIV, 29. *Longanimis multam prodit prudentiam*, וּקְצַר־רוּחַ מֵרִים אִוֶּלֶת *sed iracundus* (propr. *brevis spiritu*) *alta voce effert stultitiam.* Et 1 Sam. II, 3. in Cantico Hannae: *Ne multiplicetis loqui* גְּבֹהָה גְבֹהָה *altum, altum, ne exeat* עָתָק *durum quid* (verbum blasphemum) *ex ore vestro.*

24. יַרְכְּתֵי לְבָנוֹן *Latera Libani* Graecus Alexandrinus recte vertit: τὰ ἔσχατα τῦ Λιβάνυ, Hieronymus: *juga Libani.* Nomen יַרְכָּתַיִם cum alio nomine conjunctum notat, id quod *intimum, summum, penitissimum, extremum*, in quaque re est. Non itaque hic respicitur ad *latera*, quae mons sive *forinsecus*, sive *intrinsecus* habet ab utraque parte valles, sed indicantur summa et penitissima Libani, ut 2 Reg. XIX, 23. יַרְכְּתֵי הַר אֶפְרָיִם sunt *penitissima regionis montanae Ephraim.* וְאֶכְרֹת קוֹמַת אֲרָזָיו *Exscidi ibi altitudinem, proceritatem, cedrorum ejus*, i. e. altissimas cedros ejus. מִבְחַר בְּרֹשָׁיו *Electionem abietum*, i. e. lectissimas abietes *ejus*, Cap. XIV, 8. XXII, 7. וְאָבוֹא מְרוֹם קִצּוֹ יַעַר כַּרְמִלּוֹ *Veni ad altitudinem ejus extremam, ad saltum arvi ejus*

ejus amoeni. כַּרְמִל hic nomen est adpellativum, ut saepe alias, significans *in horti morem cultam regionem, paradisum*, vid. Michaelis *Supplemm.* p. 1359. Quod autem Michaelis haec verba ita vertit: *ubi silvae Libani* (cedrorum abietum) *in hortos felicium arborum desiderunt, paradisos condensos*, cum situ atque natura Libani nullo modo mihi videtur convenire; summum enim illius montis cacumen aeternis nivibus tectum esse, notum est, vid. Jerem. XVIII, 14. et conf. *Libani* descriptionem, quam dedit Oedmann in *Vermischte Sammlungen aus der Naturkunde*, Fasc. II. No. IX. hinc invertere mallem Michaelis versionem, hoc modo; *ubi in sylvam desinit regio ejus* (montis) *horti in morem exculta*, in inferiore montis parte. Pro eo, quod hic legitur, מָרוֹם, in parallelo loco 2 Reg. XIX, 23. habetur, מְלוֹן קִצּוֹ *diversorium extremitatis ejus*. Notatur haud dubie *tugurium* sive *diversorium*, quod in summo montis exstructum viatoribus pernoctandi copiam et commoditatem facit, qualia tuguria in plurium montium praealtorum cacuminibus exstructa esse constat.

25. אֲנִי קַרְתִּי וְשָׁתִיתִי מַיִם *Ego fodi et bibi aquas;* in libro Regg. additur זָרִים *alienas.* Sunt interpretes, qui hac locutione ingentem militum copiam Assyrii indicari putant. Veluti Forerius, qui, ingentem, inquit, militum multitudinem, aliorumque, qui ipsum sequebantur, notat, quibus et *rivos Aegypti exsiccarrit*, et ubi aquae deessent, puteos effoderit, ex quibus tantae multitudini aquas haurirent. Similiter Doederlein: „Tanta militum copia hasce regiones peragrare ait, quantae flumina fontesque non sufficiant, et per quam uno veluti haustu, aquae fossarum absorbeantur, ut jam liber ad urbem aditus pateat.“ Sed hac interpretatione plus inferri videtur his verbis, quam vere ipsis inest. Drusius huic dicto locum fecit inter *Adagia Veterum* He-

Hebraeorum, illudque exposuit: *res omnes, quas adgressus sum, feliciter terminavi; sicut qui puteum fodit, et exitum invenit, cum animo congruentem.* Vitringae dictio *fodere et bibere aquas* est *cupitis desideratisque labore quaesitis potiri*, voti compotem fieri; quod et Dathio placuit. Confert ille ut similem loquutionem Proverb. V, 15. *Bibe aquas e cisterna tua, et fluenta e puteo tuo.* Dubito tamen, an dictio nostra cum illa Proverbiorum loquutione recte conferatur, cujus sensus, ut ex vs. 18. liquet, potius est hic: utere uxore tua, et vita delicias alienas. Nostri loci sententia potius videtur esse haec; *ego alienas terras peragravi et occupavi.* וְאַחְרִב בְּכַף־פְּעָמַי כֹּל יְאֹרֵי מָצוֹר *Et exsiccabo planta pedum meorum omnes rivos Aegypti.* Vocem מָצוֹר post Hieronymum, qui *fluvios aggerum* ponit, multi interpretes, inter quos et Doederlein, non pro *nomine proprio*, sed pro *appellativo* accipiunt, quando valet *munitionem, munimentum*, veluti Ps. XXXI, 22. LX, 11. 2 Paral. VIII, 5. XI, 5. Hinc יְאֹרֵי מָצוֹר intelligunt de *fossis aquarum, quae urbes munitas ambiunt*, quasque jactabundus Assyrius sola pedum planta exsiccare minetur. Sed quum supra Cap. XIX, 6. in oraculo de Aegypto haec ipsa verba יְאֹרֵי מָצוֹר de *Nili brachiis* usurpentur (conf. not. ad loc.); patet, מָצוֹר et hic accipiendum esse ut *Aegypti* nomen, quum יְאֹרֵי, quod nomen esse *Nili* vidimus in not. ad loc. citat., adjunctum sit. Idem fortasse Syrus respexit, cum vertit: ܘܐܘܒܫ ܒܦܪܣܬܐ ܪ̈ܟܫܝ ܟܠܗܘܢ ܢܗܪ̈ܘܬܐ ܪ̈ܘܪܒܬܐ *ungulis equorum meorum exsiccabo flumina omnia maxima*, et Chaldaeus, qui pro יארי מצור posuit נַהֲרִין עַמִּיקִין *fluvios profundos*, nisi is forsan legerit מָצוֹק pro מָצוֹר. Alexandrini haec verba neglexerunt plane. Jam quod sensum locutionis attinet, recte Pellicanus illum videtur exposuisse. *Exercitus magnitudinem jactat, quo flu-*

flumina quantumlibet copiosa transvadere possit, infiniti exercitus labore et singulis operis, quasi dicat: si tot millia hominum singulos abstulerint urceos aquarum, sine impedimento transibunt, quo volent, rivis siccatis plantis pedum. Similiter jactabundus Alaricus apud Claudianum, *de bello Getico*, vs. 526.:

> *Subsidere nostris*
> *Sub pedibus montes; arescere vidimus amnes, —*
> *Fregi Alpes, galeisque Padum victricibus hausi.*

Ceterum hoc posterius versus membrum in Futuro esse accipiendum, ut Asfyrius non ea, quae jam perfecerit, sed ea, quae a se in posterum perficienda sint, jactet, ex eo verisimile est, quod legati Asfyrii in superioribus nusquam gloriati sunt de prosperis successibus Senacheribi rerum in Aegypto gestarum; alios populos subactos memorant, de Aegyptiis silent. Non improbabilis est Vitringae sententia, Senacheribum primo impetu in Aegyptum ruentem aliquid plus effecisse, quum imparatis (Taracone absente, et Sethone imbelli, atque Aegyptiis inviso) superveniret; dein, quum Taraconis motum fama percepisset, Aegyptum dereliquisse, et rediisse in Judaeam, ut Hierosolyma, cujus expugnatio conatibus suis plurimum favere poterat, sibi subjiceret. Certi tamen quidquam in hac illorum temporum historiae obscuritate vix quisquam definiverit.

26. Continuatur oratio Jovae, Asfyrium appellantis, qui cum arrogantiam jactantiamque ipsi reddidisset, principem hunc superbum docet, eorum quae vel fecit, vel se fecisse aut effecturum jactat, nihil ipsum (Asfyrium) sibi posse tribuere, suorum consiliorum sapientiae, suorum magnitudini virium copiarumve suarum virtuti aut numero; pependisse haec eventa omnia a Jova, qui jam inde a longo tempore ea, quae per regem Asfy-

Assyrium effecta sint, eventura decreverit. הֲלֹא שָׁמַעְתָּ לְמֵרָחוֹק אוֹתָהּ עָשִׂיתִי *An tu*, jactabunde, *non intellexisti, me illud*, quod a te factum esse jactas, *a longinquo fecisse*, h. e. parasse, ordinasse, efficiendum suo tempore curasse? Eodem significatu verbum עָשָׂה sumendum est Ecclesiast. Cap. XI, 5. *Quemadmodum nescis viam venti; sic non cognosces opus Dei, qui omnia facit* (אֲשֶׁר יַעֲשֶׂה אֶת הַכֹּל), ordinat, parat, disponit, Conf. supra Cap. XXII, 11. מִימֵי קֶדֶם וִיצַרְתִּיהָ *Et me illud a diebus antiquis praeformasse*, praecogitasse, sic יָצַר usurpatur supra Cap. XXII, 11., infra Cap. XLVI, 11. conf. Cap. X, 5. seqq. XIV, 27. seqq. Affixa igitur feminina in אוֹתָהּ, יְצַרְתִּיהָ, et in sequenti הֲבֵאתִיהָ, neutraliter, ut saepe, sunt accipienda, et intelligenda de rebus gestis Senacheribi diu ante a Jova decretis. עַתָּה הֲבֵאתִיהָ *Nunc adduxi illud*, quod decreveram. וּתְהִי לְהַשְׁאוֹת גַּלִּים נִצִּים עָרִים בְּצֻרוֹת *Ut sis ad vastandum in acervos dirutos urbes munitas*, i. e. ut urbes munitas in ruderum acervos convertas. שָׁאָה, Arabice ثَأَى *disrumpi cum fragore*, dein Arabes ad *stragem cladesque bellicas* transferunt. Hebraeis est *vastari*, atque Esaj. VI, 11. Kal et Niphal concurrunt, ubi not. conf. Inde hic לְהַשְׁאוֹת transitiva potestate ex Hiphil, pro qua in libris Regum contractius, exstat לְהַשּׁוֹת, nam א nonnumquam sua ad praecedentem litteram vocali rejecta quiescit, aut plane etiam deficit, sicuti apud Arabes يَرِي ,تَرِي, pro يَرْأَي ,تَرْأَي, *videbit*. גַּלִּים *acervi* (Cap. XXV, 2.) hic elliptice positum est pro לְגַלִּים, simili modo ut Ps. CXIV, 8. הַהֹפְכִי הַצּוּר אֲגַם־מָיִם חַלָּמִישׁ לְמַעְיְנוֹ־מָיִם *qui vertit petram in stagnum aquarum, silicem in fontem aquarum*, ubi particula ל priori membro deficere, ex altero intelligitur, adde Jes. III, 4. Genes. XV, 6. XXXI, 45. Thren. V, 13. נִצִּים *diruti, vasti*,

vasti, collato Arabum نَضَا, pro نَضَوَ, quod a prima *vellendi* significatione, inter alia *vestem detrahere*, *nudare*, notat; vid. Scholiasten Chaluwiam in Ibn Doreidi Carmen, vs. 22. et 115., edit. Haitsmae, cum quo conf. Schultensium ad *Haririi Consess. IV.* p. 11., et ad Consess. V. p. 121., et Michaelis *Suppll.* p. 1666. *Exui autem*, *nudari*, de urbe et regione positum, erit, ita vastari, ut nuda aedibus et arboribus area supersit. Integrum comma Forerius recte hoc modo convertit: *Num quid non audisti, o Sanherib, hoc ipsum, quod Tu Te fecisse modo gloriaris, me ab antiquo usque fecisse, et a diebus prioribus me id praecogitasse, et nunc adduxisse, et opere complevisse, ut scilicet fierent et redigerentur civitates munitae in ruinas acervorum obrutorum?*

27. וְיֹשְׁבֵיהֶן קִצְרֵי־יָד חַתּוּ וָבֹשׁוּ *Habitatores earum breves manu*, id est, imbecilles (conf. not. ad Numer. XI, 23.); facti sunt a me, *pudefacti*, *et consternati sunt*. Significat his et sequentibus loquutionibus, quam facile devictae sint gentes per regem Assyriorum, ita disponente Jova. הָיוּ עֵשֶׂב שָׂדֶה וִירַק דֶּשֶׁא *Effecti sunt ut herba agri*, *ut herba tenera viridis*, i. e. destitutis erant viribus ad resistendum tibi. De דֶּשֶׁא cf. not. ad Genes. I, 11. (כַ) חֲצִיר גַּגּוֹת (ut) *herba tectorum.* In planis Orientis tectis, nisi diligenter purgentur, facile nascuntur herbulae ex seminibus, quae forte illic, dum siccarentur, relicta fuerant, aut vento eo delata. Sed quum terra illic non esset, brevi exarescebant. Vide Ps. CXXIX, 6. וּשְׁדֵמָה לִפְנֵי קָמָה *Et ut seges tacta uredine antequam excreverit in culmum.* Quum שְׁדֵמָה, cujus plurale tantum שְׁדֵמוֹת alias occurrit, semper *agrum*, *arvum*, notet, nonnulli interpretes, veluti Lowthus, Doederlein, Dathius, quod in loco parallelo 2 Reg. XIX,

XIX, 26. legitur, שְׁרֵפָה, quatuor codicum consensu, rescribendum putarunt, quod quidem posterius vocabulum morbum segetis significat, quo culmi, fervente Euro adusti, ita corrumpuntur, ut spicas non faciant, et prope nigrescant, conf. not. ad Genes. XLI, 6. Verum enim vero si שְׁרֵמָה scribae alicujus errori deberetur, non est verisimile, illud in tot codices tam fideliter transscriptum esse, cum facile fuisset, rectum in illius locum ponere. Facillima ratio videtur, ut שְׁרֵמָה, litteris ם et פ unius organi, utpote labialibus, inter se permutatis, pro שְׁרֵפָה positum sumamus, id quod jam Kimchio visum est. Tunc vertendum erit, *ut nigredo*, sive uredo, *ante segetem*, i. e. tanquam herba triticea, tacta uredine, antequam evadat in segetem, et assurgat in culmos, sive antequam maturescat. Aliis forsan praeplacet Michaelis interpretatio, in *Supplemm.* p. 2288., conferentis Arabum سلم *tristem esse*; unde reddit: *lugens jam antequam in segetem se erexit gramen.*

28. וְשִׁבְתְּךָ וְצֵאתְךָ וּבוֹאֲךָ יָדָעְתִּי *Et sedere tuum, et egredi tuum, et ingredi tuum novi.* Notum est, Hebraeos *sessione*, *ingressu* et *exitu* universas hominis actiones, mores et vitam circumscribere; ideo sensus est, Jovae notum fuisse, quidquid moliretur et ageret Assyriorum rex. Alii magis proprie ad Assyrium: novi, quae feceris domi cum habitasti, quaeque ibi consilia ceperis, quid cogitares, cum egressus es e patria tua, quot milites illinc eduxeris, et adventum tuum in hanc terram. וְאֵת הִתְרַגֶּזְךָ אֵלָי *Et commoveri tuum adversus me*, i, e. quomodo animo concitato interminari mihi ausus sis, non aliter quam idòlis tuis.

29. יַעַן הִתְרַגֶּזְךָ אֵלַי וְשַׁאֲנַנְךָ עָלָה בְאָזְנָי *Propterea quod vehementior tua erga me commotio et insolentia tua in aures meas ascendit.* Quamquam vox שַׁאֲנָן alias

saepe *tranquillitatis*, indeque *felicitatis* notionem habet, confirmante dialecti Syriacae usu, ubi ܫܠܐ *tranquillavit*, et ܫܠܝܐ *pax*, *tranquillitas*, est (conf. Schultensium ad Job. III, 18.); hoc nostro tamen loco vocem illam ἀλαζονείαν, *insolentiam*, *jactantiam*, vel quid simile, indicare, ipse orationis nexus docet. Haec interpretes nonnulli ita student componere, quod ex nimia prosperitate et bonorum omnium affluentia nascatur *insolentia*, *fastus*, *jactantia*. Id Storrio placet, qui in *Observatt. ad Analog. et Synt. Hebr.* p. 179. not. **) postquam primariae illius, ex lingua Syriaca confirmatae, notionis mentionem fecisset, pergit: „a *tranquillitatis* notione profecta est significatio *securitatis* ab hoste (Esaj. XXXIII, 20. XXXII, 18.), etiam *securitatis*, quae in vitio est, *imprudentis* (Esaj. XXXII, 9. 11. Am. VI, 1.), aut *insolentis* (Esaj. XXXVII, 29. Ps. CXXIII, 4.). Idem tropus obtinet in verbo שָׁלֵו. Vid. Schultens. *Origg.* p. 226. seqq." Mihi tamen eorum praeferenda videtur sententia, qui auctore R. Jona, cujus interpretationem Kimchius allegat et probat, vocem nostram שַׁאֲנָן significationem vocabuli שָׁאוֹן, sono haud adeo diversi, *tumultum*, *strepitum*, *commotionem*, indicantis, adscivisse putant. Ad horum partes accedit Michaelis in *Supplemm.* p. 2273. Quidquid sumas, nulla est dubitatio, שַׁאֲנַן hic esse *ferocientes et blasphemas Assyrii regis voces.* Eodem modo Ps. CXXIII, 4. accipitur de *ferociente clamore*, vel *protervo victoris epinicio*; componuntur enim ibi שַׁאֲנַנִּים et גֵאֵיוֹנִים *superbi.* וְשַׂמְתִּי חַחִי בְּאַפֶּךָ וגו׳ *Idcirco inmittam annulum meum in nares tuas, et fraenum meum in labia tua, et reducam te per viam, qua veneris.* Jova superbi Assyrii ferociam compescet, eumque invitum domum reverti coget; sicut jumentis vel feris annulus in nasum, aut fraenum injicitur, ut hoc pacto invita ducto-

ductoris arbitrio obſequi teneantur. חח indicat *annulum*, quo per nares perforatas transmiſſo, bubalos et camelos et domare ſolent et regere Arabes aliique vicini populi, cujus eo major in compeſcendo camelo vis eſt, quod in unum alterumque latus loro, qui ex eo pendet tracto, indocili ac refractario jumento ſpiritus praecluditur, ad quod alludens poeta Arabum Taabbataſcharran p. 52. *Chreſtomath. Arab.*, Michaelis *Grammaticae Arab. adnexae*, virum invictum ita deſcribit: *cujus, cum praecluditur naris una, altera ſpirat.* Plura de hac voce vide in Michaelis *Suppll.* p. 712. ſeqq.

30. Quum interpretes quos vidi omnes hoc comma vertant: *et hoc tibi erit ſignum: comedite hoc anno ſponte natum, et anno altero ſponte renatum; anno autem tertio ſerite et metite, et plantate vineas et comedite fruges;* non eſt mirum, variis difficultatibus illos impediri. Quomodo enim res, quae liberatione poſterior erat, ſigno dari poterat, liberationem certe eſſe eventuram? Quare anno demum tertio poſt Aſſyriorum reditum ſerendum et metendum erat? Varias quidem vias excogitarunt interpretes, quibus ſeſe ex his aliisque difficultatibus expedirent; ſed omnes illae ita ſunt contortae et incertae, ut earum commemoratione lectores morari non ſit operae pretium. Unam tamen commemorabimus, quae inter ceteras maxime probata eſt viris doctis. Sumunt, annum, quo Senacheribus Judaeam invaſit, *Sabbaticum* fuiſſe, ſequentem autem *Jubilaeum*, quo utroque ex lege Moſaica omnium agrorum, vinearum, hortorum per univerſam Palaeſtinam feriae erant, nulla aratio, nullus vinearum cultus, nulla denique meſſis aut vindemia, vid. Levit. XXXV, 2—7. Hinc primo anno, prophetam oſtendere, non eſſe cur Judaei famem timerent, quia vaſtatis licet frugibus ab Aſſyriis ſatis tamen copioſus proventus futurus eſſet;

secundo vero anno (quum non redituri sint Assyrii) Judaeos, quamvis sementem non fecissent, tamen sat magnam segetum copiam habituros esse, qua sese sustentare possent, donec anni sequentis messes colligerent; tertio denique anno, ex tranquilla satione, quam propheta promittebat Judaeis, ostensurum esse Jovam, nihil esse, quod ab Assyriis timerent. Sed si etiam verum sit, quod nondum est probatum, annorum illorum primum Sabbaticum fuisse, sequentem Jubilaeum, nullo tamen modo patet, quomodo res, post trium annorum spatium demum eventura, signo esse potuerit, quo Judaei confirmarentur, fore, ut postridie ejus diei, quo propheta ea quae hic legimus loquebatur, ab Assyriis liberarentur. Doederlein hunc versum sic vertit: *Omen hujus rei erit, quod hoc anno sponte natis fructibus vescemini, altero pomis; tertio demum, quae sevistis, metetis, et, quas coluistis vineas, earum fructus percipietis;* et in Nota subjecta addit: „Si satis evictum esset, annum, quo Sanheribus Judaeam invasit, Sabbaticum fuisse, sequentem autem Jubilaeum (quod Jac. Ode in *Dissertatt. de anno Hebraeorum Jubilaeo* in Oelrichs *Collect. Opusc. Hist. Phil. Theol.* Tom. II. p. 461. 484. probare annisus est), sensus commodissimus enasceretur, q. d. illa ipsa anni, quem celebratis, festivitas bonum vobis omen, h. e. signum pignusque tutelae divinae erit. Nam quia Sabbaticus est, vobis quoque Sabbata et quietem ab hoste concedet.“ Elegans sane sensus, qui et Koppio placuit, modo id, quo ille nititur, de anno Sabbatico, certum esset. Dathius versionem vulgarem exhibet, sed de hujus loci sensu plane silet. Hinc nos novam hunc locum explicandi rationem excogitavimus, quae an praeferenda sit hucusque memoratis, aliorum est judicare. Et primo quidem omnino est dispiciendum, quid voce האות h. l. indicetur. Ut significemus, certissime eventurum esse id, quod praedicimus,

cimus, nonnumquam pollicemur talem rem, quae id ipsum, quod promittimus, consecutura est; quod nulla alia ex causa facimus, nisi ut alter intelligat, nobis certissime esse persuasum, eventurum id esse, quod dicimus. Et hoc sensu vocabulum אות non semel in scriptis Hebraeorum usurpatur, scilicet ut indicet *id, quod rem aliquam promissam secuturum sit, et eo fine praedicitur, ut alter intelligat, rem ipsam, quam quis vel sperare vel timere jubet, certissime esse eventuram.* Sic Exod. III, 12. *Ego tecum ero, inquit Deus, et hoc signum,* אות, *habeto, te a me mitti; si populum ex Aegypto eduxeris, sacra mihi facietis in hoc monte.* Sensus est: certissime tibi polliceor felicem eventum. Conf. 1 Sam. II, 33. 34. Jerem. XLIV, 29. 30. Jam quod totius commatis sensum attinet, illud sic interpretandum mihi videtur: *Hoc autem tibi,* Hiskia (ad hunc enim dehinc converti orationem, res ipsa docet), *signum do* liberationis ab Assyriis brevi eventurae: *cum primo anno sponte nata, secundo vero sponte renascentia comedenda vobis essent* [*Infinitivum loco verbi finiti* usurpatum puto; sic pro Praeterito occurrit Ps. VIII, 2. Ezech. I, 14. Jerem. XIV, 19.]; *nunc tertio anno serite, et metite; et vineas plantate, et fruges comedite,* i. e. quum duobus superioribus annis, ab Assyriis infestati, agros non colere potueritis, ita ut iis tantum, quae sponte tellus suppeditabat, vos sustentare coacti fueritis, nunc tertio hoc anno ad pristinam tranquillitatem reversuri, securi ab hostium vexationibus serere et messem facere poteritis. ספיח interpretes tam veteres, quam recentiores unanimi fere consensu *sponte natum* interpretantur, *quod sine ulla opera, aut hominum industria nascitur,* nec cur hanc significationem rejiciamus, caussa est, quum illam contextus fere flagitet, et etymologica etiam illius ratio afferri possit. Scilicet ab *effundendi, defluendique* notione, quae verbo ספח inest, ductum

 vide-

videtur nomen segetis, quae sine semente ex granis nata superioris anni, sponte, maturitate, vento, e spicis effunditur, atque a terra gremio suo excipitur ac fovetur. Vocabuli שָׁחִיס, quod in loco parallelo, 2 Reg. XIX, 29. סָחִישׁ scribitur, varias interpretationes recensuit Michaelis in *Supplemm.* p. 1739. seq. Optima, illo arbitro, cui et ego accedo, ea quae et usitatissima: *ex sponte ac sine semente nato* (סָפִיחַ) *iterum sine semente tertio post sementem anno sponte renascens.* Sic ex antiquis praeiverunt Syrus ܟܘܼܢܵܐ ܟܘܼ ponens, propr. *minus minoris*, coll. Arab. كُوزِي *parvus, pumilio*, i. e. *ex sponte renascentibus renascens*, סָפִיחַ; nam sine semine renascens frumentum quotannis grana minora effert, minores aristas; (conf. Michaelis ad Castelli *Lex. Syriac.* sub voce ܟܘܼ) et Chaldaeus [כַּחֲבָּחִין, quod idem], forsan et in Regibus Alexandrini: *φάγε τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν αὐτόματα καὶ τῷ ἔτει τῷ δευτέρῳ τὰ ἀνατέλλοντα*, inque Jesaja Aquila et Theodotion, סָפִיחַ *αὐτόματα*, סָחִישׁ *αὐτοφυῆ* vertentes. Potest autem frumentum sine semente renasci, sive ex granis deciduis, sive etiam ex ipsa radice, ut fieri in gramine communi videmus. Hinc citatus ad hunc locum a de Rossio Rabbi Parchon explicat, *germen egrediens de radice spicae, et faciens spicam parvam;* nempe renascendo sine cultu hominis fit deterius. De triplici ex una semente messe Michaelis l. c. citat insignem ex Strabone locum, Lib. XI. p. 767. al. 502. De Albaniae circa Cyrum et Araxem fertilitate incolarumque socordia, haec refert, a praefectis provinciae audita: *πολλαχοῦ (τὴν γῆν) σπαρεῖσαν ἅπαξ, δὶς ἐκφέρειν καρπὸν, ἢ καὶ τρὶς, multis in locis conseminatam terram bis efferre, alicubi et ter.* אכול, cui puncta vocalia Imperativi, אֱכָל, substrata sunt, est Infinitivus, efferendumque אָכוֹל. Nec adeo necessarium erat, ut Judaeorum

rum Critici illum modum cum Imperativo permutarent, quum satis notum sit, Infinitivum saepe poni pro Imperativo, qui sua origine ab illo non est diversus, vid. Schroederi *Syntax. Verbor.* Reg. LIV. c. et Storrii *Observatt. ad Analog. et Synt. Hebr.* p. 167.

31. Solatur jam Hiskiam, et cives Hierosolymitanos alio nomine, qui moerere ac conturbari jure optimo poterant, quum civitates Judaeae afflictas, spoliatas ornamentis et orbatas civibus viderent. Ait ergo illos, qui de domo Juda reliqui fuerint, usque adeo strenuos ac felices futuros, ut collapsa erigere, ruinosa instaurare, rem denique Judaicam varie concussam ad antiquum splendorem revocare possint. Quod pulchra similitudine declarat, in qua Hebraeorum more comparationis nota praetermittitur. Erunt, inquit, reliquiae Judaeorum adeo felices, ut crescant, roborenturque non aliter atque plantae, quae altas radices deorsum agunt, et sublimes sursum ramos expandunt. Hae autem plantae, communiter fructuosae sunt, et altis nixae radicibus facile ventis et temporis injuriis resistunt. פְּלֵיטָה, propr. *evasio*, i. e. qui evaserint, id quod salvatum fuerit.

32. כִּי מִירוּשָׁלַם תֵּצֵא שְׁאֵרִית וּפְלֵיטָה מֵהַר צִיּוֹן *Nam Hierosolymis exibunt reliquiae, et qui evaserunt* (exibunt), *de monte Zion.* Jam explicat, quidnam sit reliquum illud, quod radices aget, et ramos extendet. Sunt autem, qui cum Hiskia fuerunt Hierosolymis, quos terruit, non tamen debilitavit Senacherib. Illi ergo egressi ex urbe, constituerunt, quae ab hoste concussa fuerant, atque convulsa aliis in locis, integrarruntque ea, quibus ille bellorum motus plurimum abstulerat. קִנְאַת יְהוָה צְבָאוֹת תַּעֲשֶׂה־זֹּאת *Zelus Jovae, agminum Dei, efficiet hoc.* De significatione vocabuli קִנְאָה, de *Jova* usurpati, conf. not. ad. Cap. IX, 6. Sensus:

 haec

haec adscribenda sunt Jovae benignitati, cui curae atque studio est res Hierosolymitana.

33. Propter hoc studium, inquit Jova, quo civitatem prosequor, remque Judaicam, non permittam, ut Rex Assyriorum civitatem introeat, aut intra moenia illius sagittam jaculetur, aut clypeati milites illam occupent, neque denique, ut aggerem circumfundat, et vallum. וְלֹא־יְקַדְּמֶנָּה מָגֵן *Nec antevertat eam scuto,* i. e. milites scuto ante se posito, antevertent, ac vitabunt vulnera sagittarum ab Hierosolymitanis emissarum, dum urbem eorum oppugnabunt. Sunt autem haec proprie et directe accipienda de Senacheribo ipso, et exercitus parte majore, quam haerens apud Lachisam et Libnam secum habebat.

34. Revertetur spe cogitationeque frustratus, eadem via, qua Judaeorum fines populabundus ingressus est.

35. Ego enim hujus civitatis ero propugnator, ut illam ab hostili periculo defendam, tum propter me, cujus in hoc rerum articulo honor intercedit, ut ostendam, me solum esse Deum, tum propter Davidem, cui posterisque ejus me benefacturum promisi.

36. וַיֵּצֵא מַלְאַךְ יְהוָה וַיַּכֶּה בְּמַחֲנֵה אַשּׁוּר *Et egressus est angelus Jovae et prostravit in castris Assyriorum* et quae sequuntur. Sed quum satis constet, priscos illos homines in omni eventu improviso, ac valde memorabili caussas naturales ad Deum immediate vel ad angelum, numinis ministrum, referre; interpretis liberalis est, disquirere, quaenam stragis illius caussae naturales fuerint. Qua in re quamquam nemo facile certi quidquam attulerit, tamen, annon veri quidquam simile effici possit, videndum est. Sed, priusquam eam, quam nos prae ceteris probabilem putamus sententiam, exponamus;

namus; operae pretium erit, varia interpretum tentamina ad loci hujus difficultates tollendas, breviter recensere. 1) Vitringa, quem sequitur Vogel ad Grotium, *tempestatem* horribilem *tonitruum* et *fulgurum* prostravisse florentissimam copiarum Assyrii partem existimat, atque hanc sententiam defendit inprimis ex iis prophetae nostri locis, in quibus Senacheribi clades describitur tanquam tempestas, a Jova excitata, tonitrubus horribilis, fulminibusque et igne Assyrios prosternens. Loca sunt Cap. XXIX, 6. XXX, 30. Sed contra hanc sententiam optime monuit Dathius, si tempestas et fulgura tantam in exercitu stragem edidissent, reliqui non postridie demum praeter spem et exspectationem suam vidissent, quid factum esset, quod tamen verba ultima versus nostri 36. aperte innuunt. Quod vero illa loca attinet, Cap. XXIX, 6. et XXX, 30. minime ea proprie sunt intelligenda; sed imaginem continent poeticam vatibus hebraeis frequenter usurpatam auxilii Jovae potentis et eximii, cujus aliud exemplum insigne est Ps. XVIII, 8. seqq. 2) J. E. Faber in Nott. ad Harmeri *Observatt. super Oriente*, P. I. p. 65. pernicioso illo in Orientis regionibus *Euro*, vulgo *Samum* dicto, tantum hominum numerum occisum esse putat. Sed huic sententiae praecipue obstat hoc, quod ventus ille interdiu tantum oriri solet, et solos eos, qui faciem ipsi obvertunt, occidit. 3) Fuerunt, qui *Tirhacae*, sive *Taraconis*, subito in auxilium Hiskiae adventantis, armis stragem illam Assyriorum editam arbitrati sint. Nacta est haec sententia, proposita jam in Tractatu Rabbinico סדר עולם *Seder Olam Rabba*, i. e. in Chronico Mundi majore, cujus Auctor, R. Jose, vixit circa annum Christi 130., plures defensores, veluti Usserium in *Annall.* ante N. Ch. 710. Pezronium in *Antiqq. Tempor.* Cap. XIII. Marsham in *Canone* ad Sec. XVII. p. 514., et nostro aevo Christ. Frid. Parissium in Dissertat. *de causa*

 cla-

cladis Assyriorum, 1777. Sed nec ullus alius in scriptis Hebraeorum locus extat, in quo strages, in proelio inter exercitum edita, hoc modo describatur, nec cur ad talem stragem describendam tali dictione [מַלְאַךְ יְהוָֹה] usus sit scriptor, ea cogitari potest ratio, quae extat, ubi ad subitam mortem indicandam illa adhibetur. Obstant quoque loca, supra Cap. XXX, 30. XXXI, 9.; ubi Assyrii copiae ne gladio quidem urgente fugientes describuntur. Plura alia contra illam sententiam monuit J. D. Michaelis in *Praefat. ad Jesajae versionem teuton.* p. XXX. XXXI. Igitur assentior iis interpretibus, qui 4) pestem hujus cladis caussam existimant, auctore Josepho, qui in *Antiqq.* Lib. X. Cap. I. §. 5. νόσον λοιμικὴν stragem illam edidisse dicit. Favet huic sententiae usus loquendi, quo eadem imago angeli percussoris de *peste* adhibetur, 2 Sam. XXIV, 16. coll. vs. 15. 1 Chron. XXI, 14. 15. Hinc plerique recentiorum interpretum illi sunt adstipulati, veluti Doederlein, Michaelis, Dathius, Henslerus. Et tamen ne sic quidem res libera est difficultate. *Pestem* enim, et luem qualemcunque, licet vel maxime saeviat, *unius noctis* spatio (id enim additur 2 Reg. XIX, 35.) centum octoginta quinque millia hominum absumpsisse, vix est credibile. Quamquam enim pestis intra paucarum horarum, imo intra unius horae spatium hominem antea sanum extinguere potest (conf. Michaelis *Praefat. ad Jesaj.* p. XXXIV.); nullo tamen modo contagio *una nocte* tot hominum millia inficere atque absumere potuit. Michaelis quidem id fieri potuisse contendit, ubi vel spolia, in loco, ubi lues saevierat, facta, ex cistis repente apertis depromta et inter milites divisa fuissent; vel subita sudi atque aëris sereni cum uvido et calido mutatione, qua nihil est insalubrius, praesertim in lue contagiosa; sed dubito, an haec sufficiant ad difficultatem plane tollendam. Hinc alii alia tentarunt. 1) Doederlein quae hic vocantur tot hominum

num millia tantummodo in vitae periculum adducta, haud tamen omnia illa morte abrepta existimat. Insuper in dubium vocat numerum ob insolentiam constructionis, quum ex more numerandi Hebraeo CLXXXV. millia ita exprimi debuissent מֵאָה אֶלֶף וַחֲמִשָּׁה וּשְׁמוֹנִים אֶלֶף. Sed non desunt exempla similis numerandi modi, veluti 2 Reg. XII, 21. מֵאָה וּשְׁמֹנִים אֶלֶף, scite observante Henslero. Quod autem ipsam Doederlinii sententiam attinet, vix illam cum ultimis commatis nostri verbis constare posse puto, ubi aperte dicitur, *mane omnia illa* centum et octoginta quinque millia hominum *cadavera fuisse*. 2) Koppius commati nostro hunc inesse sensum censet, *in Assyriorum exercitu, qui CLXXXV millia virorum erat, luem contagiosam saeviisse, quae multos absumserit*, quod multo minus cum textu conciliari poterit, quam Doederlinii sententia. 3) Henslerus difficultati ita occurrendum censet, ut his verbis non hoc indicari putandum sit, *una nocte* tot hominum millia absumta fuisse; verum hoc; illa ipsa nocte, quae sequebatur eum diem, quo Hiskiae promissio erat data de liberatione ab Assyriis, luem contagiosam Senacheribi exercitum invasisse, et per tempus aliquod ita saeviisse, ut CLXXXV. millia hominum ab illa essent deleta. Quia vero posterior commatis pars hanc interpretationem non videtur admittere; illam Henslerus sic interpretandam censet: *quoties mane surrexerunt, mera cadavera viderunt* (*wenn der Morgen anbrach, sahe man nichts als Leichen*). Sunt tamen etiam in hac sententia, quae illi, me assentiri prohibent. *Primo* enim luem contagiosam hoc vel illo die, hac vel illa nocte saevire incepisse, omnino difficile dictu fuerit; quod praesertim de peste valet, quae saepe per plures menses occulte sub aliorum morborum specie circumvagatur, prinsquam manifesta appareat. *Deinde* quod adtinet ad posterioris membri interpretationem, ab Henslero prolatam, si scriptor in-

indicare voluisset, *quovis die mane omnia cadaveribus obtecta fuisse*, pro בַּבֹּקֶר haud dubie scripsisset vel בַּבֹּקֶר בַּבֹּקֶר (vid. supra XXVIII, 19. infra L, 4. Soph. III, 5.), vel לַבְּקָרִים (e. c. Ps. CI, 8. Jes. XXXIII, 2.). 4) Weblerus in *den philologischen u. kritischen Fragmenten*, Cassel 1781. Fasc. I. p. 48. pro אֶלֶף efferendum putat אַלּוּף *dux*, ut versus noster ita sit vertendus: *Et egressus est angelus Jovae, et prostravit in exercitu Assyrii centum et octoginta quinque duces; cumque mane surrexerunt reliqui, omnes illi fuerunt cadavera vita cassa.* Cui conjecturae favere quidem videtur locus parallelus 2 Chron. XXXII, 21., ubi dicitur, *prostratos fuisse omnes viros fortes, duces et praefectos in castris Assyriorum* וַיִּשְׁלַח יְהוָה מַלְאָךְ וַיַּכְחֵד כָּל־גִּבּוֹר חַיִל וְנָגִיד וְשָׂר בְּמַחֲנֵה מֶלֶךְ אַשּׁוּר Sed hoc loco patet narrari aliquid insolens, quod plane praeter consuetum naturae ordinem evenerit.

Non desunt in veteribus monumentis similia exercituum violenta peste brevissimo tempore absumtorum exempla. Tale est illud memorabile et tristissimum exercitus Carthaginiensium in Sicilia, Syracusas obsidentis, duce Imilcone, *pestilentis sideris vi* (verba sunt Justini Hist. L. XIX. Cap. 11.) *repente* deleti. Historia integra legitur apud Diodorum (Hist. Lib. XIX. p. 434. seq. ed. Rhod.), quae Carthaginiensium fortuna sua insolenter usorum, exhibet πεντεκαίδεκα μυριάδας *centum quinquaginta millia*, peste exstinctorum, quorum cadavera insepulta abjecta sint. Exemplum vere ad hoc nostrum proxime videtur accedere, et quidem eo magis, quod Imilco hanc subiisse punitionem Numinis severam dicatur, quod *templa Deorum* eorumque *donaria* irreverenter habuisset. Similis fere generis illud est Prusiae, impii illius Bithyniae regis, cujus copiae maximam partem *dysenteria consumtae fuisse* dicuntur, et naves in-

ingenti tempestate in Propontide excitata pleraeque absorptae, postquam templum sub ipsis Pergami moenibus situm destruxisset, suisque spoliasset imaginibus et ornamentis. Verba Diodori in *Excerptis Valesii* p. 336. Τῆς δυνάμεως δυσεντερίᾳ περιπεσούσῃ οἱ πλεῖστοι τῶν στρατιωτῶν διεφθάρησαν.

Exstat apud Herodotum Lib. II. c. 141. de clade, Senacheribi exercitui in confiniis Aegypti haerenti, illata, narratio, quae ex nostra historia orta nonnullis visa est. Narrat ille, Sethone, Vulcanis sacerdote, in Aegypto regnante, Senacheribum, Assyriorum regem, cum magnis copiis invasisse Aegyptum. Quum vero regi Aegyptio milites noluissent opitulari, illum, consilii inopem, in coenaculum secessisse, ibique apud Dei simulachrum comploravisse, quanta pati periclitaretur. Hic inter lamentationem ei obrepsisse somnum, et inter quietem visum astare deum, exhortantem, nihil eum molesti passurum, si copiis Assyriorum obviam iret: se enim auxiliarios ei missurum. His insomniis fretum regem, sumptis Aegyptiorum iis, qui sequi vellent, castra in Pelusio posuisse. Eo quum pervenissent noctu, effusam ipsis hostibus vim agrestium murium, qui illorum tum pharetras, tum arcus, tum scutorum habenas abederint, ita ut postera die hostes armis exuti fugam fecerint, multis amissis. Vides ipse, convenire quidem in quibusdam hanc narrationem cum nostra historia, in plerisque tamen ab ea esse diversam. Fuerunt interea, qui istius nostrae historiae corruptionis, ut putant, fontem detegere conati sint. 1) Bochartus *Hieroz.* P. I. Lib. III. c. XXXIV. p. 1020. T. II. p. 434. edit. Lips. similitudinem vocum λοιμὸς, *pestis*, et λαμὸς, *mus* (apud Hesychium), caussam fuisse putat, ut una pro altera potuisset usurpari, et sic *muribus* tribui clades a *lue* accepta. 2) J. D. Michaelis existimat, Aegyptium quendam,

dam, qui cladem exercitui Asſyriaco illatam figuris hieroglyphicis deſcripſiſſet, adhibuiſſe *muris* imaginem, quam Aegyptii, teſte Horapolline, uſurpaſſent ut ſymbolum *extinctionis* et *everſionis;* ex illa igitur imagine, proprie accepta, ortam eſſe fabuloſam narrationem apud Herodotum. 3) Aliam erroris cauſſam affert Henslerus: Hebraeis vocabulum עַכְבָּר et *murem*, et *bubonem* vel venereum, vel peſtilentialem indicaſſe, apparere tam ex 1 Sam. VI, 4. 5. 11. 18., quam ex dialecto Syriaca, ubi hoc ipſum עַכְבַּר *furunculum*, *tuberculum*, *verrucam* ſignificare, Henslerum docuit Adlerus (conf. Michaelis *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* p. 1909.). Hinc facile fieri potuiſſe, ut Aegyptius aliquis Hebraeum in illa hiſtoria narranda voce עַכְבָּר de *peſte* utentem male intellexiſſet, et cladem exercitui Asſyriaco *peſte* illatam, *muribus* adſcripſiſſet. Jam quum Senacheribus et in Aegyptum expeditionem ſuſcepiſſet, ſed ut veriſimile eſt, ſine ſucceſſu, veram hiſtoriam ita eſſe corruptam, ut, quae Hieroſolymis in exercitu Asſyriaco edita eſſet ſtrages, in Aegypti confiniis facta narraretur. Mihi quidem valde incertum videtur, illam Herodoti narrationem ex noſtra hiſtoria ortam eſſe. *Mures* ingenti exercitui cauſſam cladis fuiſſe, narratur etiam de Cretenſibus, Hamaxiti in Troade conditoribus, de qua re veterum narrationes collegit Bochartus, l. c.

37. Propera fuga, absque interpoſita mora ad ſua reverſus eſt.

38. וַיְהִי הוּא מִשְׁתַּחֲוֶה בֵּית נִסְרֹךְ וגו׳ *Accidit autem, cum in templo Deum Nisroch ſupplex adoraret, ut a filiis ſuis in parentis caedem conjuratis, interficeretur.* נִסְרֹךְ eſſe *Belum Asſyrium*, cultum ſub figura *Martis*, conjecit Vitringa, qui vocem compoſitam exiſtimat ex נְשָׂא *efferre*, et רֵיךְ *rex*, ut notet *regem elatum*, glorioſum. A. Schultensius in *Nott. Phill.* ad Jerem.

Jerem. II, 23. p. 295. *Opuſcull. junctim editt.* in auxilium vocat Arabum شُرَكَآءُ qui Deo vero *conſortes* ſ. *ſocii* dantur, *idola.* SIMONIS in *Onomaſt. V. T.* p. 573. בִּסְלָךְ interpretatur *ſplendorem*, vel *ſplendidum*, coll. Chald. et Syr. בְּסַר *ſecuit*, Arab. نشر *renituit*, ſive نضر *nitore fulſit*, cum ךְ formativo, quale ſit in אַרְיוֹךְ, גְּבוֹךְ, סֶרֶךְ, etc. Alias ſed non veriſimiliores conjecturas collegit CARPZOVIUS in *Annott.* ad GOODWINUM, Lib. IV. Cap. VII. §. VI. p. 519. Nobis ſufficit, aliorum in medium protuliſſe ſententias, quum certi nihil habeamus, quod in tanta rerum obſcuritate probemus, quod et fatetur SELDENUS de *Diis Syris* Synt. II. Cap. X. „אֲרָרָט nomen proprium regionis in Armenia, praeter hunc locum occurrens 2 Regg. XX, 37. Jerem. LI, 27., ubi a מִנִּי, Minyade, ut regnum eo tempore ſeparatum, ſuique juris diſtinguitur. Dubitari vix poteſt, quin ea ſit, quam ipſi Armeni *Araratiam* vocant (vide Moſis Chorenenſis Hiſtoriam Armeniae, p. 289. 308. 358. 361.), ſita medio fere loco inter Araxen, lacusque Van et Ormian (ubi d'Anvilliana Aſiae delineatio ſub gradu longit. 63. latit. 39. habet, *Ararat ou Macis*). Recte et vere ergo ad hunc noſtrum locum Hieronymus: *Ararat regio in Armenia campeſtris eſt* (nempe magnam partem, qua montibus ſubjecta, campeſtris) *per quam Araxes fluit, incredibilis ubertatis.*“ Haec MICHAELIS in *Supplemm.* p. 130.

Cap. XXXVIII.

1\. בַּיָּמִים הָהֵם חָלָה חִזְקִיָּהוּ לָמוּת. *Circa idem tempus lethali morbo correptus est Hiskias.* Dubitant interpretes, quo tempore aegrotarit Hiskias? *ante* an *post* cladem Asſyrii? Qui priorem ſententiam defendunt, morbum Hiskiae antea accidiſſe, quam Senacheribus clade accepta domum redierit, nituntur his fere argumentis: Primo provocant ad vetuſtam Judaeorum traditionem in libro סדר עולם ſervatam, ubi Cap. XXIII. ſic habetur: לפני מפלתו של סנחריב חלה חזקיהו שלשים ימים *ante hanc Senacheribi cladem aegrotavit Hiskias per triduum.* Deinde ex eo, quod vates, vſ. 6. hujus Capitis, principi moeſto, ac propter arctas et afflictas res ſummopere gementi Jovae nomine reſpondet: *Tum etiam te ex manu regis Asſyrii expediam, una cum urbe hac,* manifeſte apparere, eo tempore quo Hiskias aegrotarit, Senacheribo cladem nondum illatam eſſe. Accedere, quod in toto hoc Cantico de liberatione adeo inſigni ab hoſte formidoloſiſſimo, ne verbum quidem occurrat, ſed ex adverſo animum ſpiret, Jovae auxilio intentum adhuc et confiſum, vid. vs. 20. Credibile vero non eſſe, regem tanto beneficio divinitus mactatum, animum laudibus jam praegnantem continere potuiſſe diutius, quo minus vel unum propter ſubitam adeo imminentis ſervitutis diſcuſſionem adderet encomium. Denique huc facere Hiskiae ingentem illam ſollicitudinem et perturbationem mentis, cum ſentiret, ſe, graviſſima affectum plaga, urgente Senacheribo, ſi moreretur, relicturum fore ſupremis expoſitam periculis aulam, urbem, quin totum quoque regnum Judaicum. His argumentis quae opponuntur ab alterius ſententiae defenſoribus, huc rede-

redeunt: *Primo*, recentiori illi Judaeorum traditioni ex libro סדר עולם obstare Josephi auctoritatem, qui *Antiqq. Judd.* Lib. X. c. 2. docet, morbum Hiskiae *non longe post* liberationem ab Assyrio incidisse [*πάσῃ δὲ χρησάμενος σπουδῇ καὶ φιλοτιμίᾳ περὶ τὸν Θεὸν*, scil. perdito Assyrio, *μετ' οὐ πολὺ νόσῳ χαλεπῇ περιπεσὼν κ. τ. λ.*]. Ad *secundum* pro priore sententia argumentum, quod petitur ex vs. 6., Vitringa ad h. l. respondet, id referri non ad hunc eventum irruptionis Senacheribi, sed ad eventus similes in posterum metuendos. Fuisse enim probabile, potentem illum principem reparato exercitu, et confirmato rerum suarum statu, ad urgendum propositum et honorem vindicandum stabiliendamque auctoritatem, reversurum esse. Contra argumentum *tertium* monent, Hiskiam carmen hoc composuisse non alium in finem, quam ut Deo sospitatori pro recuperata corporis valetudine in praesens grates persolvat, hujusque tantummodo beneficii memoria animum ipsius plenum fuisse. Ad *quartum* observant, sollicitudinem illam animi regis in eundem, metu hostium liberatum, at hactenus prole carente mascula, aeque bene quadrare, quam si in ipso hostium accessu aegrotasse ponas. Consentire Josephum, qui l. c. *τῷ δὲ νόσῳ*, inquit, *προσετίθετο καὶ ἀθυμία δεινὴ ὑπὸ τοῦ βασιλέως αὐτοῦ τὴν ἀπαιδίαν λογιζομένου, καὶ ὅτι μέλλοι τελευτᾷν ἔρημον καταλιπὼν τὸν οἶκον καὶ τὴν ἀρχὴν γνησίας διαδοχῆς.* Hisce accedunt binae aliae rationes, quibus liquidissime demonstratur, ac penitus conficitur, Hiskiam post Senacheribi demum reditum aegrotasse. Quarum quidem altera inde petitur, quod legatio regis Babelis ad Hiskiam regem demandata sit, postquam jam convaluisset. Missi erant illi viri, ut recuperatam valetudinem, nomine regis Babyloniorum, Hiskiae gratularentur (Jes. XXIX, 1. 2 Reg. XX, 12.), ac de miraculo, quod Jova per morbi tempus edidisset, sciscitarentur plenius (2 Chron. XXXII, 31.). Jam quum Babylon illo tempore obnoxia esset Assyrio, quo-

modo rex ei tributarius auſus fuiſſet gratulari Hiskiae adverſus Aſsyrios rebelli, dum ipſe Aſſyriae rex, in Judaea, aut confiniis ejus, cum exercitu graſſabatur? Sed poſt cladem Senacheribi ejusque regreſſum idem tuto et libere fieri potuit. Altera accedit ratio ex ordine, quo in libris ſacris haec referuntur. Nulla enim aegrotantis regis injicitur mentio, niſi quum horrenda clades, et inſecuta regis Aſſyrii fuga jam prius enarratae eſſent. Attendendum in primis ad diſertiſſimum 2 Chron. XXXII, 22. 23. locum, unde clariſſime liquet, ceteras quoque vicinas gentes regi de victoria reportata fuiſſe jam antea gratulatas, quam morbum illum exitialem ſubierit. Sub בַּיָּמִים הָהֵם intelligendus eſt idem clade Senacheribi nobilitatus annus. Regnavit enim Hiskias annos undetriginta (vid. 2 Reg. XVIII, 2. 2 Paral. XXIX, 1.). Jam 2 Reg. XVIII, 13. Senacheribus expeditionem in Judaeam ſuſcepiſſe narratur anno decimo quarto regni Hiskiae. Vixit autem Hiskias poſt morbum quindecim annos (vid. infra vs. 4.). Ergo neceſſe eſt, ut illo ipſo decimo quarto regni anno morbo iſto correptus ſit Hiskias: neque enim aliter viginti novem anni compleri ac definiri poſſunt. צַו לְבֵיתֶךָ *Praecipe domui tuae*, diſpenſa mandata domui tuae. Hunc enim hujus dictionis ſenſum eſſe, patet tum ex re ipſa, tum ex collatione 2 Sam. XVII, 23. Valet: conde teſtamentum, et oſtende tuis, quid poſt obitum tuum fieri velis.

2. וַיַּסֵּב חִזְקִיָּהוּ פָּנָיו אֶל־הַקִּיר *Et convertit Hiskias faciem ſuam ad parietem*, ne lachrymantem viderent illi, qui aſſidebant aegrotanti, atque ut tanto liberius animae ſuae deſideria coram Jova effundere poſſet. *Parietem* quidem eſſe putant *templi*, auctoritate Paraphraſtis Chaldaei, qui ponit: לְכוֹתַל בֵּית מַקְדְּשָׁא *ad parietem domus Sanctuarii*, ut, qua ratione tunc poſſet, in templo videretur orare. Quod in Babylone quo-

quotidie fecisse narratur Daniel (Cap. VI, 11.) qui apertis fenestris orabat Hierosolyma versus. Sic Muhammedani inter orandum sese convertunt ad *Caabam*, sive *templum Meccanum*.

4. In Regum libro secundo XX, 4. hoc paullo plenius narratur: *et accidit, cum Jesajas nondum pervasisset atrium medium, ut Jova ad ipsum loquutus sit:* Legitur ibi in Textu הָעִיר, ac si esset urbs media, sed Masorethae monent legendum esse חָצֵר *atrium*, scil. *aulae*. Dum vates ad regem ivit, subito succurrebat ipsi remedium morbi Hiskiae (vid. 2 Reg. XX, 7.).

5. הִנְנִי יוֹסִף עַל־יָמֶיךָ חֲמֵשׁ עֶשְׂרֵה שָׁנָה *Addet vitae tuae quindecim annos*. Vix monitu opus, haec verba vati suggesta esse a scriptore historiae. יוֹסִף hic scribitur pro יוֹסֵף, ut תּוֹמִיךְ pro תּוֹמֵךְ, Ps. XVI, 5.

6. וּמִכַּף מֶלֶךְ אַשּׁוּר אַצִּילְךָ *E manu Assyrii te eripiam*, i. e. faciam, ut in posterum per integros quindecim annos, quos vitae tuae addidi, te non adfligat, aut bello petat, quod et factum est.

7. Plenius haec narrantur 2 Reg. XX, 8. 9.

8. Priusquam de hujus eventus ratione disputemus, antea quid מַעֲלוֹת indicet, erit indagandum. Sed de hoc ipso vocabulo maximus interpretum est dissensus. Quum illud proprie *gradus* significet, alii *gradus scalae*, alii, quia de sole et umbra in hoc versu sermo est, *gradus in sciatherico* intelligendos existimarunt. Hujus sententiae auctor videtur esse interpres Chaldaeus, qui pro מַעֲלוֹת posuit אֶבֶן שָׁעַיָּא *lapidem horarum*, quem sequuti Symmachus ὡρολόγιον, et Hieronymus *horologium Ahas* posuerunt. Atque Hieronymus quidem in Commentario haec notat: „Datur autem signum, ut sol decem *gradibus* revertatur, quos nos juxta Sym-

 machum

machuin in *lineas* et *horologium* vertimus, qui *gradus* intellexit in *lineis*, ut manifestiorem sensum legentibus faceret. Sive ita exstructi erant gradus arte mechanica, ut per singulos umbra descendens, horarum spatia terminaret. Hebraei interpretes gnomonem illum narrant constitisse ex semicirculo, in cujus cavo fuerit globus, in quem cadens umbra responderit caesuris, factis in semicirculo ad numerum, ut ajunt, 28. Has caesuras hic vocari מַעֲלוֹת, id est, *gradus*. Ab hac sententia proxime abest Michaelis, qui in *Supplemm.* p. 1915. *gradus* hoc loco eo sensu accipiendos existimat, quo nostro tempore mathematici vocabulo utuntur; ut sit pars trecentesima sexagesima circuli; hanc enim hujus partis denominationem plane Orientalem esse, nec nos eam a Graecis Latinisve habere, sed ab Arabibus, درجة, *gradum* vocantibus. Nolo lectores morari variis virorum doctorum de horologio Ahasi figura conjecturis enarrandis; nam quum in reliquis sacris Hebraeorum libris ne vestigium quidem inveniatur, quo ad veram horologiorum Hebraicorum rationem indagandam perducamur, latus conjectandi campus patet, certi vero, ne veri quidem similis quidquam nemo efficere poterit. Qui tamen varias de hac re sententias legere cupit, evolvat Carpzovium in *Apparatu Historico-Critico Antiqq. Sacri Cod. et Gentis Hebraeae*, Lips. 1748. p. 352. seqq. Sed huic de *horologio* sententiae opposuerunt alii, diei partitionem in horas καιρικὰς, sive populares, nec tam esse antiquam, ut ad Ahasi aetatem ascendat; nec in textu quidquam esse, quod de solario cogitare nos jubeat: hinc nec ab Alexandrinis, nec a Josepho talem adhibitam esse dictionem, ex qua colligi possit, illos *solarium* intellexisse. Alexandrini posuerunt ἀναβαθμοὺς. Josephus vero, *Antiqq.* Lib. X. Cap. II. §. 1. βαθμοὺς. Verba ejus sunt: ἐρωτήσαντος δ' αὐτὸν, τί

βέλε-

βέλεται σημεῖον γενέσθαι, τὸν ἥλιον ἠξίωσεν, ἐπειδὴ σκιὰν ἐπὶ δέκα βαθμὰς ἀποκλίνας ἤδη πεποίηκεν ἐν τῇ οἰκίᾳ, ἐπὶ τὸν αὐτὸν ἀναστρέψαι τόπον ποιήσας, αὐτὴν πάλιν παρασχεῖν. Hinc et Adr. Relandus in Havercampiana Josephi editione p. 514. T. I. ad hunc locum notat: „nihil de gradibus, descriptis in materia aliqua, ut horologium, aut sciaterium fiat, sed *gradus domus* innuuntur.“ Atque haec sententia, *gradus palatii regii, ab Ahaso exstructi* (unde *gradus Ahasi*) hic esse intelligendos multis arrisit. Inprimis eam ornavit et commendavit G. H. Martini in Commentatione *von den Sonnenuhren der Alten*, Leip. 1777. p. 35. Hujus sententia huc redit: intelligendam esse scalam, qua in palatium regium ascendebatur, cujus in fastigio columna sive obeliscus fuerit adeo artificiose collocatus, ut umbram in gradus inferiores projiceret, et hoc modo non tam horas, quam potiores diei partes indicaret. Eadem sententia placuit quoque Doederlinio et Dathio. Quamquam ego non plane negaverim, diei partitionem in horas καιρικὰς illo tempore jam in usu fuisse, quum tam illius quam sciateriorum usus satis antiquus apud Babylonios fuerit, a quibus Graeci utrumque acceperunt (vid. Herodoti *Euterp.* c. 109.: πόλον μὲν γὰρ, καὶ γνώμονα, καὶ τὰ δυώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης, παρὰ Βαβυλωνίων ἔμαθον οἱ Ἕλληνες), unde et Goguetus, *Untersuchungen über den Ursprung der Gesetze, Künste und Wissenschaften*, P. III. p. 85. not. vers. germ. hic *sciathericum* intelligendum censet; satius tamen mihi videtur, quum pro utraque sententia argumenta non contemnenda afferri possint, judicium aliis relinquere. Eventus ipse, qui hic narratur, semper idem manet, sive unum sumas, sive alterum. Quod vero illius rationem adtinet, recte observat Doederlein, mirum in modum falli, qui sumant, solem ipsum loco motum, ut moveretur umbra per gnomonem in horologio horizontali imminentem retracta. Maxime alienum id

id foret a divina sapientia, quae vix patitur, confirmandae unius uni homini datae promissionis causa universi orbis ordinem non mutari tantum, sed turbari quoque atque everti. Hinc alii saniorem hunc eventum interpretandi rationem tentarunt. Primus, quantum scio, hoc fecit von der HARDT in *Bibl. Bremensi*, Tom. I. p. 840. seqq. Ipse quoque non gradus sciatherici indigitari putat, sed gradus scalae, ex arce Sionis in Templum tendentis, ab Ahaso et metu Assyrii destructae et remotae, et ab eodem, cessante periculo reparatae, unde *κατ' ἐξοχὴν gradus Ahasi* dicantur. Umbram itaque templi decem tunc implevisse pontis, aut ambulacri regii gradus, sive plures fuerint, sive minus, unde colligere liceat, post meridiem signum illud et praedictum et editum fuisse. Sensum verborum prophetae hunc dicit: sequenti die, redeunte iterum umbra in eundem locum, superstitem adhuc regem futurum. Ita nimirum instituit: „Promissio divina erat clara, *regem perendie in templum reversurum*. Haesitabat rex, vel morbi acerbitate compulsus, vitam sibi eousque propagatum iri, dubitans. Symbolum igitur divinae sponsionis in re tam difficili, a propheta prae sollicitudine exquirens, a propheta accipit redeuntem diem crastinum. Quam certo dies crastinus redeat, et quam certo die crastino, circa idem tempus umbra illuc revertatur, et quam certo, tempore illo redeunte, rex sit superfuturus, tam certo perendie illum in templum reversurum, ac per gradus illos in domum Jovae denuo commeaturum. Quam sit Deo facile, diem revocare, ut redeat, ut in eundem locum, ubi pridie haeserat, umbra revertatur, tam facile esse Deo, reddere regi sanitatem, ut cum redeunte valetudine in templum perendie revertatur." Sed quisque sponte intelliget, hanc interpretationem cum verbis textus vix posse conciliari. Nec plane negari poterit, insoliti quidquam eventum illum habuisse, quod partim

ex

ex ipſe narrandi ratione, partim ex eo patet, quod hujus rei fama etiam in regiones longinquas perlata fuerit (conf. 2 Chron. XXXII, 31.). SPINOZA in *Tractatu Theologico-Politico*, Cap. II. p. 22. *parelion* exiſtimat inſolitum umbrae motum effeciſſe. Mihi quidem veriſimilior videtur VELTHUSENII ſententia (in Commentatione quae inſcribitur: *Beytrag zur Aufklärung des Dankliedes Hiskiä*, in *den Beyträgen zur Beförderung theologiſcher und anderer wichtiger Kenntniſſe*, editt. ab JOH. ANDR. CRAMERO, P. I. Kilohi, 1777. p. 16. ſeqq. not. 12.), omnem illam umbrae mutationem pependiſſe a nube, quae, dum ſolis radios intercepiſſet, et ſingulari plane ratione fregiſſet, vel umbram vel lucem reddidiſſet gradibus. Sic Mylius in Commentat. *Ueber die Majeſtät Gottes*, quae inſerta eſt *den Beluſtigungen des Verſtandes und Witzes, Chriſtmonat*, 1743. p. 473—479., refert, ſeculi decimi octavi initio, Metis (*Metz*), celebri Lotharingiae urbe, obſervatum fuiſſe, nubeculae, qua radii ſolares refracti eſſent, interventu, umbram gnomonis usque ad ſesquihoram receſſiſſe. Similes umbrae regreſſus et progreſſus quomodo refractis radiis ſolaribus in vaſe vitreo, aqua impleto, aut ſpeculo, effici poſſint, apud ipſum Velthuſenium legi poteſt. Veriſimile eſt, hujusmodi ſingularem radiorum ſolarium refractionem umbraeque mutationem caſu forteque eveniſſe illo ipſo tempore, quo Jeſajas regi de recuperanda valetudine promiſſa daret: ſapienter igitur vates inſolito illo eventu utebatur ad confirmandum regis dubitantis et ſolliciti animum.

Sequitur nunc Hiskiae Carmen euchariſticum, de cujus interpretatione optime meriti ſunt EVERARDUS

dam, qui cladem exercitui Assyriaco illatam figuris hieroglyphicis descripsisset, adhibuisse *muris* imaginem, quam Aegyptii, teste Horapolline, usurpassent ut symbolum *extinctionis* et *eversionis*; ex illa igitur imagine, proprie accepta, ortam esse fabulosam narrationem apud Herodotum. 3) Aliam erroris caussam affert Henslerus: Hebraeis vocabulum עַכְבָּר et *murem*, et *bubonem* vel venereum, vel pestilentialem indicasse, apparere tam ex 1 Sam. VI, 4. 5. 11. 18., quam ex dialecto Syriaca, ubi hoc ipsum עכבר *furunculum*, *tuberculum*, *verrucam* significare, Henslerum docuit Adlerus (conf. Michaelis *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* p. 1909.). Hinc facile fieri potuisse, ut Aegyptius aliquis Hebraeum in illa historia narranda voce עַכְבָּר de *peste* utentem male intellexisset, et cladem exercitui Assyriaco *peste* illatam, *muribus* adscripsisset. Jam quum Senacheribus et in Aegyptum expeditionem suscepisset, sed ut verisimile est, sine successu, veram historiam ita esse corruptam, ut, quae Hierosolymis in exercitu Assyriaco edita esset strages, in Aegypti confiniis facta narraretur. Mihi quidem valde incertum videtur, illam Herodoti narrationem ex nostra historia ortam esse. *Mures* ingenti exercitui caussam cladis fuisse, narratur etiam de Cretensibus, Hamaxiti in Troade conditoribus, de qua re veterum narrationes collegit Bochartus, l. c.

37. Propera fuga, absque interposita mora ad sua reversus est.

38. וַיְהִי הוּא מִשְׁתַּחֲוֶה בֵּית נִסְרֹךְ וגו׳ *Accidit autem, cum in templo Deum Nisroch supplex adoraret, ut a filiis suis in parentis caedem conjuratis, interficeretur.* נִסְרֹךְ esse *Belum Assyrium*, cultum sub figura *Martis*, conjecit Vitringa, qui vocem compositam existimat ex נָשָׂא *efferre*, et רַךְ *rex*, ut notet *regem elatum*, gloriosum. A. Schultensius in *Nott. Phill.* ad Jerem.

Jerem. II, 23. p. 295. *Opuscull. junctim editt.* in auxilium vocat Arabum شُرَكَاء qui Deo vero *consortes* s. *socii* dantur, *idola*. Simonis in *Onomast. V. T.* p. 573. בְּסֹלֶג interpretatur *splendorem*, vel *splendidum*, coll. Chald. et Syr. בְּסַר *secuit*, Arab. نَشَرَ *renituit*, sive نَضَرَ *nitore fulsit*, cum ךְ formativo, quale sit in אַרְיוֹךְ, נְבוּךְ, סָרֵךְ, etc. Alias sed non verisimiliores conjecturas collegit Carpzovius in *Annott.* ad Goodwinum, Lib. IV. Cap. VII. §. VI. p. 519. Nobis sufficit, aliorum in medium protulisse sententias, quum certi nihil habeamus, quod in tanta rerum obscuritate probemus, quod et fatetur Seldenus de *Diis Syris* Synt. II. Cap. X. „אֲרָרָט nomen proprium regionis in Armenia, praeter hunc locum occurrens 2 Regg. XX, 37. Jerem. LI, 27., ubi a מִנִּי, Minyade, ut regnum eo tempore separatum, suique juris distinguitur. Dubitari vix potest, quin ea sit, quam ipsi Armeni *Araratiam* vocant (vide Mosis Chorenensis Historiam Armeniae, p. 289. 308. 358. 361.), sita medio fere loco inter Araxen, lacusque Van et Ormian (ubi d'Anvilliana Asiae delineatio sub gradu longit. 63. latit. 39. habet, *Ararat ou Masis*). Recte et vere ergo ad hunc nostrum locum Hieronymus: *Ararat regio in Armenia campestris est* (nempe magnam partem, qua montibus subjecta, campestris) *per quam Araxes fluit, incredibilis ubertatis.*" Haec Michaelis in *Supplemm.* p. 130.

Cap.

Cap. XXXVIII.

1. בַּיָּמִים הָהֵם חָלָה חִזְקִיָּהוּ לָמוּת, *Circa idem tempus lethali morbo correptus est Hiskias.* Dubitant interpretes, quo tempore aegrotarit Hiskias? *ante* an *post* cladem Assyrii? Qui priorem sententiam defendunt, morbum Hiskiae antea accidisse, quam Senacheribus clade accepta domum redierit, nituntur his fere argumentis: Primo provocant ad vetustam Judaeorum traditionem in libro סדר עולם servatam, ubi Cap. XXIII. sic habetur: לפני מפלתו של סנחריב חלה חזקיהו שלשת ימים *ante hanc Senacheribi cladem aegrotavit Hiskias per triduum.* Deinde ex eo, quod vates, vs. 6. hujus Capitis, principi moesto, ac propter arctas et afflictas res summopere gementi Jovae nomine respondet: *Tum etiam te ex manu regis Assyrii expediam, una cum urbe hac,* manifeste apparere, eo tempore quo Hiskias aegrotarit, Senacheribo cladem nondum illatam esse. Accedere, quod in toto hoc Cantico de liberatione adeo insigni ab hoste formidolosissimo, ne verbum quidem occurrat, sed ex adverso animum spiret, Jovae auxilio intentum adhuc et confisum, vid. vs. 20. Credibile vero non esse, regem tanto beneficio divinitus mactatum, animum laudibus jam praegnantem continere potuisse diutius, quo minus vel unum propter subitam adeo imminentis servitutis discussionem adderet encomium. Denique huc facere Hiskiae ingentem illam sollicitudinem et perturbationem mentis, cum sentiret, se, gravissima affectum plaga, urgente Senacheribo, si moreretur, relicturum fore supremis expositam periculis aulam, urbem, quin totum quoque regnum Judaicum. His argumentis quae opponuntur ab alterius sententiae defensoribus, huc rede-

redeunt: *Primo*, recentiori illi Judaeorum traditioni ex libro סדר עולם obstare Josephi auctoritatem, qui *Antiqq. Judd.* Lib. X, c. 2. docet, morbum Hiskiae *non longe post* liberationem ab Assyrio incidisse [*πάσχει δὲ χρησάμενος σπουδῇ καὶ φιλοτιμίᾳ περὶ τὸν Θεόν*, scil. perdito Assyrio, *μετ' ὀ πολὺ νόσῳ χαλεπῇ περιπεσὼν κ. τ. λ.*]. Ad *secundum* pro priore sententia argumentum, quod petitur ex vs. 6., Vitringa ad h. l. respondet, id referri non ad hunc eventum irruptionis Senacheribi, sed ad eventus similes in posterum metuendos. Fuisse enim probabile, potentem illum principem reparato exercitu, et confirmato rerum suarum statu, ad urgendum propositum et honorem vindicandum stabiliendamque auctoritatem, reversurum esse. Contra argumentum *tertium* monent, Hiskiam carmen hoc composuisse non alium in finem, quam ut Deo sospitatori pro recuperata corporis valetudine in praesens grates persolvat, hujusque tantummodo beneficii memoria animum ipsius plenum fuisse. Ad *quartum* observant, sollicitudinem illam animi regis in eundem, metu hostium liberatum, at hactenus prole carente mascula, aeque bene quadrare, quam si in ipso hostium accessu aegrotasse ponas. Consentire Josephum, qui l. c. *τῷ δὲ νόσῳ*, inquit, *προσετίθετο καὶ ἀθυμία δεινὴ ὑπὸ τῦ βασιλέως αὐτῦ τὴν ἀπαιδίαν λογιζομένυ, καὶ ὅτι μέλλοι τελευτᾷν ἔρημον καταλείπων τὸν οἶκον καὶ τὴν ἀρχὴν γνησίας διαδοχῆς.* Hisce accedunt binae aliae rationes, quibus liquidissime demonstratur, ac penitus conficitur, Hiskiam post Senacheribi demum reditum aegrotasse. Quarum quidem altera inde petitur, quod legatio regis Babelis ad Hiskiam regem demandata sit, postquam jam convaluisset. Missi erant illi viri, ut recuperatam valetudinem, nomine regis Babyloniorum, Hiskiae gratularentur (Jes. XXXIX, 1. 2 Reg. XX, 12.), ac de miraculo, quod Jova per morbi tempus edidisset, sciscitarentur plenius (2 Chron. XXXII, 31.). Jam quum Babylon illo tempore obnoxia esset Assyrio, quo-

amodo

modo rex ei tributarius ausus fuisset gratulari Hiskiae adversus Asfyrios rebelli, dum ipse Asfyriae rex, in Judaea, aut confiniis ejus, cum exercitu grassabatur? Sed post cladem Senacheribi ejusque regressum idem tuto et libere fieri potuit. Altera accedit ratio ex ordine, quo in libris sacris haec referuntur. Nulla enim aegrotantis regis injicitur mentio, nisi quum horrenda clades, et insecuta regis Asfyrii fuga jam prius enarratae essent. Attendendum in primis ad disertissimum 2 Chron. XXXII, 22. 23. locum, unde clarissime liquet, ceteras quoque vicinas gentes regi de victoria reportata fuisse jam antea gratulatas, quam morbum illum exitialem subierit. Sub בַּיָּמִים הָהֵם intelligendus est idem clade Senacheribi nobilitatus annus. Regnavit enim Hiskias annos undetriginta (vid. 2 Reg. XVIII, 2. 2 Paral. XXIX, 1.). Jam 2 Reg. XVIII, 13. Senacheribus expeditionem in Judaeam suscepisse narratur anno decimo quarto regni Hiskiae. Vixit autem Hiskias post morbum quindecim annos (vid. infra vs. 4.): Ergo necesse est, ut illo ipso decimo quarto regni anno morbo isto correptus sit Hiskias: neque enim aliter viginti novem anni compleri ac definiri possunt. צַו לְבֵיתֶךָ *Praecipe domui tuae*, dispensa mandata domui tuae. Hunc enim hujus dictionis sensum esse, patet tum ex re ipsa, tum ex collatione 2 Sam. XVII, 23. Valet: conde testamentum, et ostende tuis, quid post obitum tuum fieri velis.

2. וַיַּסֵּב חִזְקִיָּהוּ פָּנָיו אֶל־הַקִּיר *Et convertit Hiskias faciem suam ad parietem*, ne lachrymantem viderent illi, qui assidebant aegrotanti, atque ut tanto liberius animae suae desideria coram Jova effundere posset. *Parietem* quidem esse putant *templi*, auctoritate Paraphrastis Chaldaei, qui ponit: לְכוֹתֶל בֵּית מַקְדְּשָׁא *ad parietem domus Sanctuarii*, ut, qua ratione tunc posset, in templo videretur orare. Quod in Babylone

quo-

quotidie fecisse narratur Daniel (Cap. VI, 11.) qui apertis fenestris orabat Hierosolyma versus. Sic Muhammedani inter orandum sese convertunt ad *Caabam*, sive *templum Meccanum*.

4. In Regum libro secundo XX, 4. hoc paullo plenius narratur: *et accidit, cum Jesajas nondum pervasisset atrium medium, ut Jova ad ipsum lequutus sit.* Legitur ibi in Textu הָעִיר, ac si esset urbs media, sed Masorethae monent legendum esse חָצֵר *atrium*, scil. *aülae*. Dum vates ad regem ivit, subito succurrebat ipsi remedium morbi Hiskiae (vid. 2 Reg. XX, 7.).

5. הִנְנִי יוֹסִף עַל־יָמֶיךָ חֲמֵשׁ עֶשְׂרֵה שָׁנָה *Addet vitae tuae quindecim annos.* Vix monitu opus, haec verba vati suggesta esse a scriptore historiae. יוֹסִף hic scribitur pro יוֹסֵף, ut תּוֹמִיךְ pro תּוֹמֵךְ, Ps. XVI, 5.

6. וּמִכַּף מֶלֶךְ אַשּׁוּר אַצִּילְךָ *E manu Assyrii te eripiam*, i. e. faciam, ut in posterum per integros quindecim annos, quos vitae tuae addidi, te non adfligat, aut bello petat, quod et factum est.

7. Plenius haec narrantur 2 Reg. XX, 8. 9.

8. Priusquam de hujus eventus ratione disputemus, antea quid מַעֲלוֹת indicet, erit indagandum. Sed de hoc ipso vocabulo maximus interpretum est dissensus. Quum illud proprie *gradus* significet, alii *gradus scalae*, alii, quia de sole et umbra in hoc versu sermo est, *gradus in sciatherico* intelligendos existimarunt. Hujus sententiae auctor videtur esse interpres Chaldaeus, qui pro מַעֲלוֹת posuit אֶבֶן שָׁעַיָּא *lapidem horarum*, quem sequuti Symmachus ὡρολόγιον, et Hieronymus *horologium Ahas* posuerunt. Atque Hieronymus quidem in Commentario haec notat: „Datur autem signum, ut sol decem *gradibus* revertatur, quos nos juxta Sym-

machum in *lineas* et *horologium* vertimus, qui *gradus* intellexit in *lineis*, ut manifestiorem sensum legentibus faceret. Sive ita exstructi erant gradus arte mechanica, ut per singulos umbra descendens, horarum spatia terminaret. Hebraei interpretes gnomonem illum narrant constitisse ex semicirculo, in cujus cavo fuerit globus, in quem cadens umbra responderit caesuris, factis in semicirculo ad numerum, ut ajunt, 28. Has caesuras hic vocari מַעֲלוֹת, id est, *gradus*. Ab hac sententia proxime abest Michaelis, qui in *Supplemm.* p. 1915. *gradus* hoc loco eo sensu accipiendos existimat, quo nostro tempore mathematici vocabulo utuntur; ut sit pars trecentesima sexagesima circuli; hanc enim hujus partis denominationem plane Orientalem esse, nec nos eam a Graecis Latinisve habere, sed ab Arabibus, درجة, *gradum* vocantibus. Nolo lectores morari variis virorum doctorum de horologio Ahasi figura conjecturis enarrandis; nam quum in reliquis sacris Hebraeorum libris ne vestigium quidem inveniatur, quo ad veram horologiorum Hebraicorum rationem indagandam perducamur, latus conjectandi campus patet, certi vero, ne veri quidem similis quidquam nemo efficere poterit. Qui tamen varias de hac re sententias legere cupit, evolvat Carpzovium in *Apparatu Historico-Critico Antiqq. Sacri Cod. et Gentis Hebraeae*, Lips. 1748. p. 352. seqq. Sed huic de *horologio* sententiae opposuerunt alii, diei partitionem in horas καιρικὰς, sive populares, nec tam esse antiquam, ut ad Ahasi aetatem ascendat; nec in textu quidquam esse, quod de solario cogitare nos jubeat: hinc nec ab Alexandrinis, nec a Josepho talem adhibitam esse dictionem, ex qua colligi possit, illos *solarium* intellexisse. Alexandrini posuerunt ἀναβαθμούς. Josephus vero, *Antiqq.* Lib. X. Cap. II. §. 1. βαθμούς. Verba ejus sunt: ἐρωτήσαντος δ' αὐτὸν, τί

βέλε-

βούλεται σημεῖον γενέσθαι, τὸν ἥλιον ἠξίωσεν, ἐπειδὴ σκιὰν ἐπὶ δέκα βαθμοὺς ἀποκλίνας ἤδη πεποίηκεν ἐν τῇ οἰκίᾳ, ἐπὶ τὸν αὐτὸν ἀναστρέψαι τόπον ποιήσας, αὐτὴν πάλιν παρασχεῖν. Hinc et Adr. Relandus in Havercampiana Josephi editione p. 514. T. I. ad hunc locum notat: „nihil de gradibus, descriptis in materia aliqua, ut horologium, aut sciaterium fiat, sed *gradus domus* innuuntur.“ Atque haec sententia, *gradus palatii regii, ab Ahaso exstructi* (unde *gradus Ahasi*) hic esse intelligendos multis arrisit. Inprimis eam ornavit et commendavit G. H. Martini in Commentatione *von den Sonnenuhren der Alten*, Leip. 1777. p. 35. Hujus sententia huc redit: intelligendam esse scalam, qua in palatium regium ascendebatur, cujus in fastigio columna sive obeliscus fuerit adeo artificiose collocatus, ut umbram in gradus inferiores projiceret, et hoc modo non tam horas, quam potiores diei partes indicaret. Eadem sententia placuit quoque Doederlinio et Dathio. Quamquam ego non plane negaverim, diei partitionem in horas *καιρικὰς* illo tempore jam in usu fuisse, quum tam illius quam sciateriorum usus satis antiquus apud Babylonios fuerit, a quibus Graeci utrumque acceperunt (vid. Herodoti *Euterp.* c. 109.: *πόλον μὲν γὰρ, καὶ γνώμονα, καὶ τὰ δυώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης, παρὰ Βαβυλωνίων ἔμαθον οἱ Ἕλληνες*), unde et Goguetus, *Untersuchungen über den Ursprung der Gesetze, Künste und Wissenschaften*, P. III. p. 85. not. vers. germ. hic *sciathericum* intelligendum censet; satius tamen mihi videtur, quum pro utraque sententia argumenta non contemnenda afferri possint, judicium aliis relinquere. Eventus ipse, qui hic narratur, semper idem manet, sive unum sumas, sive alterum. Quod vero illius rationem adtinet, recte observat Doederlein, mirum in modum falli, qui sumant, solem ipsum loco motum, ut moveretur umbra per gnomonem in horologio horizontali imminentem retracta. Maxime alienum id

id foret a divina sapientia, quae vix patitur, confirmandae unius uni homini datae promissionis causa universi orbis ordinem non mutari tantum, sed turbari quoque atque everti. Hinc alii saniorem hunc eventum interpretandi rationem tentarunt. Primus, quantum scio, hoc fecit von der Hardt in *Bibl. Bremensi*, Tom. I. p. 840. seqq. Ipse quoque non gradus sciatherici indigitari putat, sed gradus scalae, ex arce Sionis in Templum tendentis, ab Ahaso et metu Assyrii destructae et remotae, et ab eodem, cessante periculo reparatae, unde *κατ' ἐξοχὴν gradus Ahasi* dicantur. Umbram itaque templi decem tunc implevisse pontis, aut ambulacri regii gradus, sive plures fuerint, sive minus, unde colligere liceat, post meridiem signum illud et praedictum et editum fuisse. Sensum verborum prophetae hunc dicit: sequenti die, redeunte iterum umbra in eundem locum, superstitem adhuc regem futurum. Ita nimirum instituit: „Promissio divina erat clara, *regem perendie in templum reversurum*. Haesitabat rex, vel morbi acerbitate compulsus, vitam sibi eousque propagatum iri, dubitans. Symbolum igitur divinae sponsionis in re tam difficili, a propheta prae sollicitudine exquirens, a propheta accipit redeuntem diem crastinum. Quam certo dies crastinus redeat, et quam certo die crastino, circa idem tempus umbra illuc revertatur, et quam certo, tempore illo redeunte, rex sit superfuturus, tam certo perendie illum in templum reversurum, ac per gradus illos in domum Jovae denuo commeaturum. Quam sit Deo facile, diem revocare, ut redeat, ut in eundem locum, ubi pridie haeserat, umbra revertatur, tam facile esse Deo, reddere regi sanitatem, ut cum redeunte valetudine in templum perendie revertatur." Sed quisque sponte intelliget, hanc interpretationem cum verbis textus vix posse conciliari. Nec plane negari poterit, insoliti quidquam eventum illum habuisse, quod partim

ex

ex ipſe narrandi ratione, partim ex eo patet, quod hujus rei fama etiam in regiones longinquas perlata fuerit (conf. 2 Chron. XXXII, 31.). SPINOZA in *Tractatu Theologico-Politico*, Cap. II. p. 22. *parelion* exiſtimat inſolitum umbrae motum effeciſſe. Mihi quidem veriſimilior videtur VELTHUSENII ſententia (in Commentatione quae inſcribitur: *Beytrag zur Aufklärung des Dankliedes Hiskiä*, in *den Beyträgen zur Beförderung theologiſcher und anderer wichtiger Kenntniſſe*, editt. ab JOH. ANDR. CRAMERO, P. I. Kiloni, 1777. p. 16. ſeqq. not. 12.), omnem illam umbrae mutationem pependiſſe a nube, quae, dum ſolis radios intercepiſſet, et ſingulari plane ratione fregiſſet, vel umbram vel lucem reddidiſſet gradibus. Sic Mylius in Commentat. *Ueber die Majeſtät Gottes*, quae inſerta eſt *den Beluſtigungen des Verſtandes und Witzes*, *Chriſtmonat*, 1743. p. 473 — 479., refert, ſeculi decimi octavi initio, Metis (*Metz*), celebri Lotharingiae urbe, obſervatum fuiſſe, nubeculae, qua radii ſolares refracti eſſent, interventu, umbram gnomonis usque ad ſesquihoram receſſiſſe. Similes umbrae regreſſus et progreſſus quomodo refractis radiis ſolaribus in vaſe vitreo, aqua impleto, aut ſpeculo, effici poſſint, apud ipſum Velthuſenium legi poteſt. Veriſimile eſt, hujusmodi ſingularem radiorum ſolarium refractionem umbraeque mutationem caſu forteque eveniſſe illo ipſo tempore, quo Jeſajas regi de recuperanda valetudine promiſſa daret: ſapienter igitur vates inſolito illo eventu utebatur ad confirmandum regis dubitantis et ſolliciti animum.

Sequitur nunc Hiskiae Carmen euchariſticum, de cujus interpretatione optime meriti ſunt EVERARDUS

Schnsdius, Theologus Herdeoroviensis, in *Dissertatione ad hoc Canticum*, cum *Specimine Observatt. ad quaedam V. T. loca* edita Lugd. Batavor. 1769., et Joh. Casp. Velthusen in Commentatione supra jam laudata. Vernacule illud reddidit adjectis annotationibus et praemissa docta disquisitione de iis quae hoc et superiore Capite enarrata leguntur, C. Guil. Justi in Anthologia Hebraica (*Blumen alt-hebräischer Dichtkunst*) p. 496. seqq. Quatuor priores hujus Carminis Versus uberiore Commentatio illustravit Otto Nath. Nicolai, Theologus olim Magdeburgensis, in *Commentatione theologico-philologica de terroribus regis, Hiskiae in faucibus mortis constituti, ad maxime vexatam, quae Esajae Cap. XXXVIII, Com. 10—15. extat pericopen*, Helmstad. 1749. in quaternis.

Inscriptio carminis.

(Vs. 9.)

מִכְתָּב *Scriptum quid*, hic denotare *Carmen* ab Hiskia *scriptum*, res ipsa docet. Particula לְ ante חִזְקִיָּהוּ hic *opus* (מִכְתָּב) refert ad suum *auctorem*, vertendumque est Latine in *Genitivo*, ut saepissime in Psalmorum inscriptionibus מִזְמוֹר לְדָוִד *Carmen Davidis*. Cujus usus rationem bene exposuit Storr in *Observatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 291. Cf. quae nos notavimus in Explicatione Titulorum Psalmorum in Prolegomenis ad *Psalmos annotatione perpetua* a nobis illustratos p. XL.

Carminis *Argumentum* binis potissimum membris comprehendi potest: *priori* illo, quod inde a commate 10 ad 14. decurrit, rex deplorandam atque afflictissimam suam exhibet conditionem, qua corpore simul et ani-

animo extremum laborans, de imminenti exitio ac irati numinis indignatione angebatur, atque ad Jovam ardentissimas mittebat preces; *posterior* vero, a commate 15 ad 20, in amplissimas benignissimi numinis erumpit laudes, atque soluta tandem voce ac fronte explicata, spondet, sese, cum tota domo sua, et omni Judaeorum gente, per omnes vitae suae dies Jovae laudes semper esse celebraturum.

---

10. Exordium ducit rex a summa mentis suae desperatione et angore, quo atrocissimi morbi violentia totus fractus, et imminenti attonitus fato, non nisi exitium ab oculos sibi posuerit. בִּדְמִי יָמַי אֵלֵכָה בְּשַׁעֲרֵי שְׁאוֹל *In meridie dierum meorum intrabo portas orci!* Dictionem בִּדְמִי יָמַי Graecus Alexandrinus interpretatus est ἐν τῷ ὕψει τῶν ἡμερῶν μου, „ob literae," inquit Hieronymus, „similitudinem, *Ramo* [רמי] pro *Dame* [דמי] legentes, licet quidam *Damo*, *sanguinem* verterint, ut sit sensus: *in sanguine dierum meorum*, quando meus cruor, meusque expetebatur interitus." Aquila autem, et reliqui Graeci interpretes, eodem Hieronymo teste, verterunt: *in silentio dierum meorum*, quibuscum concinit Jarchius, qui דְּמִי per חֲרִישָׁה *silentium* exponit, tale vero silentium intelligit, quod a devastatione et excidio oritur; addit enim, nominis דְּמִי notionem repetendam esse e loco Zeph. I, 11, נִדְמָה כָּל־עַם כְּנַעַן *excisus est omnis populus Canaan*. Sensu haud differt Kimchius, qui בִּדְמִי יָמַי idem esse ait ac בִּכְרִיתַת יָמַי *in succisione dierum meorum*, coll. Hos. IV, 5. Jes. VI, 5., quibus locis verbum דָּמָה *succidendi* significatu legitur. Idem Vitringae placuit, et pluribus post eum interpretibus. Recte tamen Scheidius monuit, minus commodum et elegantem esse sensum, ea admissa interpretatione. „Quid enim," inquit, „in

 effato

effato tali vel ſublime; vel graviter, poeta divino dignum enunciatum? Nonne omnes perimus ac morimur ſi dies vitae noſtrae ſuccidantur? Hoccine regi prae aliis miſere ſubeundum fuit?“ Oſtendit vero Scheidius e dialecto Arabica, radices דָּמַם, דּוּם, דִּים, דָּמַן et דָּמַי, a quarum ultima noſtrum דְּמִי proxime deſcendit, communem habere, eamque primam et propriam *complanandi* notionem; eam vero notionem ab Hebraeis juxta et Arabibus ad *ſolem* transferri, quando hic ipſa meridie in medio coeli culmine immobilis, ac quaſi *complanatus* apparet. Dsjeuhari: دوّمت الشمس في كبد السماء قال والشمس حيرى لها في الجوّ تدويم, i. e. דומח השמש *de ſole dicitur, quando ſtat in medio coeli culmine: Poeta quidem: „Sol vero vehementiſſime viſum praeſtringit, dum in aëre medio culmen occupat.“* Pari ratione שוי, سوى *complanavit, aequavit*, de ſole, culmen coeli tenente, ab Arabibus uſurpari, Scheidius exemplis docet, Eodem modo Hebraei דְּמִי הַיּוֹם uſurpaſſe videntur de *meridie.* Hinc בִּדְמִי יָמַי vertendum erit; *in meridie dierum meorum*, quod plane reſpondet Graeco: *ἐν τῇ μεσημβρίᾳ τοῦ βίου*, media aetate mea. שַׁעֲרֵי שְׁאוֹל ſunt *portae orci*, *πύλαι ᾅδου*, *σκότου πύλαι*, apud Graecos. Vocem שְׁאוֹל proprie deſignare *imum* terrae *fundum*, *τοὺς βαθυτάτους τόπους*, hincque transferri ad *orcum*, res eſt ſatis nota; conf. not. ſupra ad Cap. XIV, 9. פֻּקַּדְתִּי יֶתֶר שְׁנוֹתָי *Deſtituor* quoad *reliquum annorum meorum*; ſive Latine: *reliquum annorum deficit me.* Hieronymus: *quaeſivi reſiduum annorum meorum;* quaſi legiſſet פָּקַדְתִּי. Senſus idem. Significatio verbi פָּקַד, quae hic obtinet, eadem eſt, quam habuimus ſupra XXXIV, 16. אִשָּׁה רְעוּתָהּ לֹא פָקָדוּ *unum non deſiderat alterum.*

11.

11. לֹא־אֶרְאֶה יָהּ יָהּ בְּאֶרֶץ הַחַיִּים *Non videbo Jah Jah in terra viventium.* De voce יָהּ conſ. not. ad Jeſ. XII, 2. Repetitio hujus nominis depingit interiorem animi regii aeſtum et fervorem in humillimis precibus et acerbiſſimo luctu. Cujusmodi repetitiones, in Tragicis Graecis uſitatiſſimae, in carminibus Hebraeorum inſolitae non ſunt, exemplum occurrit ſtatim infra vs. 19. Loquutio, *Deum videre in terra viventium*, hic ſignificat, favoris, praeſentiſſimaeque Jovae opis et auxilii his in terris indiciis perfrui; nam verbum רָאָה ſaepe adhibetur de *contemplatione, quae cum ingenti admiratione et* gaudio conjuncta eſt, ac ipſa illius rei, quam percipimus, lauta fruitione. Plenior phraſis extat Pſ. XXVII, 13. *Niſi firmiter ego confiſus fuiſſem* לִרְאוֹת בְּטוּב יְהוָה בְּאֶרֶץ חַיִּים *me viſurum*, h. e. eximie re ipſa et facto experturum fuiſſe, *benignitatem Jovae in terra viventium.* Conf. Prov. XXIII, 31. 33. Eccl. I, 16. III, 13. VI, 6. אֶרֶץ הַחַיִּים *totus orbis*, qua late patet, vid. Job. XXVIII, 13. Pſ. LII, 7. CXVI, 9. CXLII, 6. Jeſ. LIII, 8. et ſaepe in Ezechiele. לֹא אַבִּיט אָדָם עוֹד עִם־יוֹשְׁבֵי חָדֶל *Non intuebor amplius hominem cum incolis terrae ceſſationis*, i. e. iis adſociatus. Verbum חָדַל proprie ſignificat, *flacceſcit, vis atque vigor remiſſus jacet.* Vid. Schultensii *Commentar. in Job.* p. 72. 283. 351., *Commentar. in Proverb.* p. 213. 287. et *Nott. ad Excerpta ex Hamaſa*, p. 334. Deinde uſurpatur de *ceſſatione vitae, cum vigor omnis remiſſus et extinctus jacet.* Sic Pſ. XXXIX, 5. *Notum fac mihi, Jova, finem meum, et menſuram dierum meorum, quantilla haec ſit, ut cognoscam* מֶה־חָדֵל אָנִי, *quam flaccidus ego ſim.* Job. X, 20. הֲלֹא מְעַט יָמַי יֶחְדָּל, *annon pauxillum dierum meorum flacceſcet, debilitabitur, citiſſime.* Firuzabadius: الخاذل المنهرم חוֹרֵל *is eſt, qui prae ſenio totus fractus et debilitatus eſt.* Hinc יוֹשְׁבֵי חָדֶל *incolae torporis*, ſive regni torporis,

poris, figura haud invenusta vocantur *homines mortui, umbrae.* עִם conjunctionem et congregationem cum illis indicat: *regni umbrarum civibus adſociatus.* Per אָדָם ſenſu collectivo intelligit homines, qui in his terris vitam degunt, oppoſite ad *cives orci.*

12. Gemina ſub figura, pro more Orientalium poetarum, ſubitaneam vitae ſuae internecionem exhibet. Primo vitam ſuam cum *tentorio paſtoris* comparat, quod, quando vel maxime firmum et ſolide ſtabilitum eſt, de improviſo laxatis funibus et paxillis, revellitur, et penitus detergetur. דּוֹרִי נִסַּע וְנִגְלָה מִנִּי כְּאֹהֶל רֹעִי *Domicilium meum avulſum eſt et transportatum a me ſicut tentorium paſtoris.* דּוֹר, proprie *tentorium, habitaculum*, collato Arabico دَارٌ, hic indicat *vitam praeſentem, terreſtrem.* Solent Orientales *vitam humanam* comparare cum *habitatione in tabernaculo*, quod nullam perennem ſtabilitatem habet, cf. Proverb. XIV, 11. Jerem. IV, 20. X, 20. Job. V, 24. VIII, 22. XV, 34. etc. Similiter Tograi vs. 57. vocem دَارٌ adhibet de vita hac fragili et infirma:

تَرْجُو ٱلْبَقَاءَ بِدَارٍ لَا ثَبَاتَ لَهَا

Speras durationem in domo, cui non eſt ſtabilitas? נִסַּע, نزع et نسع, uſurpatur de tentorio, quando paxilli ipſius et funes revelluntur, conf. ſupra Cap. XXXIII, 20. Jud. XV, 14. Eccleſ. X, 9. Schultenſium ad Job. IV, 21. XLI, 17. Lettium ad Caabum, p. 158. נִגְלָה מִנִּי *Asportata, a me habitatio mea*, i. e. tota quanta eraſa, devecta *eſt a me* habitatio mea, ſicut tentorium paſtoritium ſubito ſolvitur et in remota loca transportatur. In altera Verſus parte comparat nova ſimilitudine vitam ſuam, nunc ſubito finiendam, cum

cum tela textoris, quae, dum dextre elaboratur, subitanea rescissione absolvitur. In phrasi קִפַּדְתִּי כָאֹרֵג חַיַּי difficultatem creat verbum קָפַד hoc solo loco obvium. Interpretes longe plerique capiunt illud significatu *incidendi*, *abscindendi*, *abbreviandi*, quem apud Chaldaeos obtinet; et Ezech. VII, 25. nomen קְפָדָה commode *excidium* vertitur. Eo significatu et hic adscito verba hebraea hoc dicent: sicut textor, tela perfecta, a liciatorio eam praecidit, ita et ego vitam meam praecidi. Verum enimvero quum statim subjiciat poëta: מִדַּלָּה יְבַצְּעֵנִי *a stamine resecat me;* minus videtur concinnum, poëtam primo *se* inducere ut textorem, statim vero eandem metaphoram transferre ad alium, id est, ad Deum. Praeterea durius videtur regium vatem praecisionem telae, sive staminis vitae suae, referre ad *se*, ut causam, quum potius referenda sit ad Deum, cui vitae humanae arbitrium est. Isto incommodo quidem liber est hic locus in versione Hieronymiana, quae talis est: *praecisa est veluti a texente vita mea;* nec non in Chaldaica: אִתְקְפַדוּ כְּנוֹל גַּרְדָּאִין מִיקַר מַלְכוּתִי *praecisae sunt instar telae textorum vitae meae*, i. e. dies vitae meae, *a gloria regni mei.* Sed talem interpretationem non admittit forma activa קִפַּדְתִּי. Alia ratione illam difficultatem amoliri studuit H. Verschuir in *Observatt. Miscell. in selecta S. S. loca* (Groning. 1757., repetit. in *Sylloge Dissertatt. sub praesid. A. Schultens etc. defensar.* T. II. p. 861. seqq.) Cap. III. hebraea sic vertendo: *convolvor more textoris quoad vitam meam.* Sed quam verbo קָפַד tribuit significationem: *contraxit se, in semet ipsum contrahitur et convolvitur aliquid*, ex Arabico قَفَدَ artificio etymologico effinxit potius, quam probavit. Assensione tamen sua illam interpretationem comprobavit, atque adductis ex Arabum Lexicographis locis confirmare studuit Scheidius.

Ex

Ex illis vero alia sese offert, et huic loco inprimis apta significatio verbi Arabici: *peregit opus*, أَعْمَلَ عَمِلَ. Itaque haec verba una cum iis, quae proxime subjiciuntur, sic vertenda erunt: dum *exigo*, pertexo, *instar textoris vitae meae* telam, *praecidet me a pano*, quod esse tramae involucrum, docent nos Festus et Nonius, Grotio observante. Idem est hebraicum דַּלָּה, quod proprie *peniculamenta*, sive tenuia fila, quae in extrema tela relinquuntur, notare videtur, collato Arabico ذَلْذَلَ *laxus dependit*, et ذُلْذُلٌ atque ذُلَاذِلٌ *indusii extremitates, quae deorsum in terram pendent.* Simili emblemate Graeci Romanique poetae Parcas fingunt vitae nostrae stamina ducere, et rescindere. מִיּוֹם עַד־לַיְלָה תַּשְׁלִימֵנִי *A mane ad vesperam*, i. e. unius diei spatio, ut apud Graecos ἐξ ἡμέρας εἰς νύκτα, *me consummabis*, conficies. Sensus est: tela vitae meae, quam texere orsus es (oratione ad Deum conversa), videbatur esse brevis operis, et vix unius diei, ut cum mane inceperis, ante vesperam me videris absoluturus esse. Respondet membro antecedenti, Deum telam tantum orsum mox videri rescissurum. Eadem sententia Job. IV, 20. מִבֹּקֶר לָעֶרֶב יֻכַּתּוּ *a mane ad vesperam* i. e. brevissimo tempore, *succidantur.*

13. Prius hujus Versus hemistichium, שִׁוִּיתִי עַד־בֹּקֶר כָּאֲרִי כֵּן יְשַׁבֵּר כָּל־עַצְמוֹתָי, dubiae est interpretationis. Syrus integrum Versum omisit. Hieronymus hemistichium hoc prius sic vertit: *sperabam usque mane, quasi leo sic contrivit omnia ossa mea.* Quae in Commentario sic illustravit: „*Sperabam usque mane*, quod et Job in angustia sua atque in tormentis corporis sustinuisse se dicit [VII, 4.], in die exspectabat noctem, et lucem praestolabatur in tenebris, mutatione tempo-

rum

rum putans mutari posse supplicia. Hoc verum esse novit, qui magnis febribus aestuat, cujus ignis internus omnia ossa consumit, nec se putat prae doloris magnitudine ultra esse victurum." A qua interpretatione haud longe discedit Vitringa, qui hunc locum sic vertit: *composui animum meum usque in matutinum; tanquam leo, sic confringebat omnia ossa mea.* Verbo שִׁוָּה notari existimat actum animi se patienter componentis ad omnem subeundam sortem, quam divina justitia homini decernit. Sed fatetur Vitringa ipse, in hac versione negligi distinctionem Masorethárum, qui voci כָּאֲרִי *Zakeph katon*, accentum distinctivum insignis notae, voci בֹּקֶר vero imposuerunt accentum *Paschta*, qui distinctivus minor τῷ *Zakeph* subservit, ut igitur vox כָּאֲרִי secundum eos a בֹּקֶר non sit divellenda. Neque tamen qui distinctionem Masorethicam sequuntur, in exponendo hoc loco consentiunt. Jarchius, ad שִׁוִּיתִי subaudiens עַצְמִי *me ipsum*, haec verba ita explicat: posui, composui, me per totam noctem ad ferendas castigationes morbi mei, et corroboravi me instar leonis ad ferendum; verum quo magis me obfirmabam ad praevalendum, eo magis invalescebat mihi morbus, ut fregerit omnia ossa mea. Et כֵּן quidem h. l. eodem modo capiendum esse observat, quo Exod. I, 12. *Quo magis afflixerunt eos*, כֵּן יִרְבֶּה וְכֵן יִפְרֹץ *eo magis multiplicatus est* (populus), *et eo magis sese diffudit.* Ex interpretibus Christianis plerique, qui Masorethicam distinctionem sequuntur, veluti Junius et Tremellius, Bochartus (*Hieroz.* P. I. L. III. Cap. V. T. II. p. 76. edit. Lips.), H. B. Starckius (in *Notis Selectt.* p. 75.), C. L. Hoheisel (*Observatt.* p. 240.), alii, verbum שִׁוִּיתִי interpretantur *proposui*, i. e. animo meo concepi scil. Jovam, coll. Ps. XVI, 8. שִׁוִּיתִי יְהוָה לְנֶגְדִּי תָמִיד *posui*, proposui, *Jovam coram me continuo.* Unde hic prodit hujus loci sensus:

pro-

proposueram mihi Deum usque ad mane sicut leonem, i. e. dum noctem insomnem ducerem, animo meo obversabatur Deus leonis instar, *ita frangebat omnia ossa mea.* Eundem fere sensum expressit Graecus Alexandrinus interpres: *παρεδόθην ἕως πρωῒ ὡς λέοντι, οὕτως πάντα τὰ ὀστᾶ μου συνέτριψε.* Eadem comparatione Dei leone vires atterente utitur Jobus X, 16. Mallem tamen, collato Arabico سوى, quod in Conjugatione II. *aequavit* notat, hunc locum sic interpretari: *assimilabam me usque ad mane tanquam leonem*, rugitu, intellige, quocum saepe comparatur a poetis Hebraeis *ingens gemitus*, veluti loco, nostri haud absimili, Ps. XXXII, 3. בָּלוּ עֲצָמָי בְּשַׁאֲגָתִי כָּל־הַיּוֹם *tabuerunt ossa mea ob rugitum meum toto die*, conf. Ps. XXII, 2. XXXVIII, 9. Job. III, 24. Sed et Graece ὠρυθμὸν, *rugitum*, pro *ejulatu* et *planctu* adhibet Quintus Calaber. Et in Nicandri *Alexipharmacis*, vs. 221. qui toxicum bibit: βρυχανᾶται ὠρυδὸν, *rugit cum fremitu*, sive *rugitu*, ita est, *graviter ejulat.* Ita Chaldaeus: בְּהַמֵּית עַד צַפְרָא בְּאַרְיָא דְנָהֵים וְתָבַר גַּרְמֵי חֵיוְתָא *rugiebam usque ad mane sicut leo, qui rugit et confringit ossa animalis.* כֵּן יְשַׁבֵּר כָּל־עַצְמוֹתָי *Ita confringebat* Jova violentissimo morbo *omnia ossa mea.* Chaldaeus: כֵּן מִתַּבְּרִין מִן קֳדָם יְרוּגָא כָּל גַּרְמַי *sic confringuntur prae dolore omnia ossa mea.* In Syriaca versione totus his Versus omissus est.

14. Ad afflictissimum mentis suae statum et fervidum illum sui aestum, quo desperabundus fere agebatur, exprimendum, porro adhibet loquutiones ab hirundine et columba, alitibus pavidissimis, desumtas. סוס *hirundinem* significare, satis verisimile fecit Bochartus *Hierоz.* P. II. Lib. I. T. II. p. 602. edit. Lips. Minus certa et perspicua vero sunt argumenta, quibus

Vir

Vir praestantissimus Cap. XI. p. 614. l. c. probare studuit, עָגוּר, quod hic nomini סוּס subjungitur, notare *gruem*; vid. quae nos ad ea, quae Bochartus de nomine illo disputavit, notavimus, p. 631. ubi et alia recentiorum interpretum conjecturas recensuimus. Nihil lucis praebent hic veteres interpretes, qui et ipsi in nomine עָגוּר explicando haeserunt; cf. Michaelis *Supplemm.* p. 1832. Non esse illud epitheton *hirundinis*, סוּס, ut nonnulli opinati sunt, veluti Scheidius, qui collato Arabico صُسّ *torsit*, *inflexit se*, vertit: *gyrare coacta prae metu*; sed esse avis a סוּס diversae nomen (et proinde in סוּס עָגוּר ἀσύνδετον statuendum), certo colligitur e loco Jerem. VIII, 7. ubi praeter *turturem*, תּוֹר, ut aves migratoriae memorantur סוּס וְעָגוּר, praefixo nomini posteriori ו. Quaenam autem volucrium species per עָגוּר indicetur, silentibus reliquis dialectis, mirumque in modum inter se dissentientibus veteribus, nemo facile dixerit. צִפְצֵף esse *pipire*, *mussitare*, *stridere*, instar avium, ostendit Bochartus l. c. Cap. XXI. T. II. p. 725. seq. Verba דַּלּוּ עֵינַי לַמָּרוֹם Hieronymus recte sic reddidit: *attenuati sunt, oculi mei suspicientes in excelsum.* Dicit vates, oculos summa intentione in altum elevatos incepisse deficere, quasi attenuari, et in orbibus suis imminui; id quod alias per כָּלָה *deficere* exprimitur, veluti Ps. LXIX, 4. *Fatigatus sum clamando*, כָּלוּ עֵינַי *consumti sunt oculi mei.* Cf. Ps. CXIX, 123. Thren. IV, 17. Sensum verborum Hiskiae bene expressit Graecus Alexandrinus: ἐξέλιπον γάρ μου οἱ ὀφθαλμοὶ τοῦ βλέπειν εἰς τὸ ὕψος τοῦ οὐρανοῦ πρὸς τὸν Κύριον. עָשְׁקָה־לִּי *Oppressio mihi!* doloribus summopere angor. עָרְבֵנִי *sponde pro me*, recipe me in tuam fidem. Verbum עָרַב proprie notat *miscere*, hinc *spondere*, *fidejubere*, *in fidem suam recipere.* Quod locum habet, ubi debitor, impar solvendo, dum a creditore prehenditur, ex

lege ducendus in carcerem, circumſpicit ditiorem et potentiorem, qui fide ſua interveniat et caveat, et ſic ei praeſtet libertatem. Simile huic noſtro quod occurrit Pſ. CXIX, 122. עֲרֹב עַבְדְּךָ לְטוֹב *fidejube pro ſervo tuo in bonum, ne vim faciant mihi ſuperbi.*

15. Inde ab hoc verſu animus regis in Jovae laudem exſpatiatur. מָה־אֲדַבֵּר *Quid dicam tandem!* Eſt vox ejus, cui prae facto quodam inopinato in ſtuporem rapto, vox faucibus haeret, adeo, ut ne quidem, quae verba prolaturus ſit, in promtu habeat. וְאָמַר־לִי וְהוּא עָשָׂה *Promiſit ille mihi, et ipſe praeſtitit.* אָמַר ſaepiſſime notat *addicere, promittere*, tam apud Arabes, quam apud Hebraeos, e. c. Deut. XXVI, 17. Pſ. XII, 6. Jerem. III, 19. XVIII, 10. עָשָׂה vero notat *praeſtare* id quod promiſſum fuit. Clariſſimus locus eſt Num. XXIII, 19. *Non vir Jova eſt, qui mentiatur, non filius hominis, quem poeniteat;* הַהוּא אָמַר וְלֹא יַעֲשֶׂה *an promittit, et non praeſtat?* אֶדַּדֶּה כָל־שְׁנוֹתַי עַל־מַר נַפְשִׁי *Procedam omnes annos meos propter amaritudinem animae meae.* אֶדַּדֶּה, Hithpael pro אֶתְדַּדֶּה, praeter hunc locum tantum Pſ. XLII, 5. obvium, ubi de ſolenni pompa ad templum procedentium dicitur. Concinit Arabum دأل *tardavit, lente inceſſit*, ut pompas ſolennes ducentes ſolent. Dicit itaque rex pius, ſe deinceps anniverſariis ſacris in feſtiva turba ad templum proceſſurum et Jovam celebraturum eſſe ob recuperatam valetudinem; id volunt verba עַל־מַר נַפְשִׁי *propter amaritudinem animae meae*, a qua liberatus ſum, in recordationem beneficii divini in me collati.

16. Laeta ſequitur convaleſcentis principis acclamatio, qua gaudio plenus, incredibilem promiſſionis divinae ſuavitatem ampliſſimis laudibus exornat, atque omnem

omnem vitae incolumitatem et vigorem a sanctissimo numinis fide sibi pollicetur. אֲדֹנָי עֲלֵיהֶם יִחְיוּ וּלְכָל־בָּהֵן חַיֵּי רוּחִי *Domine, super illis vivitur* (יִחְיוּ impersonaliter ut לֵאמֹר, *dicitur*), *et in istorum singulis* (et quantum ad omnia de istis) *vita spiritus mei.* Suffixa diversi generis הֵם et הֵן docent rei, quae describitur, universitatem et magnitudinem, conf. not. supra ad Jes. III, 1., referendaque sunt ad verba אָמַר et עָשָׂה vs. praecedente, ad *impletas promissiones divinas.* Neque obstat, nomina, ad quae illa suffixa referantur, haud reperiri versu praecedente; nam poetis, impetu ingenii urgente, solenne est, atque elegans, prosaici sermonis jugum excutere, et dixisse videri, quae non disertis verbis expresserunt. Conf. Schroederi *Syntax.* Reg. XXXIX. et Glassii *Philol. S.* pag. 158. edit. Dath. Itaque rex *primo* generatim mortalium vitam inter primaria Dei beneficia recenset (עֲלֵיהֶם יִחְיוּ); *dein* vitam quoque suam Deo acceptam refert (לְכָל־בָּהֵן חַיֵּי רוּחִי). In verbis וְתַחֲלִימֵנִי וְהַחֲיֵנִי offendere posset singularis verborum constructio, a nostrarum linguarum genio vehementer abhorrens: *sanasti me, et vivificare me.* Sed optime hanc dubitationem solvit Schroederus in *Syntax. Verbor.* Reg. LIV. „Quodsi verbum finitum proxime praecedat, Infinitivus pro Praeterito aut Futuro usurpatus, ad illud, ratione temporis, Numeri et Personae se accommodat, ita tamen, ut abruptius, quod efficit, loquendi genus semper graviorem quandam vim et emphasin adferat." Exempla Futurorum sequente Infinitivo ibi adducta ex 1 Sam. XIV, 16. Zeph. III, 20. Zach. XII, 10. rem clarissime demonstrant. Conf. et Jud. VII, 19. Esth. II, 3. et in primis Jos. IX, 20. *Illud* נַעֲשֶׂה *faciemus illis* וְהַחֲיֵה *et vivos conservare illos*, h. e. conservabimus. Hinc verba nostra erunt vertenda: *convalescere fecisti me et laeta vigescere*

vitam meam. Verbo חָלַם ex dialecto Syriaca *convalescendi* significatio est certa.

17. הִנֵּה לְשָׁלוֹם מַר־לִי מָר *Ecce ad salutem amarissima mihi facta est amaritudo*, quae maxime turbida videbantur et praesentem mortem intentare, conversa sunt in statum feliciſſimum. וְאַתָּה חָשַׁקְתָּ נַפְשִׁי מִשַּׁחַת בְּלִי *Sed tu amplexatus es animam meam e fovea abolitionis*, i. e. tu eo me complexus es amore, ut me vindicaveris e fovea ἀφανισμοῦ, ab orco. Schroederus in *Syntaxi Hebr.* p. 403. „בְּלִי *Nequaquam*, proprie notat *abolitionem*, qua res absumta deficit, a בָּלָה, بلي *trivit, terendo absumsit.* Vim substantivam habet in שַׁחַת בְּלִי *fovea abolitionis*, i. e. orcus, Jes. XXXVIII, 17." Significationem *abolitionis* vox בְּלִי et manifeste habet Ps. LXXII, 7. Malach. III, 10. כִּי־הִשְׁלַכְתָּ אַחֲרֵי גֵוְךָ כָּל־חֲטָאָי *Quia abjecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Post tergum rejici* apud Orientales dicuntur ea quae non curantur, et oblivioni traduntur. Dschenhari a Scheidio excerptus p. 225.
الظهر خلاف البطن وقولهم لا تجعل حاجتي بظهر اي تنسها والظهري ايضا الذي تجعله بظهر اي تنساه ومنه قوله تعالى واتخذتموه وراءكم ظهريا, i. e. „טהר oppositum est τῷ בטן. Hinc dicunt, ne ponas negotium meum בטהר *in tergo*, i. e. ne obliviscaris illius. טהרי adjective, id quod post tergum ponitur sive *oblivioni datur.* Unde in Corano (Sur. XI. vs. 94.): *et posuistis eum post vos a tergo.*" Exempla apud Hebraeos extant 1 Regg. XIV, 9. Ps. L, 17. Ezech. XXIII, 35. Neh. IX, 26. Sensus igitur est: *oblivioni tradidisti peccata mea*, quo-

quorum poena erat morbus; quo me affecisti, i. e. benignitate tua valetudinem amissam recuperavi.

18. כִּי לֹא שְׁאוֹל תּוֹדֶךָּ מָוֶת יְהַלְלֶךָּ *Quia orcus te non laudabit, nec mors te celebrabit.* שְׁאוֹל *Orcus*, et מָוֶת *mors*, hic per metonymiam pro ipsis mortalibus, qui vita excesserunt et cum defunctis agunt, sive potius, pro integra defunctorum hominum multitudine, et quasi civitate mortuorum, usurpantur. Negatio, quae in לֹא continetur, semet quoque porrigit ad membrum sequens, ut idem sit ac כִּי לֹא שְׁאוֹל תּוֹדֶךָּ וְלֹא מָוֶת יְהַלְלֶךָּ qualis ellipsis occurrit etiam supra Cap. XXIII, 4. XXVIII, 27. Verba הוֹדָה et הִלֵּל de *celebratione publica* et *solenni* adhiberi, notum est. Vid. 1 Chron. XVI, 4. 2 Chron. V, 12. XXXI, 2. Ostendit igitur pius princeps, quem ad finem Jova sibi longioris vitae usuram praebuerit, nempe ut, quod datum est spiritus et vitae, totum id impendat divinis laudibus. לֹא יְשַׂבְּרוּ יוֹרְדֵי־בוֹר אֶל־אֲמִתֶּךָ *Non sperant descendentes in foveam ad veritatem tuam.* Verbum שִׂבֵּר quod alias, ut Ps. CIV, 27. CXIX, 166., cum לְ et אֶל, ut hic constructum, *exspectare, praestolari aliquid* significat, quidam interpretes hoc loco capiunt significatu Syriaci ܣܒܪ, quod sequente ܠ etiam significat *praedicare, celebrare.* אֲמִתֶּךָ *Veritas tua*, i. e. fides in servandis promissis. יוֹרְדֵי בוֹר *Descendentes in foveam*, i. e. qui in ᾅδην abeunt. בּוֹר *Fovea profunda*, a בּוּר sive בָּאַר, ܒܪ *effodit altius*, cum שְׁאוֹל saepius permutatur. Vid. Jes. XIV, 15. 19. Ps. XXX, 4.

19. Repetitum חַי, *vivus, vivus*, inquam, bene exprimit vehementiorem affectum. אָב לְבָנִים יוֹדִיעַ אֶל־אֲמִתֶּךָ *Pater filiis notam faciet veritatem tuam.*

אֶל, per quod verbum ויורדפו hic cum nomine construitur, Kimchi pro אֶת, Accusativi nota, positum putat, quomodo et Jud. VII, 25. Ps. II, 7. LXIX, 27. sumendum sit. Sed in illorum locorum primo, וַיִּרְדְּפוּ אֶל־מִדְיָן, *persequebantur Midianitas;* רָדַף cum אֶל constructum valet *persequi* aliquem ut *eum assequaris.* Ps. II, 7. vero verba אֲסַפְּרָה אֶל־חֹק interpretanda sunt: *narrabo*, rem declarabo, *secundum decretum Jovae.* Tertio denique loco, Ps. LXIX, 27. וְאֶל־מַכְאוֹב חֲלָלֶיךָ יְסַפֵּרוּ *et de dolore confossorum tuorum narrant*, אֶל idem valet quod עַל *de;* nec aliter hoc loco capiendum est, ut significet *objectum*, uti loquuntur, de quo agitur.

20. יְהוָה לְהוֹשִׁיעֵנִי *Jova ad servandum me*, i. e. me servabit. SCHROEDERUS in *Syntax.* Reg. LXXXVII. n. 9. „ל Infinitivo praefixum cum verbo substantivo periphrasin facit futuri temporis; ut וְהָיוּ לַעֲבֹד *et erunt*, scil. destinati et parati, *ad servire*, i. e. servituri sunt, Num. VIII, 11. Genes. XV, 12. Ezech. XXX, 16." Mox subjungit de nostro loco: „eadem virtute Infinitivus cum ל interdum absolute ponitur, verbo substantivo omisso, ut יְהוָה לְהוֹשִׁיעֵנִי *Jova ad servare me*, i. e. me servaturus est." Similiter Jerem. XXX, 11. כִּי־אִתְּךָ אֲנִי נְאֻם יְהוָה לְהוֹשִׁיעֶךָ *Quia tecum ego, inquit Jova, ad servandum te*, h. e. certissime te servaturus sum. וּנְגִינוֹתַי נְנַגֵּן *Pulsatilia mea pulsabimus*, i. e. ad instrumentorum musicorum concentum Jovae benignitatem publicis cantibus celebrabimus. עַל ante בֵּית hic vertendum est *in*, ut Jesaj. LVII, 2. Amos VII, 17. Eodem modo Arabes suum على saepe pro في solent usurpare.

CAP.

CAP. XXXVIII. 10. *Querebar: heu! in meridie vitae meae intrabo orci portas, residuo annorum meorum privatus.*

11. *Non amplius de Jova laetabor, de Jova, inquam, in terra viventium; non intuebor ultra homines, orci incolis adsociatus.*

12. *Tentorium meum revellitur et transportatur ut tentorium pastoris. Convolvitur vitae meae tela, sicuti a textore, resecat me a tenui filamento. Intra diei spatium consumet me!*

13. *Leonis rugitum aequabant gemitus mei, usque ad mane; ita confringebat* Jova *omnia ossa mea. Intra diei spatium, mecum dixi, consumet me!*

14. *Veluti hirundo, ut Agur, sic pipiebam, gemebam, ut columba: consumti sunt oculi mei sursum spectando. Jova, vis mihi fit, sponde pro me!*

15. *Quid dicam? Jova promissa mihi dedit, eaque praestitit! Solenni pompa incedam per omnes vitae meae annos, propter amaritudinem animae meae.*

16. *Jova, his vivitur! His omnino animam duco. Nam restituis me a morbo, et vitam mihi gratificaris.*

17. *En! luctus acerbissimus incolumitati mihi est versus. Retraxisti me a fovea mortis, et peccatorum meorum memoriam summovisti.*

18. *Orcus te non celebrat, mortui te non laudant. Fidem tuam non extollunt qui in foveam descenderunt.*

Ex illis vero alia sese offert, et huic loco inprimis apta significatio verbi Arabici: *peregit opus*, عمل العمل. Itaque haec verba una cum iis, quae proxime subjiciuntur, sic vertenda erunt: dum *exigo*, pertexo, *instar textoris vitae meae* telam, *praecidet me a pano*, quod esse tramae involucrum, docent nos Festus et Nonius, Grotio observante. Idem est hebraicum דַּלָּה, quod proprie *peniculamenta*, sive tenuia fila, quae in extrema tela relinquuntur, notare videtur, collato Arabico ذلذل *laxus dependit*, et ذلذل atque ذلاذل *indusii extremitates, quae deorsum in terram pendent.* Simili emblemate Graeci Romanique poetae Parcas fingunt vitae nostrae stamina ducere, et rescindere. מִיּוֹם עַד־לַיְלָה תַּשְׁלִימֵנִי *A mane ad vesperam*, i. e. unius diei spatio, ut apud Graecos ἐξ ἡμέρας εἰς νύκτα, *me consummabis*, conficies. Sensus est: tela vitae meae, quam texere orsus es (oratione ad Deum conversa), videbatur esse brevis operis, et vix unius diei, ut cum mane inceperis, ante vesperam me videris absoluturus esse. Respondet membro antecedenti, Deum telam tantum orsum mox videri rescissurum. Eadem sententia Job. IV, 20. מִבֹּקֶר לָעֶרֶב יֻכַּתּוּ *a mane ad vesperam* i. e. brevissimo tempore, *succidantur*.

13. Prius hujus Versus hemistichium, שִׁוִּיתִי עַד־בֹּקֶר כָּאֲרִי כֵּן יְשַׁבֵּר כָּל־עַצְמוֹתָי, dubiae est interpretationis. Syrus integrum Versum omisit. Hieronymus hemistichium hoc prius sic vertit: *sperabam usque mane, quasi leo sic contrivit omnia ossa mea.* Quae in Commentario sic illustravit; „*Sperabam usque mane*, quod et Job in angustia sua atque in tormentis corporis sustinuisse se dicit [VII, 4.], in die exspectabat noctem, et lucem praestolabatur in tenebris, mutatione temporum

rum putans mutari posse supplicia. Hoc verum esse novit, qui magnis febribus aestuat, cujus ignis internus omnia ossa consumit, nec se putat prae doloris magnitudine ultra esse victurum." A qua interpretatione haud longe discedit Vitringa, qui hunc locum sic vertit: *composui animum meum usque in matutinum; tanquam leo, sic confringebat omnia ossa mea.* Verbo שִׁוָּה notari existimat actum animi se patienter componentis ad omnem subeundam sortem, quam divina justitia homini decernit. Sed fatetur Vitringa ipse, in hac versione negligi distinctionem Masoretharum, qui voci כָּאֲרִי *Zakeph katon*, accentum distinctivum insignis notae, voci בֹּקֶר vero imposuerunt accentum *Paschta*, qui distinctivus minor τῷ *Zakeph* subservit, ut igitur vox כָּאֲרִי secundum eos a בֹּקֶר non sit divellenda. Neque tamen qui distinctionem Masorethicam sequuntur, in exponendo hoc loco consentiunt. Jarchius, ad שִׁוִּיתִי subaudiens עַצְמִי *me ipsum*, haec verba ita explicat: posui, composui, me per totam noctem ad ferendas castigationes morbi mei, et corroboravi me instar leonis ad ferendum; verum quo magis me obfirmabam ad praevalendum, eo magis invalescebat mihi morbus, ut fregerit omnia ossa mea. Et כֵּן quidem h. l. eodem modo capiendum esse observat, quo Exod. I, 12. *Quo magis afflixerunt eos*, כֵּן יִרְבֶּה וְכֵן יִפְרֹץ *eo magis multiplicatus est* (populus), *et eo magis sese diffudit.* Ex interpretibus Christianis plerique, qui Masorethicam distinctionem sequuntur, veluti Junius et Tremellius, Bochartus (*Hieroz.* P. I. L. III. Cap. V. T. II. p. 76. edit. Lips.), H. B. Starckius (in *Notis Selectt.* p. 75.), C. L. Hoheisel (*Observatt.* p. 240.), alii, verbum שִׁוִּיתִי interpretantur *proposui*, i. e. animo meo concepi scil. Jovam, coll. Ps. XVI, 8. שִׁוִּיתִי יְהוָה לְנֶגְדִּי תָמִיד *posui*, proposui, *Jovam coram me continuo.* Unde hic prodit hujus loci sensus:

pro-

propofueram mihi Deum *usque ad mane ficut leonem*, i. e. dum noctem infomnem ducerem, animo meo obverfabatur Deus leonis inftar, *ita frangebat omnia offa mea.* Eundem fere fenfum expreffit Graecus Alexandrinus interpres: *παρεδόθην ἕως πρωῒ ὡς λέοντι, οὕτως πάντα τὰ ὀστᾶ μου συνέτριψε.* Eadem comparatione Dei leone vires atterente utitur Jobus X, 16. Mallem tamen, collato Arabico سوّى, quod in Conjugatione II. *aequavit* notat, hunc locum fic interpretari: *affimilabam me usque ad mane tanquam leonem*, rugitu, intellige, quocum faepe comparatur a poetis Hebraeis *ingens gemitus*, veluti loco, noftri haud abfimili, Pf. XXXII, 3. בָּלוּ עֲצָמָי בְּשַׁאֲגָתִי כָּל־הַיּוֹם *tabuerunt offa mea ob rugitum meum toto die*, conf. Pf. XXII, 2. XXXVIII, 9. Job. III, 24. Sed et Graece ὠρυθμὸν, *rugitum*, pro *ejulatu* et *planctu* adhibet Quintus Calaber. Et in Nicandri *Alexipharmacis*, vs. 221. qui toxicum bibit βρυχημαται ὠρυδὸν, *rugit cum fremitu*, five *rugitu*, ita eft, *graviter ejulat.* Ita Chaldaeus: נְהֵמִית עַד צַפְרָא כְּאַרְיָא דְנָהֵים וְתָבַר גַּרְמֵי חֵיוְתָא *rugiebam usque ad mane ficut leo, qui rugit et confringit offa animalis.* כֵּן יְשַׁבֵּר כָּל־עַצְמוֹתָי *Ita confringebat* Jova violentiffimo morbo *omnia offa mea.* Chaldaeus: כֵּן מִתַּבְּרִין מִן קֳדָם דַּוְנָא כָּל גַּרְמַי *fic confringuntur prae dolore omnia offa mea.* In Syriaca verfione totus his Verfus omiffus eft.

14. Ad afflictiffimum mentis fuae ftatum et fervidum illum fui aeftum, quo defperabundus fere agebatur, exprimendum, porro adhibet loquutiones ab hirundine et columba, alitibus pavidiffimis, defumtas. סוּס *hirundinem* fignificare, fatis verifimile fecit Bochartus *Hierbz.* P. II. Lib. I. T. II. p. 602. edit. Lipf. Minus certa et perfpicua vero funt argumenta, quibus

Vir

Vir praestantissimus Cap. XI. p. 614. l. c. probare studuit, עָגוּר, quod hic nomini סוּס subjungitur, notare *gruem*; vid. quae nos ad ea, quae Bochartus de nomine illo disputavit, notavimus, p. 631. ubi et alia recentiorum interpretum conjecturas recensuimus. Nihil lucis praebent hic veteres interpretes, qui et ipsi in nomine עָגוּר explicando haeserunt; cf. Michaelis *Supplemm.* p. 1852. Non esse illud epitheton *hirundinis*, סוּס, ut nonnulli opinati sunt, veluti Scheidius, qui collato Arabico عَجَرَ *torsit, inflexit se*, vertit: *gyrare coacta* prae metu; sed esse avis a סוּס diversae nomen (et proinde in סוּס עָגוּר ἀσύνδετον statuendum), certo colligitur e loco Jerem. VIII, 7. ubi praeter *turturem*, תוֹר, ut aves migratoriae memorantur סוּס וְעָגוּר, praefixo nomini posteriori ו. Quaenam autem volucrium species per עָגוּר indicetur, silentibus reliquis dialectis, mirumque in modum inter se dissentientibus veteribus, nemo facile dixerit. צִפְצֵף esse *pipire, mussitare, stridere*, instar avium, ostendit Bochartus l. c. Cap. XXI. T. II. p. 725. seq. Verba דַּלּוּ עֵינַי לַמָּרוֹם Hieronymus recte sic reddidit: *attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum.* Dicit vates, oculos summa intentione in altum elevatos incepisse deficere, quasi attenuari, et in orbibus suis imminui; id quod alias per כָּלָה *deficere* exprimitur, veluti Ps. LXIX, 4. *Fatigatus sum clamando*, כָּלוּ עֵינַי *consumti sunt oculi mei.* Cf. Ps. CXIX, 123. Thren. IV, 17. Sensum verborum Hiskiae bene expressit Graecus Alexandrinus: ἐξέλιπον γάρ μου οἱ ὀφθαλμοὶ τοῦ βλέπειν εἰς τὸ ὕψος τοῦ οὐρανοῦ πρὸς τὸν Κύριον. עָשְׁקָה־לִּי *Oppressio mihi!* doloribus summopere angor. עָרְבֵנִי *sponde pro me*, recipe me in tuam fidem. Verbum עָרַב proprie notat *miscere*, hinc *spondere, fidejubere, in fidem suam recipere.* Quod locum habet, ubi debitor, impar solvendo, dum a creditore prehenditur, ex

lege ducendus in carcerem, circumspicit ditiorem et potentiorem, qui fide sua interveniat et caveat, et sic ei praestet libertatem. Simile huic nostro quod occurrit Ps. CXIX, 122. עֲרֹב עַבְדְּךָ לְטוֹב *fidejube pro servo tuo in bonum, ne vim faciant mihi superbi.*

15. Inde ab hoc versu animus regis in Jovae laudem exspatiatur. מָה־אֲדַבֵּר *Quid dicam tandem!* Est vox ejus, cui prae facto quodam inopinato in stuporem rapto, vox faucibus haeret, adeo, ut ne quidem, quae verba prolaturus sit, in promtu habeat. וְאָמַר־לִי וְהוּא עָשָׂה *Promisit ille mihi, et ipse praestitit.* אָמַר saepissime notat *addicere, promittere*, tam apud Arabes, quam apud Hebraeos, e. c. Deut. XXVI, 17. Ps. XII, 6. Jerem. III, 19. XVIII, 10. עָשָׂה vero notat *praestare* id quod promissum fuit. Clarissimus locus est Num. XXIII, 19. *Non vir Jova est, qui mentiatur, non filius hominis, quem poeniteat;* הַהוּא אָמַר וְלֹא יַעֲשֶׂה *an promittit, et non praestat?* אֶדַּדֶּה כָל־שְׁנוֹתַי עַל־מַר נַפְשִׁי *Procedam omnes annos meos propter amaritudinem animae meae.* אֶדַּדֶּה, Hithpael pro אֶתְדַּדֶּה, praeter hunc locum tantum Ps. XLII, 5. obvium, ubi de solenni pompa ad templum procedentium dicitur. Concinit Arabum دَأْدَأَ *tardavit, lente incessit*, ut pompas solennes ducentes solent. Dicit itaque rex pius, se deinceps anniversariis sacris in festiva turba ad templum processurum et Jovam celebraturum esse ob recuperatam valetudinem; id volunt verba עַל־מַר נַפְשִׁי *propter amaritudinem animae meae*, a qua liberatus sum, in recordationem beneficii divini in me collati.

16. Laeta sequitur convalescentis principis acclamatio, qua gaudio plenus, incredibilem promissionis divinae suavitatem amplissimis laudibus exornat, atque omnem

omnem vitae incolumitatem et vigorem a sanctissima numinis fide sibi pollicetur. אֲדֹנָי עֲלֵיהֶם יִחְיוּ וּלְכָל־בָּהֶן חַיֵּי רוּחִי *Domine, super illis vivitur* (יִחְיוּ impersonaliter ut יֵאָמֵר, *dicitur*), *et in istorum singulis* (et quantum ad omnia de istis) *vita spiritus mei.* Suffixa diversi generis הֶם et הֶן docent rei, quae describitur, universitatem et magnitudinem, conf. not. supra ad Jes. III, 1.; referendaque sunt ad verba אָמַר et עָשָׂה vs. praecedente, ad *impletas promissiones divinas.* Neque obstat, nomina, ad quae illa suffixa referantur, haud reperiri versu praecedente; nam poetis, impetu ingenii urgente, solenne est, atque elegans, prosaici sermonis jugum excutere, et dixisse videri, quae non disertis verbis expresserunt. Conf. Schroederi *Syntax.* Reg. XXXIX. et Glassii *Philol. S.* pag. 158. edit. Dath. Itaque rex *primo* generatim mortalium vitam inter primaria Dei beneficia recenset (עֲלֵיהֶם יִחְיוּ); *dein* vitam quoque suam Deo acceptam refert (לְכָל־בָּהֶן חַיֵּי רוּחִי). In verbis וְתַחֲלִימֵנִי וְהַחֲיֵנִי offendere posset singularis verborum constructio, a nostrarum linguarum genio vehementer abhorrens: *sanasti me, et vivificare me.* Sed optime hanc dubitationem solvit Schroederus in *Syntax. Verbor.* Reg. LIV. „Quodsi verbum finitum proxime praecedat, Infinitivus pro Praeterito aut Futuro usurpatus, ad illud, ratione temporis, Numeri et Personae se accommodat, ita tamen, ut abruptius, quod efficit, loquendi genus semper graviorem quandam vim et emphasin adferat." Exempla Futurorum sequente Infinitivo ibi adducta ex 1 Sam. XIV, 16. Zeph. III, 20. Zach. XII, 10. rem clarissime demonstrant. Conf. et Jud. VII, 19. Esth. II, 3. et in primis Jos. IX, 20. *Illud* נַעֲשֶׂה *faciemus illis* וְהַחֲיֵה *et vivos conservare illos*, h. e. conservabimus. Hinc verba nostra erunt vertenda: *convalescere fecisti me et laete vigescere*

vitam meam. Verbo חָלַם ex dialecto Syriaca *convalescendi* significatio est certa.

17. הִנֵּה לְשָׁלוֹם מַר־לִי מָר *Ecce ad salutem amarissima mihi facta est amaritudo*, quae maxime turbida videbantur et praesentem mortem intentare, conversa sunt in statum felicissimum. וְאַתָּה חָשַׁקְתָּ נַפְשִׁי מִשַּׁחַת בְּלִי *Sed tu amplexatus es animam meam e fovea abolitionis*, i. e. tu eo me complexus es amore, ut me vindicaveris e fovea ἀφανισμοῦ, ab orco. SCHROEDERUS in *Syntaxi Hebr.* p. 403. „בְּלִי, *Nequaquam*, proprie notat *abolitionem*, qua res absumta deficit, a בָּלָה, بلي *trivit, terendo absumsit.* Vim substantivam habet in שַׁחַת בְּלִי *fovea abolitionis*, i. e. orcus, Jes. XXXVIII, 17." Significationem *abolitionis* vox בְּלִי et manifeste habet Ps. LXXII, 7. Malach. III, 10. כִּי־הִשְׁלַכְתָּ אַחֲרֵי גֵוְךָ כָּל־חֲטָאָי *Quia abjecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Post tergum rejici* apud Orientales dicuntur ea quae non curantur, et oblivioni traduntur. Dscheuhari a Scheidio excerptus p. 225. الظهر خلاف البطن وقولهم لا تجعل حاجتي بظهر اي تنسها والظهري ايضا الذي تجعله بظهر اي تنساه ومنه قوله تعالى واتخذتموه وراءكم ظهريا, i. e. „טהר oppositum est τῷ בטן. Hinc dicunt, ne ponas negotium meum בטהר *in tergo*, i. e. ne obliviscaris illius. טהרי adjective, id quod post tergum ponitur sive *oblivioni datur.* Unde in Corano (Sur. XI. vs. 94.): *et posuistis eum post vos a tergo.*" Exempla apud Hebraeos extant 1 Regg. XIV, 9. Ps. L, 17. Ezech. XXIII, 35. Neh. IX, 26. Sensus igitur est: *oblivioni tradidisti peccata mea*, quo-

quorum poena erat morbus; quo me affecisti, i. e. benignitate tua valetudinem amissam recuperavi.

18. כִּי לֹא שְׁאוֹל תּוֹדֶךָּ מָוֶת יְהַלְלֶךָּ *Quia orcus te non laudabit, nec mors te celebrabit.* שְׁאוֹל *Orcus,* et מָוֶת *mors,* hic per metonymiam pro ipsis mortalibus, qui vita excesserunt et cum defunctis agunt, sive potius, pro integra defunctorum hominum multitudine, et quasi civitate mortuorum, usurpantur. Negatio, quae in לֹא continetur, semet quoque porrigit ad membrum sequens, ut idem sit ac כִּי לֹא שְׁאוֹל תּוֹדֶךָּ וְלֹא מָוֶת יְהַלְלֶךָּ qualis ellipsis occurrit etiam supra Cap. XXIII, 4. XXVIII, 27. Verba הוֹדָה et הִלֵּל de *celebratione publica* et *solenni* adhiberi, notum est. Vid. 1 Chron. XVI, 4. 2 Chron. V, 12. XXXI, 2. Ostendit igitur pius princeps, quem ad finem Jova sibi longioris vitae usuram praebuerit, nempe ut, quod datum est spiritus et vitae, totum id impendat divinis laudibus. לֹא יְשַׂבְּרוּ יוֹרְדֵי־בוֹר אֶל־אֲמִתֶּךָ *Non sperant descendentes in foveam ad veritatem tuam.* Verbum שִׂבֵּר quod alias, ut Ps. CIV, 27. CXIX, 166., cum לְ et אֶל, ut hic constructum, *exspectare, praestolari aliquid* significat, quidam interpretes hoc loco capiunt significatu Syriaci ܣܰܒܰܪ, quod sequente ل etiam significat *praedicare, celebrare.* אֲמִתֶּךָ *Veritas tua,* i. e. fides in servandis promissis. יוֹרְדֵי בוֹר *Descendentes in foveam,* i. e. qui in ᾅδην abeunt. בּוֹר *Fovea profunda,* a בּוּר sive בָּאַר, بأر *effodit altius,* cum שְׁאוֹל saepius permutatur. Vid. Jes. XIV, 15. 19. Ps. XXX, 4.

19. Repetitum חַי, *vivus, vivus,* inquam, bene exprimit vehementiorem affectum. אָב לְבָנִים יוֹדִיעַ אֶל־אֲמִתֶּךָ *Pater filiis notam faciet veritatem tuam.*

אל, per quod verbum ויריק hic cum nomine construitur, Kimchi pro את, Accusativi nota, positum putat, quomodo et Jud. VII, 25. Ps. II, 7. LXIX, 27. sumendum sit. Sed in illorum locorum primo, וַיִּרְדְּפוּ אֶל־מִדְיָן, *persequebantur Midianitas*; רָדַף cum אל constructum valet *persequi* aliquem ut *eum assequaris*. Ps. II, 7. vero verba אֲסַפְּרָה אֶל־חֹק interpretanda sunt: *narrabo*, rem declarabo, *secundum decretum Jovae*. Tertio denique loco, Ps. LXIX, 27. וְאֶל־מַכְאוֹב חֲלָלֶיךָ יְסַפֵּרוּ *et de dolore confossorum tuorum narrant*, אֶל idem valet quod עַל *de*; nec aliter hoc loco capiendum est, ut significet *objectum*, uti loquuntur, de quo agitur.

20. יְהוָה לְהוֹשִׁיעֵנִי *Jova ad servandum me*, i. e. me servabit. Schroederus in *Syntax.* Reg. LXXXVII. n. 9. „ל Infinitivo praefixum cum verbo substantivo periphrasin facit futuri temporis; ut וְהָיוּ לַעֲבֹד *et erunt*, scil. destinati et parati, *ad servire*, i. e. servituri sunt, Num. VIII, 11. Genes. XV, 12. Ezech. XXX, 16.“ Mox subjungit de nostro loco: „eadem virtute Infinitivus cum ל interdum absolute ponitur, verbo substantivo omisso, ut יְהוָה לְהוֹשִׁיעֵנִי *Jova ad servare me*, i. e. me servaturus est.“ Similiter Jerem. XXX, 11. כִּי־אִתְּךָ אֲנִי נְאֻם יְהוָה לְהוֹשִׁיעֶךָ *Quia tecum ego*, *inquit Jova*, *ad servandum te*, h. e. certissime te servaturus sum. וּנְגִינוֹתַי נְנַגֵּן *Pulsatilia mea pulsabimus*, i. e. ad instrumentorum musicorum concentum Jovae benignitatem publicis cantibus celebrabimus. עַל ante בֵּית hic vertendum est *in*, ut Jesaj. LVII, 2. Amos VII, 17. Eodem modo Arabes suum على saepe pro في solent usurpare.

CAP. XXXVIII. 10. *Querebar: heu! in meridie vitae meae intrabo orci portas, residuo annorum meorum privatus.*

11. *Non amplius de Jova laetabor, de Jova, inquam, in terra viventium; non intuebor ultra homines, orci incolis adsociatus.*

12. *Tentorium meum revellitur et transportatur ut tentorium pastoris. Convolvitur vitae meae tela, sicuti a textore, resecat me a tenui filamento. Intra diei spatium consumet me!*

13. *Leonis rugitum aequabant gemitus mei, usque ad mane; ita confringebat* Jova *omnia ossa mea. Intra diei spatium, mecum dixi, consumet me!*

14. *Veluti hirundo, ut Agur, sic pipiebam, gemebam, ut columba: consumti sunt oculi mei sursum spectando. Jova, vis mihi fit, sponde pro me!*

15. *Quid dicam? Jova promissa mihi dedit, eaque praestitit! Solenni pompa incedam per omnes vitae meae annos, propter amaritudinem animae meae.*

16. *Jova, his vivitur! His omnino animam duco. Nam restituis me a morbo, et vitam mihi gratificaris.*

17. *En! luctus acerbissimus incolumitati mihi est versus. Retraxisti me a fovea mortis, et peccatorum meorum memoriam summovisti.*

18. *Orcus te non celebrat, mortui te non laudant. Fidem tuam non extollunt qui in foveam descenderunt.*

19. *Vivus, vivus, hic laudat te, sicut ego hodie! Pater filios certos faciet de fide tua.*

20. *Jova incolumem servabit me! Propterea modulabimur cantica mea per omnem vitam in aede Jovae!*

---

21. Quae hoc et sequenti versu narrantur, praecessisse canticum superius, ex illius inscriptione et tota narrationis serie patet. Fit enim regressus ad superiora, et describitur curatio morbi regis. Hieronymus: „Hoc prius legendum est, quam oratio Ezechiae, sive Scriptura, quam nunc interpretati sumus, ante enim cataplasma vulneri impositum est, et prius signum ab eo petitum futurae sanitatis, quam gratias ageret Domino, quod dicitur fecisse sanatus.“ Plerique interpretes hoc referunt ad ὑστερολογίας exempla, apud scriptores Hebraeos non semper strictum ordinem in narrando servantes, haud raro obvia, quorum quaedam collegit GLASSIUS in *Philol. S.* pag. 670. edit. Dath. Sed aliter de duobus his versibus judicat Vogel in nott. ad CAPPELLI *Crit. Sacr.* a ipso editam, P. I. pag. 33. „Sub finem, inquit, Cap. 38. Jesaj. subjuncta sunt duo momenta, quae Auctor libri Regum justo loco (Cap. XX, 7. 8.) inseruerat, quae Jesajas autem, pro suo consilio, omiserat. Neque ex vs. 7. 8. Cap. XXXVIII, Jes. librariorum culpa excidisse et casu quodam huc esse translata; neque *Jesajam* ipsum ea eucharistico adjunxisse, nostrum esse arbitramur probare, cum illud ob universam narrationis formam vs. 7. et 8. dici plane non possit, hoc autem omnino negandum sit, quod vix incommodiore loco ista momenta collocari potuerint, quam ille est, quem jam tenent. Nobis itaque dubium non est, quin a seriori manu sint profecti duo hi versus. Margini sci-

ſcilicet ſui Codicis olim quidam ex loco parallelo libri Regum adſcripſerat eos, et ab imperito librario poſthaec in textum ſunt recepti." דְּבֶלֶת תְּאֵנִים *eſt ficuum maſſa in formam orbiculatam confecta*, ut diu ſervari poſſit, coll. Arabico دبل *rem in unum coëgit ac rotundiore forma*, et مَدْبُول *res buccellae modo formata*. Fuſius de hac re egit Celsius in *Hierobot*. P. II. pag. 377. ſeqq. מרח conferendum eſt cum Arabum مرخ *fricare*, indeque *ungere*, quod unguenta cuti infricantur. Noſtro igitur loco *fricare maſſam ficuum* erit, illam confricare, emplasma ex illa facere, ſicque buboni imponere. In eundem ſenſum Alexandrini: καὶ τρῖψον καὶ κατάπλασαι, *contere et cataplasma fac*. Per שְׁחִין *ulcus* plures interpretes *bubonem peſtilentialem* indicari exiſtimant, quum eo tempore peſtem in Palaeſtina ſaeviiſſe, ex Cap. XXXVIII, 36. 37. ſit verſimile. Sed Rich. Meado *Med. Sacr.* Cap. V. veriſimillimum videtur, *febre* laboraſſe regem, quae in *abſceſſum* deſineret. Thom. Bartholinus vero *de morbis biblicis* Cap. X. p. 47. ſequ. *anginam* ſubfuiſſe conjicit, quae, quia peracutus morbus, *tertio die* perimere ſolet (cf. 2 Reg. XX, 5. 8.). „In hac certe ita anguſtantur fauces ex inflammatione et tumore, ut vix per ſibilum verba exprimantur. Hinc *pipire* ſe dicit Jeſ. XXXVIII, 14." Hieronymus tam de morbo, quam de remedio illi adhibito, maſſa ficuum, haec diſſerit: „Ajunt Hebraei, *Siin* [שְׁחִין], quod praetermiſere LXX., *ulcus* ſonare, non *vulnus*. Nam et Aquila Symmachusque et Theodotio ἕλκος interpretati ſunt, per quod *morbum regium* intelligi volunt, cui contraria putantur, vel ſumta in cibo, vel appoſita corpori quaecunque ſunt dulcia [Quod ipſum tradunt Hebraei, Jarchi et Aben-Esra quos ſequutus Grotius ad verba: *maſſam ficuum*,

adscripsit: „quae vi nativa magis nocitura fuisse creditur;“ ut miraculum augeatur]. Ergo ut Dei potentia monstraretur, per res noxias et adversas sanitas restituta est. Alii *Siin* non *ulcus*, sed *apostema* suspicantur, quando tumens corpus cocto et putrescente pure completur. Et juxta artem medicorum omnis sanies ficcioribus ficis atque contusis in cutis superficiem provocatur.“ Quod confirmat Meadus, qui, ut diximus, nomine שְׁחִין *abscessum* indicari existimat: „In hujusmodi,“ inquit, „casibus ea semper conveniunt, quae suppurationem promovent, cataplasmata inprimis, quae digerunt et resolvunt; neque aliud fere praestantius est illo, quod ex *ficubus aridis* conficitur.“ Consentit Bartholinus l. c.: „Utrique malo, quia in ulcere faucium jungebantur tumor nempe et inflammatio, ficus conveniebant, inprimis abscessui periculoso. Nam Aëtius Tetr. I. Serm. 3. Cap. 179. cataplasma conficit abscessibus qui non facile maturi fiunt, ex *ficubus coctis*, cum hordacea aut triticea farina. . . . Tertio autem die, tanquam critico in peracutis, sanari debebat.“

22. וַיֹּאמֶר חִזְקִיָּהוּ מָה אוֹת כִּי אֶעֱלֶה בֵּית יְהוָה *Et dixit Hiskias: quodnam erit signum, ex quo cognoscam, me ascensurum esse in aedem Jovae?* videlicet ad ei gratis agendas pro recuperata valetudine. Paulus, V. S. V., qui (in *Clave in Jesaj.* p. 242.) partem historicam hujus libri inde a Cap. XXXVI. vel a Jesaja ipso, vel certe a scriptore ipsi aequali consignatam autumat, e qua quae 2 Reg. XVIII, 13 usque ad XX, 19. et 2 Chron. XXXII. leguntur, sint quidem hausta, sed varie interpolata, illa Hiskiae verba, מָה אוֹת non *interrogative*, eo sensu, quem nos indicavimus, sed ut vocem laetantis de indicio valetudinis mox recuperandae, capit hoc modo: *quam bonum signum est hoc!*

vide-

videlicet ulcus apertum et ſanatum. Illum autem, qui ex hoc loco Jeſajano narrationem 2 Reg. XX. concinnavit, haec verba falſo pro interrogatione habuiſſe, cui ea, quae ſupra XXXVIII, 7., leguntur, tanquam Jeſajae reſponſum ſubjeciſſet, quo ſingulare et mirum illud, quod in hoc eventu erat, in majus exaggeraretur. Verum is ſenſus, quem Paulus, V. S. V., verbis hebraeis ineſſe vult, hebraice potius hoc modo exprimendus erat: מָה טוֹב הָאוֹת הַזֶּה. Quare a communi interpretum ſententia non cenſeo recedendum eſſe, contineri duobus hisce Verſibus ſupplementum hiſtoriae ſuperioris, ſed imperfectum, quod e loco parallelo ſecundi libri Regum eſt explendum. Recentior ſcriptor poſt ultimam Verſus hujus vocem, יְהוָה, additurus fuiſſet 'וגו, compendium vocis וְגוֹמֵר *et complementum*, i. e. et caetera, quae videlicet in notiſſima illa narratione 2 Reg. XX, 9., vel ſupra vs. 7., porro ſequuntur.

Cap. XXXIX.

1\. בָּעֵת הַהִוא שָׁלַח מְרֹאדַךְ בַּלְאֲדָן בֶּן־בַּלְאֲדָן מֶלֶךְ־בָּבֶל *Illo tempore miſit Merodach Baladan, filius Baladanis, rex Babylonis*, rel. In loco parallelo 2 Reg. XX, 12. nomen regis ſcribitur בְּרֹאדַךְ, e ſolenni literarum ejusdem organi, ב et מ permutatione, quemadmodum Arabes nomen urbis Mecca promiſcue مَكَّة et بَكَّة ſcribere et pronunciare ſolent. Qui hic מְרֹאדַךְ vocatur rex, idem eſt, qui a Ptolemaeo in Canone Regum Μαρδοκέμπαδος (מרדך כן מה *Mardoch Cen-pad*) appellatur, a Cteſia (apud Agathiam L. II.) Βέλεσυς. Erat inter reges Babylonios a Nabonaſſaro quintus, et ſuc-

succedebat Ilulaeio anno 721. ante Christum natum, ex computatione Volneii (*Recherches nouvelles sur l'histoire ancienne* P. III. p. 124.). Cf. DES VIGNOLES *Chronologie de l'histoire sainte*, T. II. p. 378. Sunt autem nomina מְרֹאדַךְ בַּלְאֲדָן composita e nominibus idolorum, quorum cultui devoti erant Babylonii. בַּלְאֲדָן conflatum videtur e בל אדן *Bel-Dominus*, quae verba fere sunt *ἰσοδύναμα*; est enim בל *Bel* contractum ex בעל *Baal*, unde Beel, Bel. Pariter *Merodach* esse nomen idoli Babylonici, patet ex Jerem. L, 2. ubi in prophetia adversus Babelem haec leguntur: *pudefactus est Bel, consternatus est Merodach, pudore suffusa sunt idola ejus.* Inde Nebucadnezaris filius Evilmerodach 2 Reg. XXV, 27. Ceterum reges Babylonicos per aliquod tempus obnoxios fuisse Assyriacis, inde patet, quod sexto Hiskiae anno Salmanassar rex Assyriorum, translata parte Israelitarum in Assyriam, colonos e pluribus suae ditionis terris, inter quas et Babylon memoratur, Samariam misit, 2 Reg. XVII, 24. Sed defecisse ab Assyriis plures populos, bis testatur Herodotus. Primum L. I. c. 95., ubi asserit, *Medos καὶ τἄλλα ἔθνεα, et alias gentes ab Assyriis defecisse*, postquam illi imperassent Asiae annis DXX. Quas vero gentes, praeter Babylonios, et forsan Armenios, Syros? Rursus c. 102., ubi de expeditione Phraortis, secundi Medorum regis, *adversus Ninum, sive Assyrios illos, qui Ninum tenebant, quondam omnium principes*; *τότε δὲ ἦσαν μεμουνωμένοι μὲν συμμάχων ἅτε ἀπεστεώτων, ἄλλως μέντοι ἑωϋτῶν εὖ ἔχοντες*, *qui tum quidem a sociis propter defectionem deserti erant, alias vero se bene habebant.* Illam defectionem populorum ab Assyriis Herodotus narrat accidisse CL annis ante Cyri initia; nec improbabile est, circa idem illud tempus Senacheribum ingenti illa clade in Palaestina affectum, et in terram suam reversum ex suorum conspiratione occisum

esse

esse atque Merodachum Baladanum hanc ipsam occasionem captasse, ab Assyriis deficiendi. Alieniore enim animo illum fuisse ab Assyrio, arguit haec ipsa ad Hiskiam honoris causa missa legatio. Certe si hic princeps, vel proceres Babylonii (שָׂרֵי בָבֶל, uti vocantur 2 Chron. XXXII, 31., id est, consiliarii et ministri Merodachi) hoc temporis multum reveriti essent majestatem regis Assyrii; non utique ausi fuissent, tam solenni legatione Hiskiam honorare, quem sciebant esse inter rebelles et adversarios magni regis. Cf. Gatterer *Weltgeschichte in ihrem ganzen Umfange* P. I. p. 152. Dicitur itaque rex Babylonius misisse סְפָרִים וּמִנְחָה אֶל־חִזְקִיָּהוּ *literas et munus ad Hiskiam.* Sic moris est in Oriente, fuitque ab antiquissimis temporibus, ut satis notum. Principes non adeuntur absque muneribus. Cf. Paulsen *von der Regierung der Morgenländer*, p. 159. seqq. et 175. וַיִּשְׁמַע כִּי חָלָה וַיֶּחֱזָק *Quippe audiverat, illum aegrotasse et convaluisse.* In loco parallelo 2 Reg. XX, 12. simpliciter habetur: כִּי שָׁמַע כִּי חָלָה חִזְקִיָּהוּ *quia audiverat aegrotasse Hiskiam*, videlicet, *et ex morbo convaluisse;* ellipsis est historica non infrequentis usus. In loco parallelo altero 2 Chron. XXXII, 31. dicitur, legatos illos missos esse לִדְרֹשׁ הַמּוֹפֵת אֲשֶׁר הָיָה בָאָרֶץ *ut inquirerent in prodigium illud quod exstiterat in terra*, umbrae nimirum retrocedentis in solario, vel, ut alii volunt, in scala palatii Ahasi, de quo supra XXXVIII, 8. Astronomiae studium apud Chaldaeos vigebat, fueratque excitatum et diligenter excultum a Nabonassare, et, ut probabile, ab ipso quoque Merodacho, cujus regni initium duplici lunae eclipsi signatum est a Ptolemaeo. Certe si hic rex Babylonius adhuc perstiterit in fide Assyrii quod ad externam speciem; haec ratio ipsi potuit esse obtentui, quo excusaret liberius cum Hiskia, rege adversario, commercium. Nec improbabilis est nonnullo-

rum interpretum conjectura, interiorem hujus legationis causam fuisse amicitiam inter hosce principes firmandam, haud dubie Hiskiae a Babylonio oblatam, quam ille acceptare, sibi honori duxit. Quae sequuntur id non obscure innuunt.

2. Pro eo quod hic legitur, וַיִּשְׂמַח עֲלֵיהֶם חִזְקִיָּהוּ *et laetatus iis est Hiskias*, 2 Reg. XX, 13. est: וַיִּשְׁמַע עֲלֵיהֶם *et audivit eos attente.* Alexandrinus Graecus interpres utroque loco וַיִּשְׂמַח expressit, dum vertit: *καὶ ἐχάρη ἐπ' αὐτοῖς Ἐζεκίας.* וַיַּרְאֵם אֶת־בֵּית נְכֹתֹה *Et ostendit iis gazophylacium suum.* Ad נְכֹתֹה in parallelo libri Regum loco in margine notatur, esse נְכֹתוֹ legendum: נכֹת autem vix est dubium non esse diversum a נְכֹאת, quod Genes. XXXVII, 25. XLIII, 11. certam aromatis speciem notare videtur, quam Bochartus et Celsius *storacem* sive *styracem* fuisse putant; cf. not. ad Genes. XXXVII, 25. Hinc בֵּית נְכֹת metonymice *domum* sive *promtuarium aromatum* vertunt, ut Aquila et Symmachus, qui hoc loco τὸν οἶκον τῶν ἀρωμάτων reddiderunt, quum contra interpres Alexandrinus significationis ignarus utroque loco, et hoc et parallelo libri Regum, vocem νεχωθὰ retinuerit. Chaldaeus praeivit aliis multis בֵּית גְּנוּזוֹהִי *domus gazophylacii ejus*, quod huic loco probe convenit. Videtur haec *domus rerum pretiosarum* a praestantissimis *aromatum* speciebus, quae ibi asservabantur, et quarum una et altera mox recensentur, metonymice appellata esse, etsi thesauros et pretiosa quoque alia contineret, et hoc nomine distincta fuisse ab ea, quae mox בֵּית כֵּלָיו *domus supellectilium*, vel potius *armorum* dicitur, sive *armamentarium*; כֵּלִים enim haud raro pro כְּלֵי הַמִּלְחָמָה *vasa* s. *instrumenta bellica*, id est *arma*, dici, notum, vid. Genes. XXVII, 3. 1 Sam. XIV, 1. 6. 7. Ceterum quod hic fecisse Hiskiam narratur, minime praeter morem erat.

erat. Passim enim legatis regum et principum, et hospitibus honoratioribus hic honor exhiberi solet, ut quod in deliciis et thesauris magnifice ostentari solet, inspiciendum ipsis detur. Sic de Solone, hospite Croesi, Herodotus L. I. Cap. 30.: Μετὰ δὲ ἡμέρῃ τρίτῃ ἢ τετάρτῃ, κελεύσαντος Κροίσου, τὸν Σόλωνα θεράποντες περιῆγον κατὰ τοὺς θησαυροὺς, καὶ ἐπεδείκνυσαν πάντα ἐόντα μεγάλα τε καὶ ὄλβια. *Tertioque aut quarto quam venerat die, jussu Croesi, ministri circumduxerunt Solonem circa thesauros, omniaque quae illic erant magna et beata ostenderunt.* Mirum videri possit, fuisse Hiskiae res pretiosas tanta copia, ut ostentari possint Babyloniis, quum, ut 2 Reg. XVIII, 15. narratur, Hiskias dedisset Sancheribo quidquid erat in thesauris templi et Regiae, adeo ut valvas ac limina templi laminis suis nudaverit, nec intervallum multo longius annuo intercessisset. Sed credibile est, habuisse palatium regium sua ornamenta et decora non mobilia, et haud dubie quoque recondita cimelia, in armariis reposita. Praeterea 2 Chron. XXXII, 23. 24. 27. 28. narratur, regem ab Assyrio liberatum locupletatum fuisse ex liberalibus muneribus, quae proceres et principes vicini, liberationem ei gratulantes munifice ipsi obtulerunt. Si autem quis quaerat, quamobrem Hiskias tanto studio legatis Babyloniis opes thesaurosque suos ostentarit? facilis est responsio, factum id esse, ut se Babylonio commendaret, et ut legati intelligerent, se dignum esse, cum quo Babyloniorum rex amicitiam et foedus iniret, ut se contra Assyrios, communes hostes, tuerentur. Ceterum ex eo, quod hic narratur, colligi recte potest, reges Babylonicos, Assyriis usque ad illud tempus tributarios, tunc nondum assurrexisse ad magnum fastigium dignitatis et amplitudinem potentiae. Si enim magni fuissent reges et sui juris, Assyriis comparandi, non est verisimile, Merodachum regem Hiskiae, regi mino-

 ris

ris ditionis et virium exiguarum, hoc habuisse honoris, ut solenni legatione tanquam pari et amico salutem ex morbo gratulatus esset, aut Hiskiam thesauros opesque suas, quae cum thesauris opibusque potentissimorum regum comparata facile viluerint, tanta jactantia ostentasse.

3. וַיֹּאמֶר חִזְקִיָּהוּ מֵאֶרֶץ רְחוֹקָה בָּאוּ אֵלַי מִבָּבֶל *Et dixit Hiskias: a terra longinqua ad me venerunt, ex Babylone.* Silet narratio, quid responderit rex ad priorem quaesiti partem, *quid* nimirum *dixerint legati*, quia ex ipsa historia superiore colligi poterat. Tantum id refertur, quod Hiskias veluti ad excusandam summam humanitatem, qua usus fuerat erga hos legatos, profert, *venisse illos e terra remota*, fuisse itaque liberalius honorandos.

6. Videntur caussae fuisse, quae Jesajam permoverent, foedus cum rege Babylonico improbandi, ut reipublicae Judaicae perniciosum futurum. Ceterum haec prima prophetia est de populo Judaico transportando *Babylonem*, estque huic cognata Michae IV, 10. Apud ceteros prophetas de *Babylone* altum est silentium. Sed Jeremias multis post annis sub Josia rege hanc calamitatem Judaeis obventuram clarissime declaravit, uti et Urias, Semajae filius, sub Jehojakimo, Jerem. XXVI, 20. Moses populum ob sua peccata deportandum esse in exsilium, et inde rediturum esse praedixerat Levit. XXVI, 33. 34. Deut. IV, 27. XXX, 3., sed locum, quo transferendus esset, non definiverat. Ahias in initiis Jeroboami primi praedixerat, Israelitas transportandos esse *trans Euphratem* 1 Reg. XIV, 15., et Amosus V, 27. *longe ultra Damascum*. Jesajas vero in vaticiniis, quae prior hujus voluminis pars complectitur, praenunciaverat quidem plus semel (veluti Cap. I. III.

III. V. VI. VII.) reipublicae dissolutionem, et terrae vastationem, efficiendam a populis ferocibus, justitiae divinae decreta executoribus; sed Babyloniorum aut Chaldaeorum hactenus nullam fecerat mentionem; poterant enim quae de hostibus barbaris Judaeam vastaturis dixerat, de Assyriis intelligi.

7. Posteros Hiskiae vates praedicit fore in palatio regis Babyloniae סָרִיסִים, qua voce proprie *eunuchi*, *castrati*, significantur (collato Arabico سَرِيس *impotens ad venerem, non congrediens cum feminis vir sive admissarius, aut irrito effoetu*), quo significatu legitur Jesaj. LVI, 3. At quia in gynaeceis regiis eunuchi regis uxores custodiebant iisque ministrabant, inde סָרִיס et *cubicularium* regis, ut Esth. II, 3. IV, 4., et denique per synecdochen speciei pro genere quemvis ministrum *aulicum*, etiam in conjugio viventem denotat, ut Genes. XXXIX, 1. coll. vs. 7. it. 1 Sam. VIII, 15. Ad locum nostrum illustrandum pertinet, quod Dan. I, 3. seqq. Nebucadnezarem, Babyloniae regem, Aschpenazo, לְרַב סָרִיסָיו *praefecto eunuchorum*, sive *aulicorum suorum*, adolescentes Judaicos nobili prosapia natos tradit, qui ad officia aulica apti reddendi essent.

8. טוֹב דְּבַר יְהוָה אֲשֶׁר דִּבַּרְתָּ *Bonum est verbum Jovae, quod loquutus es.* טוֹב *Bonum* hic, ut 1 Reg. II, 38. 42., usurpatur de decreto potentioris, in quo inferiori par est acquiescere. וַיֹּאמֶר כִּי יִהְיֶה שָׁלוֹם וֶאֱמֶת בְּיָמָי *Et dixit*, i. e. priori dicto post exiguam moram subjecit, *quia erit pax et incolumitas in diebus meis*, i. e. quia Deus pro clementia sua hanc mihi praestiturus est gratiam, ut ipse pace gaudeam ac stabili rerum mearum statu usque ad finem vitae. In loco parallelo 2 Reg. XX, 19. eadem verba sic efferuntur: הֲלֹא אִם־שָׁלוֹם

שָׁלוֹם וֶאֱמֶת יִהְיֶה בְּיָמָי annon, *si pax et incolumitas futura sit in diebus meis?* i. e. annon habeo gravissimam rationem acquiescendi in hoc Jovae decreto, quum ipsi placuerit eo temperamento illud mitigare, ut mea aetate stabilis adhuc futurus sit reipublicae status? אֱמֶת enim, alias *veritatem* notans, hic est *status stabilis*, ut אֱמוּנַת supra XXXIII, 6. Paulo aliter Hiskiae verba hoc Versu relata accipienda putat BARTH. HERM. BERGST in Commentatione super hoc Capite, quae legitur in Sylloge, cui epigraphe: *Museum für Religionswissenschaft in ihrem ganzen Umfange*, ed. a H. P. C. Henkio, Vol. III, Fasc. 3. p. 345. seqq. Quum par sit credere, Hiskiam non fuisse absque sensu malorum posteritati imminentium; Vir ille Doctissimus verba regis cui Jesajas foedus cum Babylonio, tanquam perniciosum, dissuaserit, sic vertit: *bonum*, i. e. justum et verum est, quod tu mihi Jovae nomine dixisti; et post, brevi pausa interjecta, subjecisse regem: *sane pax inconcussa manebit* s. *maneat, dum vivam*, q. d. non committam, ut, foedus cum Babylonio adversus Assyrium ineundo, hunc contra me irritem, qui lacessitus bellum in me concitet. Sensum tamen a nobis supra indicatum, commendare videtur locus parallelus libri Regum.

COR-

CORRIGENDUM.

Pag. 130. Lin. 18. pro ينكشق lege ينكشف.

LIPSIAE

EX OFFICINA VOGELIANA.